BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
1
A
13
NAPOLI

A. 13.



OBSERVATIONES.
IN EVANGELIA
QVADRAGESIMALIA
Paſsionis & Reſurrectionis Dni.
IN GRATIAM VERBI
Dei Concionatorum.
Per R.P.F. Iacobum Corenum
Ord. Minorum Regularis
obſeruantiæ & almæ
Prouinciæ S. Ludouici
Exprouincialem
Nunc primum in
lucem opus
editum
IHS
S. Iacobus.
S. Bernardinus.
LVGDVNI
Sumpt. ANT. CHARD
Sub Signo
S. Spiritus.
1627
Cum priuilegio R

Reuerendiſſimo Patri

BERNARDINO DE SENIS,

Totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ac Paſtori vigilantiſſimo,

Fr. IACOBVS CORENVS,

Eiuſdem Ordinis, & Prouinciæ Sancti Ludouici Exprouincialis,

S. D.

MVLTI occurrebant (AMPLISSIME PATER) quibus has noſtras Obſeruationes dicare poteram: Tu

tamen inter omnes, non vt alienus, ſed vt noſter, veluti nouus ſplendor effulſiſti, cui multis ex titulis illas tanquam noſtro communi iubari conſecrarem. Et verò, vt huic meorum ſtudiorum partui præclarè conſulam, quem vel meliorem, vel amantiorem parentem quæram, quàm ipſum meum? Ad quem, inquam, debebant confugere noſtræ Obſeruationes, niſi ad omnium Obſeruantium Patrem? Et ad quem debuit recurrere Obſeruantium minimus, niſi ad Obſeruantium maximum? Tu enim ita prudenter te geſſiſti in adminiſtranda hac noſtra Ciſmontana familia, vt vtrique, ac proinde toti Ordini præeſſe merueris. Vnde diuinâ

Proui

Prouidentiâ factum eſt, vt in vltimis generalibus Comitiis toto Ordine in te vnum oculos coniiciente, communi omnium ſuffragio, ampliori deſtinareris faſtigio.

Fuit olim per Beatum illum Bernardinum Senenſem noſtra propagata Obſeruantia; eſt & per te Bernardinum de Senis adeò reſtauranda, vt meritò ſperare debeamus in hoc Ordinis quaſi deliquio, tanto Præſule priſtinum eiuſdem Obſeruantiæ vigorem, florem, & decus poſtliminio reſtitutum iri, vt de te aliquando dicere poſſimus, quod Eccleſiaſticus de Oniæ filio Simone: *Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* Eccl. 50.

Aduentante eodem D. Ber-

nardino, qui parum honeſta lo-
quebantur, aut factitabant, dicere
ſolebant: *En Bernardinus adeſt.*
Si qui ſint in Ordine, qui illicita
aggrediantur, aut moliantur, non
progredientur, ſed deſinent, qua-
re? *En Bernardinus adeſt.* Adeſt,
inquam, alter Bernardinus de
Senis, qui ſolo aſpectu, iuſſu, aut
ſola ſui præſentia diſſipabit mala
creſcentia. Age ergo, (REVE-
RENDISSIME PATER) &
Bernard. ad Eugenium Papam. quo pede cœpiſti, perge; & *eſto
refugium oppreſſorum, baculus
ſenum, vltor ſcelerum, malorum
metus, bonorum gloria*, &c. Sic
Diuus Bernardus ſuum humi-
liter hortabatur Eugenium; ita
& ego meum quàm humillimè
deprecabor Bernardinum.

Accipe

Accipe igitur (REVERENDISSIME PATER) hanc meam deprecatiunculam; accipe & ab humillimo filio has Obſeruatiunculas, tanquam obſeruantiæ meæ in te teſtimonium & mnemoſynon, imò debitum, vt tuo nomine nemini poſſint eſſe inuiſæ, vt te Patrono, te Paſtore, per totius Orbis plagas liberè euagari, & diuulgari poſſint. Interea Deum Optimum deprecor, vt quod agis, diu agas, maioráque, & præclara multa addas, & de noſtra Seraphica Religione, de ſacris ſtudiis, de viris eruditis, & virtute præditis ſemper optimè merearis: vt ſicut illius nomen, & agnomen geris

in terris, ita cum illo ampliſſimos, & ſempiternos honores conſequaris in cœlis. Vale.

In noſtro Conuentu Obſeruantiæ Ollcolorum, pridie Nonas Iunij 1626.

LECTO

LECTORI.

EN tibi (Lector amantiſſime) nonnullæ Obſeruationes à Minore Obſeruante: infirmæ quidem, quia ab infirmo: cùm in me, aut ex me tot ferè lapilli, quot & capilli; vnde quaſi ſemper infirmando ſcriptitauimus. Multis tamen, & variis Patrum ſententiis illas corroborare ſtudui: nam qui nullius, aut paruæ eſt auctoritatis, multorum indiget auctoritatibus. Idcirco in his, & in aliis noſtris operibus vitium caui meritò reprehenſum à Plinio, eorum, qui vt doctrinam publicent ſuam, nihil aliud præſtant, quàm nomina Auctorum, à quibus acceperunt, expungere. Nepotianum potiùs ſequor,

D. Hieronym. Qui *(teſte Diuo Hieronymo)* ingenuo pudore ornabat ætatem, quid cuius eſſet, ſimpliciter confitebatur. Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, erudititiſſimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantij, iſtud Hilarij eſt. *Quorum & ſimilium Doctorum auctoritate doctrina noſtra non obtenebratur, ſed collimatur. Vnde & alius :* Fructus noſtri multiplicum auctorum ventilatione purgantur. Ennod. libr. 1. epiſt. 12.

Si non veteranis, & ſublimioris notæ Concionatoribus, tyronibus ſaltem, & prædicare incipientibus prodeſſe poterunt iſtæ obſeruatiunculæ, in quibus quidquid ſapienter, & eruditè dictum agnoueris, totum id vni Deo referas. Illa verò, quæ minùs grata tibi occurrerint, mihi tribuas. Illas non euulgaſſem, niſi ad id Superiorum iuſſa, & amicorum vota me coëgiſſent. Hoc vnum te rogo, (humaniſſime

niſſime Lector) vt has attentè , non curſim legas : breuis enim ſum,non tamen obſcurus. Ad alia me libenter accingerem,ſi hæc,& quædam pauca iam à nobis edita tibi arridere cernerem , & meliùs valerem. Quamquam

Difficile eſt nimiùm variis ſeruire palatis.

Tuis igitur me adiuua apud Deum precibus, vt meliùs valeam, & tu quoque valeas.

FACVL

FACVLTAS REVERENDISSIMI Patris Generalis.

Fr. BERNARDINVS DE SENIS, *totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, & Seruus, Reuerendo Patri Fr.* IACOBO CORENO, *noſtræ Prouinciæ Sancti Ludouici Patri, ac Prædicatori, Salutem in Domino.*

CVM Obſeruationes quaſdam Quadrageſimales diligenter compoſueris, atque ad vtilitatem & commodum verbi Dei Concionatorum typis mandari cupias; ad idque noſtram benedictionem poſtulaueris, harum ſerie libenter tibi concedimus, vt præmiſſa approbatione in noſtris Conſtitutionibus requiſita, obſeruatiſque ſacri Concilij Tridentini, & Regiis Sanctionibus, illas in lucem edere valeas, & poſſis: ſperamus enim magnum verbi Dei Prædicatoribus, ad ſuum munus exercendum, allaturas leuamen, & noſtræ Religioni ornamentum fore. Vale in Domino. Datum in hoc noſtro Conuentu Sancti Franciſci, Ciuitatis Barchinonenſis, 21. die Maij anno 1626.

Fr. BERNARDINVS DE SENIS, *Minorum Generalis.*

APPRO

APPROBATIO
Doctorum.

NOs ſubſignati Doctores Theologi in alma facultate Pariſienſi, maturo iudicio legimus,ac ſumma cum diligentia euoluimus *Obſeruationes in Euangelia Quadrageſimæ*, *Reuerendi admodum Patris* IACOBI CORENI, *Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Theologi Concionatoris, & Prouinciæ Sancti Ludouici Patris*; quas propter ſingularem pietatem, & eruditionem cùm Auctoris,tum operis, typis mandari, ac publicari, Reipublicæ Chriſtianæ fore vtiliſſimum cenſuimus. Maſſiliæ, vltima Maij anni 1626.

Fr. ÆGIDIVS REGNARD.

Fr. THOMAS DVMAS.

CONSEN

CONSENSVS.

OBſeruationum in Euangelia Quadrageſimæ Opus à Reuerendo Patre Fr. IACOBO CORENO Concionatore compoſitum, & à Generali Ordinis Fratrum Minorum Miniſtro, Doctoribúſque Theologis approbatum, typis mandari, & in lucem exponi, ego Conſiliarius, & Procurator Regius in Præfectura Lugdunenſi non impedio. Die prima menſis Februarij 1627.

PVGET.

PERMISSIO.

NOs GVLLIELMVS LANGLOYS, Conſiliatius Regius, Locumtenens & Aſſeſſor in Capitalibus cauſis in Pręfectura Lugdunenſi, hoc Obſeruationum in Euangelia Quadrageſimæ Opus à R.P.Fr. IACOBO CORENO Concionatore elaboratum, & à Generali Ordinis Fratrum Minorum Miniſtro, Doctoribúſque Theologis approbatum, ANTONIO CHARD Bibliopolæ Lugdunenſi typis mandare permittimus: cæteriſque, vt in hoc caſu fieri ſolet, prohibemus. Datum Lugduni die prima menſis Februarij 1627.

LANGLOYS.

SVM

SVMMA PRIVILEGII à Chriſtianiſſimo Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ,Nauarræque Regis auctoritate ſancitú eſt,atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra annos ſex proximos, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur, *Obſeruationes in Euangelia Quadrageſimalia, &c. Per R. P. Fr.* IACOBVM CORENVM *Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ :* præter ANTONIVM CHARD Bibliopolam Lugdunenſem,aut illos,quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis,

tis,

tis , eumdem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum quouis modo, aut ratione impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti ANTONII CHARD. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die ſexta Decembris 1626.

De mandato Regis,

Signatum,

RENOVARD.

Hæc prima Editio die 10. *Februarij* 1627 *finem ſortita eſt.*

FERIA QVARTA CINERVM.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis in cœlo, &c. *Matth. 6.*

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

CVIVSDAM diuitis cogitabundi hæc vox erat: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Hoc faciam; destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi.* Cui iſte diues hæc dicebat? A quo ſciſcitabatur? Quem conſulebat? D. Baſilius exiſtimat illum ſibi hæc omnia dixiſſe, ac ſeipſum conſuluiſſe, vnde ad eum: Ex teipſo, inquit, captas conſilium, planè imprudenti vteris conſiliario. Qui enim ſeipſum conſulit, malè ſibi conſulit. Luc. 12. Homil. 6.

Diuus Chryſologus putat hunc hominem diabolum conſuluiſſe: ſic enim ſcribit. Interro- Serm. 104.

gantis vox eſt: & quem putas interrogabat iſte? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus poſſeſſor inſederat. Quòd auté nullum alium, præter dæmoné conſuluerit colligitur ex illis verbis; *Deſtruam horrea mea.* Quicquid enim diabolus conſulit ruina eſt, pernicies eſt, caſus eſt: ſemper, inquam, dat cóſilium deſtruendi: vnde ait ille Doctor. Audiamus quid ei reſpóderit conſiliarius internus. Deſtruam horrea mea. euidenter apparuit qui latebat: quia à deſtructione incipit ſemper inimicus. Agit, agit, vt quæ habes, deſtruas, & quæ concupieris, non reformes.

Ibidem.

Veruntamen vtiliter horrea deſtruxiſſet, ſi frumentum in illis reconditum pauperibus diſtribuiſſet. Et hoc D. Baſilius libenter conſuluiſſet. Iſti diuiti ego dicerem: A fundamentis excidito auaritiæ cuſtodem, dirue tectum, euerte muros, oſtende ſoli frumentum, quod cariem contraxit, &c. Nec ei defuiſſent horrea, nempe pauperes, in quibus poterat fructus ſuos recondere. Vnde idem Doctor: Habes ſi vis horrea ventres pauperum. Optima fuiſſet illa deſtructio, ſi facta fuiſſet horum reparatio. Sed quia ſeipſum, & diabolum conſuluit, ſibi, nec pauperum neceſſitati conſulet: atque ita deſtruendo deſtruetur. Meliùs autem ſibi conſuluiſſet, ſi Deum conſuluiſſet: & vbi quid ſit congregandum, ac theſaurizandum didiciſſet.

Loco citato.

Ibidem.

Relicto itaque proprio, ac diaboli conſilio, Patrem noſtrum Chriſtum, & matrem noſtram Eccleſiam quiſque conſulat: & dicat, Domine, *quid faciam?* Audi eius ſaluberrimum conſilium. *Nolite theſaurizare vobis in terra,* &c. *Theſaurizate*

autem

autem vobis in cœlo, &c. Dicat & matri Eccleſiæ, *Quid faciam?* Dabit & ſalutare conſilium; *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Priùs igitur conſilium patris, & poſtea matris attendamus.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. Ibi enim non eſt theſaurizandum, vbi non eſt diu immorandum; eſt terra regio aliena. In regione autem aliena mox relinquenda theſaurum recondit inſanus: in patriam verò, id eſt, in cœlum transfert mente ſanus. Præmittamus, inquit Chryſologus, theſauros noſtros in cœlum. Qui, inquam, ſapiens eſt, in loco tuto theſaurum ſuum & diuitias ſuas collocat. Nullus eſt autem locus tutior cœlo, ibi ergo ſunt theſauri noſtri collocandi, non in terra, vbi, inquit Origenes, nihil fidele, vbi inimicitiæ propter pecuniam, vbi frater fratri inuidet, vbi, qui habet & poſſidet theſauros, adhuc inhiat & accumulat ad rapinam, &c. Nihil in terra firmum, nihil ſtabile, nihil tutum, omnia infirma, omnia caduca, omnia tranſitoria, &c. Serm. 7. Homil 4. in Matth. 6.

Nullus eſt, qui frumentum ſuum recondat in loco humido, vbi ſciret citò putreſcere, maximè, ſi ab amico moneretur, vt alibi illud reponeretur: & tamen reperiuntur aliqui theſaurizantes in terra, vbi ſciunt omnia peritura; licèt à Domino moneantur, vt in cœlo theſaurizent, vbi omnia ſunt in æternum permanſura. Hoc dolebat Auguſtinus, qui ideo ſic ſcribebat. Si amicus tuus intraret in domum tuum, & inueniret te in loco humido frumenta poſuiſſe, daret tibi huiuſmodi conſilium: frater, perdis quod cum In Pſal. 48.

magno labore collegiſti : in loco humido poſuiſti, paucis diebus iſta putreſcent. Leua in ſuperiora loca. Audires amicum ſuggerentem, vt frumenta leuares de inferioribus ad ſuperiora; & non audies Chriſtum monentem, vt theſaurum tuum leues de terra ad cœlum? Fructus arborum ſi in terram decidant, putreſcunt: in arborum verò ramis vigent & ſani ſunt.

Duo Chriſtum feciſſe legimus: vnum prædicendo: alterum conſulendo. Quid prædixit? Matth.24. *Cœlum & terra tranſibunt.* Quid nobis conſuluit? *Nolite theſaurizare vobis in terra*, &c. Credamus prædicenti, & conſilium ſequamur monentis. Serm.50.de temp. Ad hoc nos hortatur alibi idem Auguſtinus his verbis: Non ille te fallit qui tale conſilium dedit tibi. Si architectus diceret ruituram domum tuam, nónne priùs migrares, quàm interires? ſtructor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis? Audi vocem prædicentis: *Cœlum & terra tranſibunt.* Audi conſilium commonentis: *Nolite vobis theſaurum condere in terra.*

Dices: Si cœlum & terra tranſibunt, cur præcipit Dominus, vt potiùs theſaurizemus in cœlo, quàm in terra, cùm vtrumque ſit tranſiturum? Nunquid ſecuriùs aſſeruabitur theſaurus in cœlo tranſituro, quàm in terra tranſitura? Reſpondeo: cœlum quidem & terra tranſibunt, id eſt, quaſi, aut potiùs tranſibunt: verba autem Chriſti non tranſibunt. Ecce verba Chriſti: *Nolite theſaurizare vobis in terra*, &c. Illis igitur verbis numquam & nullo pacto tranſituris credamus, illáque opere adimpleamus. Si enim in cœlo theſaurizemus, id eſt, ſi bona opera quibus

in

in cœlo coronabimur, faciamus; ſanè, etiamſi cœlum tranſiret, tamen theſaurus noſter non periret. Qui dat conſilium, vt in cœlo theſaurizetur, faciet vt in cœlo theſaurus conſeruetur. Vnde idem Doctor loquens de Sancto Paulino ſic ſcribebat. Ibi habebat omnia ſua, vbi eum condere & theſaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Scit quonam in loco ſit conſeruandus tuus theſaurus, qui conſulit, ne in terra colloces. Libr. 1. de ciuit. Dei cap. 10.

Non eſt etiam in terra theſaurizandum, quia *ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt, & furantur.* Non datur aliquid ex rebus temporalibus, quod vel ærugini, vel tineæ, aut vermibus non ſubiiciatur; ſi metalla poſſideas, tandem ærugine obducentur, ſi dicas aurum non contrahere æruginem, timebit furem; vnde aliquis dicebat ideo aurum palleſcere, quia multi ſunt illud quærentes, & furari & abſcondere cupientes. Si veſtimenta tibi ſint, tinea comeduntur: ſi terras, vineas, olíueta poſſideas, hæc nihil tibi proderunt, ſi fructus non afferant; fructus autem furibus, tineæ & putredini ſubiacent; & hæc euitari non poſſunt. Quia, inquit Chryſologus, quod de re naſcitur, non vitatur. vbi eſt neceſſitas, fures deeſſe non poſſunt. De veſtimento tinea, rubigo de metallo, de neceſſitate fures naſcuntur. Si oues, boues, equos, & ſimilia animalia habeas, non tantùm furibus, ſed & morti ſunt obnoxia. Serm. 7.

Et licèt hæc his non ſubiicerentur, ſunt tamen nobis hic neceſſariò & infallibiter relinquenda. De illis ſic Ambroſius. Hic acquiruntur, Lib. de Naboth.

hic relinquuntur. Et illorum coacta derelictio, nullius erit meriti acquiſitio, ſi ex eis nulla fiat indigentibus diſtributio. Vnum Iudam attende.
Ioann. 12. Multa furatus erat, *quia fur erat*. Magiſtrum tradidit, & vendidit, vt ex illa venditione nouos denarios acquireret: tandem illos ſecum poſt mortem non attulit, ſed à quibus & vnde acceperat retulit. *Retulit triginta argenteos.* ô Iuda, tandem retuliſti, propter quod Magiſtrum tradidiſti. Retuliſti, quia tecum deferre non potuiſti. Retuliſti, non propterea meruiſti. Retuliſti quæ pauperibus, non Phariſæis, erogare debuiſti.
Ioann. 12. Nónne dixeras? *Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Verùm de egenis non curabas, qui hæc tibi procurabas: vnde meritò de te addidit Euangeliſta. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habebat.* Vtinam in illos loculos aliquando conieciſſes oculos: ibi enim tuum inueniſſes cor. Nónne ſæpe audieras Magiſtrum dicentem? *Vbi eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.* Sed de Iuda adhuc paulò pòſt circa finem.

Dicet aliquis: Quid nobis agendum eſt, ne quæ hic acquirimus ærugine obducantur, nec tinea corrodantur, & à furibus non diripiantur? Qualiter poterunt ad ſuperna transferri? Pauperibus ſunt committenda, qui ea in cœlo fideliter reponent. Audi D. Auguſtinum, vel potiùs
Serm. 50. de temp. Chriſtum apud Diuum Auguſtinum. Non perdes quod dediſti: ſed ſequeris, quod miſiſti. Conſilium do: da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Non ſine theſauro remanebis: ſed quod habes

habes in terra ſolicitus,habebis in cœlo ſecurus: conſilium do ſeruandi, non perdendi. Audiamus Chriſtum theſaurum promittentem eleemoſynam largienti: *Da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Matth.19.

Ad cœlum pauperes deferunt noſtras diuitias, ſi eis erogentur. Et licèt transfugæ ſint; ipſi tamen eas ibi ſecuras reddunt: vnde interroganti reſpondet Chryſoſtomus: Vbinam opes deponemus? Si meis conſiliis acquieſcere volueris, modum tibi dixero,quo trãsfugas opes,fidas tibi reddas.Quonam modo transfugæ ipſæ tenebuntur?Diſtributæ manent,& cuſtoditæ fugiunt. Homil. 7. de pœnit.

Sunt diuitiæ veluti frumentum, quod diu ſeruatum putreſcit, aut cariem ſitúmue contrahit:ſi verò in vberrimum agrum ſpargatur, non tantùm conſeruabitur; ſed & multiplicabitur. Hæc ſimilitudo eſt eiuſdem Doctoris. Ab ipſis agricolis diſce: ſi domi frumenta concluſa tenent, amittunt: ſi diſperſerint in terras, non modò cuſtodiunt, ſed etiam augent. Sic & opes in arca, atque ſub ſera, & vecte defoſſæ, citò transfugiunt. Si verò eas in ventres pauperum diſperſeris, non modò non fugiunt, ſed & maiores reſurgunt. Simile. Ibidem.

Sunt præterea diuitiæ veluti aqua,quæ ſi ſtat, corrumpitur: ſi fluat,irrigat & fœcundat. Hoc adnotat Ambroſius. Aqua ſtatiua citò vermes facit. Non ſtet theſaurus tuus. Tibi proficit quicquid inopi contuleris: tibi creſcit quicquid in pauperes erogaueris. Seminatur in terra, & germinat in cœlo. Plantatur in pauperes, apud Deum pullulat. Lib. de Naboth. c.12.

Erunt igitur pauperes noſtrorum theſaurorum & diuitiarum baiuli, ipſi ad cælum deferent. Quid ſunt pauperes, inquit Auguſtinus, niſi laturarij noſtri, id eſt, baiuli: Das pauperi? Laturario tuo das: ad cælum portat, quod das. Nec dubitandum eſt de fidelitate horum baiulorum: Deo enim datur quod pauperi erogatur: & Deo creditur, quod egeno impenditur. Sibi Dominus fieri dicit quod pauperi fit. Eſt Dominus pauperum fideiuſſor: vnde D. Chryſologus ſic nos ſecuros reddit. Nemo de fraude dubitet baiulorum. Tuta eſt tranſuectio, per quam noſtra ad Deum, Deo ipſo fideiuſſore portantur.

Serm. 50. de temp.

Serm. 7.

Non opus eſt camelis, iumentis aut curribus ad deferenda bona noſtra; pauperibus duntaxat indigemus. Nam teſte Chryſoſt. in theſauro indeprædabili reponimus, quæcunque per pauperum manus præmittimus: eorum enim manus in cœleſtia promptuaria ſibi data reponunt. Hic, ad onera deferenda validioribus & fortioribus indigemus: at pro theſauro eleemoſynæ deportando debiliores, veluti claudi, cæci, infirmi, pupilli & alij ſimiles inopes, requiruntur. Audi D. Laurentium tyranno dicentem. Facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cœleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt. Securum eſt autem, quod multorum manibus tenetur & portatur: vnde meritò conſulit idem Chryſoſtomus. Fac opes in manibus millenis detineri, viduarum ſcilicet, orphanorũ, infirmorum: neque enim diffugere poterunt tot detentæ manibus.

Homil. 48. in Geneſ.

Homil. 7. de pœnit.

Ille ſibi ſeruat qui pauperibus erogat. Hoc agnoſcebat qui apud Senecam dicebat:

Hoc

Hoc habeo,quodcumque dedi miſeratus egenos. Vnde ille Seneca dicere ſolebat;Omnia iſta non ſunt noſtra. Quæris, quomodo ea tua facias? Donando,&c.Quæ retinemus temporalia bona, velimus,nolimus,deſerent nos;quæ non retinemus, ſed pauperibus largimur,ea nunquam deſerent.Terrena omnia,inquit Greg.quæ ſeruando amittimus, largiendo ſeruamus; patrimonium noſtrum retentum perditur;manet erogatum, &c. Vnde Chriſtus vt oſtenderet, nobis dare, quando inopi damus,ait.

Lib. 6. de benef.c.3.

Ibidem.

Lib. 18. Moral. 12.

*Theſaurizate vobis in cœlo.*Expende(*vobis.*)Non Deo theſaurizamus, quando pauperibus erogamus,ſed nobis,id eſt,ad vtilitatem noſtram, ipſe bonorum noſtrorum non indiget. Fructus noſter, ait Auguſtinus, non facit illum ditiorem, ſed facit nos beatiores. Obſeruandum eſt, quid olim Dominus populo præceperit, & propter quid, ait enim Moyſes;*Et nunc Iſrael,quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in præceptis eius, vt bene ſit tibi?* Expende hæc vltima verba (*vt bene ſit tibi.*) Mittit pauperem, vt petat à te eleemoſynam. Quare? *vt bene ſit tibi.*Quadrageſimale ieiunium indicit, *vt bene ſit tibi.* Ad pœnitentiam vocat, *vt bene ſit tibi.*Clamat hodie per Ioëlem vt conuertaris ad Dominum Deum tuum, & derelinquas viam tuam,ſcilicet auaritiam,laſciuiam,vſuram, inimicitiam,&c.*vt bene ſit tibi.*Iubet vt illum diligas:vt peccata tua Sacerdoti cõfitearis, *vt bene ſit tibi.* Vult mater Eccleſia vt proiicias cineres ſuper caput tuum,mortíſque memor exiſtas, *vt bene ſit tibi.*

Serm. 55. de verb. Domini.

Oſee 6. Attende quid dicat Deus per Oſeam ; *Miſericordiam volo.* Cui ? Non ſibi , ſed nobis. Audi
Serm. 8. Chryſologum. O homo , petit Deus miſericordiam,ſed tibi,non ſibi. Miſericordiam volo,humanam miſericordiam petit , vt largiatur diuinam. Eſt in cœlis miſericordia. *Domine in cœlo miſericordia tua.* Ad illam miſericordiam per terrenas miſericordias peruenitur.Quicquid igitur Deus vult , quicquid præcipit, quicquid à nobis
Iob. 22. exigit , in noſtrum commodum vergit. *Quid*
Iob. 35. *enim prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris ?* Et , *Si peccaueris, quid ei nocebis ?* Nec bona noſtra opera ei proſunt:nec mala obſunt,ſed nobis duntaxat. Ergo ait Dominus,ô homines, non mihi, ſed *theſaurizate vobis in cœlo.*

Cæterùm,diuerſi theſauri in die Iudicij & in hora mortis aperientur : alij iuſtorum , alij iniquorum. De theſauris iuſtorum loquitur nunc Dominus, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.* Iuſti multa bona opera agunt in terra, vt amplum theſaurum inueniant in cœlo. Sicut enim theſaurus temporalis conſtat multis rebus pretioſis,veluti auro,argento,gemmis & ſimilibus. Ita ſpiritales theſauri variis bonis operibus componuntur & replentur,ſcilicet ieiuniis, eleemoſynis, orationibus,inimicorum dilectione, Sacramentorum frequentatione , carnis maceratione, &c. Vnde D. Thom. Theſaurus , inquit, ſpiritalis eſt congregatio meritorum.

Alij ſunt theſauri iniquorum , de quibus
Rom. 2. Apoſt. *Theſaurizas tibi iram , in die iræ.* Mali enim ſuis malis operibus, luxuria, inuidia , ſuperbia, voluptatibus, auaritia, blaſphemia, & ſimilibus peccatis

peccatis congregant ſibi amplum theſaurum diuinæ iræ, in die iræ. Videat nunc vnuſquiſque, quem nunc theſaurum faciat: illum enim inueniet poſt mortem & in die Iudicij: fideliter ſeruabitur quicquid homo operabitur, ſiue bonum, ſiue malum. Vnde Auguſt. Bonus homo ponit in theſauro cœleſti omnia opera miſericordiæ, quæ fecit, & ſcit, quia fidelis eſt cuſtos. Mali verò & ipſi mittunt, vt in theſauro omnia mala opera ſua ſeruet illis Deus. Vbi venerit Dominus, conuocabit ad ſe omnes gentes, & incipiet iam tractare theſauros, vt quod quiſq; poſuit, inueniat. Serm. 30. de temp.

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Audiuimus Patris conſilium; audiamus nunc & matris. Si quis igitur dicat Eccleſiæ; *Quid faciam?* Reſpondet; *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ac ſi diceret: Iam Dominus tibi in cœlo theſaurizare conſuluit: idem ego tibi conſulo, téque ad theſaurum inquirendum inuito, dum tibi mortem aſperſione cinerum in mentem reuoco, ac in puluerem te in ſepulchro reuerſurum denuncio.

Nonnullas nationes theſauros in ſepulchris recondere conſueuiſſe legimus: vnde narrat Ioſephus in ipſo Dauidis ſepulchro inuenta fuiſſe tria millia talentorum, id eſt, decem & octo centena millia aureorum. Itaque effodientes theſauros, reperto aliquo ſepulchro lætabantur: quia in ſepulchris theſauri recondebantur. Hoc aſſerit Iob: *Effodientes theſaurum gaudent vehemen-* Lib. 13 Antiq. 18. Iob. 3.

ter,

ter, cùm inuenerint ſepulchrum. Ille theſaurum inueniet, qui ſepulchrum effodiet, id eſt, theſaurizabit in cœlo, qui ſepulchri, ſiue mortis iugiter meminerit in terra. Ergo:

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Theſaurus eſt, mortis recordatio. Ad hunc theſaurum inueniendum nos inuitat D. Gregorius Nyſſenus, dum loca ſepulchrorum viſitanda & conſideranda proponit. Oſtendam tibi tanquam in ſpeculo, qui ſis, & qualis ſis. Non vidiſti in loco publico ſepeliendis hominibus deſtinato, naturæ noſtræ myſteria? Non vidiſti oſſium aliis ſuper alia temerè abiectis congeriem? Si illa vidiſti, teipſum in illis ſpectaſti. Vbi caro illa delicatiſſimè enutrita, pretioſiſſimis veſtibus induta? vbi facies illa fucata? vbi compti capilli ad ceruices vſque demiſſi? vbi oculi ſtibio depicti? vbi tot genæ vermiculatæ? vbi tot ora purpurea? vbi capita redimiculis ornata? vbi denique tot delibuta corpora? omnia hæc puluis erant, & in puluerem ſunt reuerſa. Quò deuenere tot potentes huius ſæculi? quò tot Reges, Principes, tyrani, tot Philoſophi, Oratores, Poëtæ? quò tot populi?

Horat. lib. 4. ode 7. *Quò pius Æneas? quò Tullus diues & Ancus?*
Puluis & vmbra ſumus.

Memento homo, quia puluis es, &c. Obſeruat D. Cyprianus, Deum, cùm hominis corpus voluit efformare, terræ pugillum ex quatuor mundi partibus collegiſſe & aſſumpſiſſe. Cur hoc? vt homo vbique humiliaretur, & ſuæ viliſſimæ conditionis recordaretur. Vidiſti interdum hominem longè à propria patria, natalíque ſolo diſtantem,

De monte Sina & Sió.

diſtantem, qui, licèt ex humili loco, pauperibuſq; parentibus natus, audet interdum aſſerere, ſe ortum habuiſſe ex illuſtri familia, quia neminem videt, qui hoc poſſit inficiari? Verùm contingit aliquando reperiri aliquem vel eiuſdem patriæ, aut qui illius nouerit progenitores, qui huiuſmodi hominem vanitatis & falſitatis arguat, aſſerátque illum eſſe ex humili loco, & ignobili genere oriundum, ac ei dicat: Quid te iactas nobilem? Quaſi verò tuam ignoremus proſapiam? Ita homini potuiſſet contingere, ſi ex vna tantùm parte terræ, verbi gratia, Orientis fuiſſet corpus eius efformatum. Si enim ad Occidentem, vel ad Meridiem, aut ad Aquilonem tetendiſſet, non ex terra aut puluere, ſed ex aliqua nobili materia ſe conſtare aſſeueraſſet: verùm teſtimonio quatuor mundi partium conuincitur, illum ex terra coaleſcere, ac puluerem eſſe; cùm non ex vna tantùm, ſed ex illis quatuor partibus aſſumpſerit Dominus pugillum terræ ad humanum corpus efformandum. Itaque quocumque homo ſe conferat, ſiue ad Orientem, ſiue ad Occidentem, vel ad Meridiem, aut ad Aquilonem, ſemper audiet, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Puluis es. Antequam homo eſſes, terra eras: & antequam terra fuiſſes, nihil eras: quia tu ex terra, & terra ex nihilo. Tu filius terræ: terra autem filia nihili. Eſt igitur nihil auus tuus. Itaque inter te & nihilum parum duntaxat interiacet terræ & pulueris. Vides te non longè à nihilo diſtare; citò in nihilum reuertereris, niſi à Domino defendereris. Hoc agnoſcebat Auguſt. qui

In Soliloq. ſic humiliter loquebatur. Si non me regis Domine, reuertar ad nihilum. En iactabunde, origo tua: en reuerſio tua. Certus eſto, quòd ſi non in nihilum, ſaltem *in puluerem reuerteris*. Hæc homini loquitur Deus. Et apud Iob, ſic Deum alloquitur homo : *Memento, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.*

Geneſ. 3. Iob. 10.

Homo, inquit Deus, quia iuſſis meis non obtemperaſti, *in puluerem reuerteris.*

Deus, inquit homo, vt adimpleatur quod prædixiſti, *in puluerem reduces me.*

Homo, quia dereliquiſti me, *in puluerem reuerteris.*

Domine, quia dereliquit me iuſtitia originalis, *in puluerem reduces me.*

Homo, propter iniquitatem tuam, *in puluerem reuerteris.*

Domine, propter æquitatem tuam, *in puluerem reduces me.*

Homo, antequam venias ad me, *in puluerem reuerteris.*

Domine, priuſquàm me reducas ad te, *in puluerem reduces me.*

Homo, quia iniuſtus es, *in puluerem reuerteris.*

Domine, quia iuſtus es, *in puluerem reduces me.*

Homo, quia odiſti me, *in puluerem reuerteris.*

Domine, quia dilexiſti me, *in puluerem reduces me.*

Lib. 3. de Trinit. & oper. eius cap. 28. Nam, non iratæ Iuſtitiæ, ait Rupertus, ſed miſerantis eſt gratiæ, quòd vitiatum hominem Deus mortalem eſſe voluerit. Quod nec ipſos Gentiles latuit, rationabiliter vtilem eſſe arbitrantes hominibus mortalitatem. Vnde Plotinus apud

apud eumdem Rupertum: Tunc pater miſericors mortalia illis condebat corpora. Vtiliſſima ſanè fuit homini poſt peccatum pœna mortis, qua mulctatus eſt à Deo, ne fieret & malitia, & miſeria immortalis: & vt metus impendentis mortis & à malè agendo reuocaret, & ad bene agendum ſolicitaret: vnde ei dicitur.

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ille igitur eſt perditiſſimus, quem non mouet mortis memoria. Miratur Scriptura, quòd olim vocante Deo populum *ad fletum & ad planctum, & ad cingulum ſacci*; nonnulli Iudæi cincti iam Aſſyriorum exercitu, cùm nullum eis eſſet euadendi ſuffragium, ipsáque iam morte impendente, lætarentur, ac gulæ & luxui vacarent, atque ita ſe mutuò inuitarent: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Isai. 22. Malè iſti colligebant: ideo D. Auguſt. ſic vni eorum loquitur. Quid In Pſal. 70. ais? repete: Manducemus & bibamus. Age, quid poſtea dixiſti? Planè hoc ipſo, quod poſtea dixiſti, incuſſiſti mihi timorem ne tibi conſentiam; cras enim moriemur: Terruiſti, dixiſti, & præceſſit, manducemus & bibamus, adiunxiſti, cras enim moriemur. Audi contrà à me; Imò ieiunemus, & oremus, cras moriemur. Ac ſi diceret: ex eo quòd cras ſimus morituri, ſequitur quòd hodie ieiunare, orare, bene facere, pœnitentiam agere debeamus; non manducare, bibere, & laſciuire. Quid enim cras morituro proderit hodierna voluptas, & comeſſatio?

Qui mortis recordatione peccare non deſinit, & opera ſalutis exercere negligit, ſimilis eſt Iudæ proditori, qui aliquando facta Chriſti ſepulturæ

pulturæ memoria, non compungebatur: imò proditionem moliebatur. Nam murmurantibus diſcipulis, quòd Magdalena ſuper caput Saluatoris vnguentum pretioſum effunderet, dixit
Matth.26. Dominus: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Cur ibi Dominus ſuæ ſepulturæ meminit? vt Iudam vel ſaltem mortis recordatione à malo ſuo propoſito deterreret. Sed quid ille? Proditionem ſuam ſemper meditabatur, & vt eam perficeret, profectus eſt. Audi Euangeliſtam ſubiungentem: *Tunc abyt vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Iſcariotes, ad principes Sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* O perditiſſimi hominis argumentum ſingulare! mortem audit, ſepulturam percipit, & non compungitur, ſed in perditione perſiſtit.
Homil 2. in Matth. Hæc obſeruatio eſt D. Chryſoſt. Tunc iſtud, ad quod tempus relatum eſt? quando Chriſtus iſta locutus eſt, quando ad ſepulturam dixit: atque, neque hinc Iudas compunctus eſt. Si tunc quis dixiſſet Iudæ: Quid agis miſer? Nónne audiuiſti Magiſtrum tuum de ſepultura diſſerentem? Nónne aliàs eumdem audiuiſti in proditores, & auaros inuehentem, imò hęc verba promentem, *Væ per quem filius hominis tradetur?* Reſpondiſſet: Audiui quidem; ſed quod ſuum erat, dixit: quod meum eſt, facio: Magiſter eſt, illius eſt monere: ego autem proditor & auarus ſum; quod proditoris & auari eſt, facio. Sic hodie multi peccatores dicunt: Prædicatores ſuo funguntur officio; nos noſtro, auari ſumus, auarè viuimus, &c. ô ſimiles Iudæ!

Porrò,

Porrò, non ſine myſterio ait Euangeliſta, *qui dicitur Iſcariotes.* Equidem amantiſſimus hominum Deus, ab initio volens Iudam à præcipitio cuſtodire, hoc illi frænum iniecit, nimirum mortis memoriam, quam ipſius nomini indidit: nam Iſcariotes idem eſt ac memorans mortem, ſiue mortis memoria. Vt iam immedicabilem eius videas animum, quando tanto fræno rupto, ſeſe voluit in præcipitium agere. Hoc adnotat D. Paſchaſius. Iſcariotes memoriam mortis ſonat, vt ſit inexcuſabilis, quod non caſu, ſed ex meditatione mortis, Dominũ prodiderit. Iudam omnes execramur, qui non minùs Chriſtum tradidit, licèt eum de ſua ſepultura loquentem audierit, ac mortis memoriam ex vico, vnde erat oriundus præ ſe tulerit. Væ nobis, quia imitamur, quem execramur. Audiuit ille mortis fieri memoriam, nec emendauit ſe: audimus & nos, *Memento homo, quia puluis es,* &c. Audimus, inquam, non tantùm fieri mortis memoriam, ſed & nobis intimari mortis ſententiam, tamen vix reperitur qui agat pœnitentiam. Noli igitur fieri Iudæ ſimilis, ne Deo ſis odibilis: ſed eſto mortis recordatione humilis. Lib. 6. in Matth. 6.

Dæmon ipſe, quamuis ſuperbiſſimus, qui ab ipſo Domino auſu temerario petebat aliquando adorari: veruntamen, teſte Euangeliſta, cùm in regione Geraſenorum hominem quemdam inter ſepulchra verſantem poſſideret, & poſſidendo vexaret, & Ieſum illuc aduentantem videret, *cucurrit & adorauit eum.* Cui Dominus, *Exi ſpiritus immunde ab homine iſto.* Diabolus ab ipſo quem adorabat expellitur, & Ieſum cogitur adorare, à Marc. 5.

quo volebat adorari. Quæro nunc: vnde hæc diabolo humilitas? Quæ res hanc ei adorationem ingeſſit? Neſcio, an id oſtendat Marcus, *Et*
Ibidem. *ſemper die ac nocte in monumentis erat.* Quaſi cum mortuis habitatio potuiſſet cicurare, & moderari diabolicum animum. Hoc expendens Diuus
Serm.17. Chryſologus ſic ſcribit. Quid eſt diabole, quem promiſſione regni, vt te adoraret, ſubdolus ambiebas, nunc tremens prolaberis & adoras? Ecce, qui honores omnes regni promittebat & gloriæ, habitare fœtidis, corruptione cadauerum, reperitur in tumulis. Adorabat Dominum qui habitando in ſepulchris, mortis cui non ſubiiciebatur, gerebat memoriam. Pudeat nos mortales, ſi audita nunc mortis ſententia, eiuſdem recordatione meliores non euadamus, cùm audiamus diabolum numquam moriturum, habitatione tumulorum, quaſi humilem euaſiſſe, atque inde Dominum adoraſſe. Ergo quem non corrigit mortis recordatio, non tantùm ſimilis eſt Iudæ, ſed eſt in hoc peior diabolo.

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Audito mortis edicto ab Aſſuero Rege edito, cóque in vrbis compitis, ac portis domus regiæ affixo, audi quid Mardochæus, cæteríque
Heſter.4. Iudæi præſtiterint. *Cùm audiſſet Mardochæus ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti ſuo. In omnibus quoque prouinciis, oppidis & locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus & fletus, ſacco & cinere multis pro ſtrato vtentibus.* Vna mortis ſententia omne eis abſtulit gaudium, & prudentes effecti, ſe totos pœnitentiæ dederunt.
Hodie

Hodie audiuimus & vidimus edictum, quod mortis noſtræ ſententiam continet; non fixum in angulis Suſan, ſed in frontibus & capitibus noſtris. Quid aliud indicant cineres iſti qui fronti hærent? Quid reſonant illa verba? *Memento homo quia puluis es*, &c. Hæc eſt proſcriptio capitis, quæ hodie promulgatur. Cur non feſtinamus agere pœnitentiam? Hæc mortis ſententia eſt veluti lapis quo percutitur peccator. Hunc lapidem optabat Auguſtinus, dum ſic ſcribebat. Quæramus lapidem, quo percutiatur incredulus, & percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur, comminutus in puluerem conuertatur, conuerſus in puluerem compluatur, complutus ſeratur, ſatus faciat fructum, non quod igne conſumatur; ſed quod in horrea condatur. Fructum inquam pœnitentiæ. Contr. hæreſes.

Memento homo, quia puluis es, &c. Dicunt naturaliſtæ, apes commotas, proiectione pulueris, vel cineris conquieſcere. De illis ſic Poëta.

——Atque hæc certamina tanta Virg. 4. Geor.
Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.

Vidit Eccleſia his diebus elapſis omnes penè filios ſuos commotos, ſaltantes, choreas ducentes, ac laruatos huc illuc diſcurrere, luxui, comeſſationibus, ebrietatibus ſe dedere: idcirco ſuper capita eorum proiicit & ſpargit cineres, vt recordatione ſuæ conditionis & mortis quieſcant peruersè agere, audiántque Dominum inuitantem, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, &c. Ioël. 2.
Conuertetur corpus in puluerem: ſed conuertatur anima in me, à quo traxit originem, & ſine quo nihil erit. Audi Auguſt. Vt ſit homo aliquid, In Pſal. 70.

conuertat ſe ad illum, à quo creatus eſt. Non inuitaret te,ſi nollet te. Per hãc totam Quadrageſimam clamabit ad nos; *Derelinquat impius viam ſuam,& vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Diuus Fulgentius expendens illud (*Multus eſt*,&c.) ſic ſcribit.In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors eſt.Tanta eſt autem & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo,vt nihil ſit quod nolit,aut non poſſit relaxare conuerſo. Verùm, qui in hoc ſæculo multus eſt ad ignoſcendnm conuerſo;multus erit & in futuro ad iraſcendum peruerſo; maximè, ſi non ſapiat cinere ſuper eum inſperſo.

Epiſt. 7. ad Venant. c. 4.

Sanguiſuga, ſi ſanguinis voluptate ineſcata reuelli non poſſit, inſperſo cinere decidit. Hoc obſeruat Galenus,qui ſic ſcribit:Ab attrahendo quidem ſanguiſugæ non deſiſtunt, donec cinere aſpergantur. Sanguiſugam ſymbolum eſſe præcipuè auaritiæ,& libidinis,oſtendit Sapiens,his verbis:*Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ,affer,affer.* Difficile eſt auarum, & libidinoſum emendare:verùm nimiùm rebus temporalibus, ac voluptatibus adhæreſcentes mortis recordentur dum cinere aſperguntur,atque ita conuertantur, vt tandem vita æterna fruantur,ad quam nos perducat,qui ſine fine viuit & regnat, Amen.

Tom. 5. claſſ. 6. c. 1.

FERIA

FERIA QVINTA POST CINERES.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, &c. Matth. 8.

PRævidit Dauid, quanta futura eſſet in Chriſto Meſſia dulcedo atque beneuolentia; ideo, vt ad illum accederent Gentes, liberè inuitabat. *Accedite*, inquit, *ad eum, & illuminamini:* vel, vt notat Genebrardus, *illuminabimini.* Diuus Auguſtinus hæc potiſſimùm Gentibus dicta eſſe cenſet. Ecce, inquit, ad Gentes dicitur: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Crucifixus Chriſtus inter Iudæos ſæuientes & videntes erat, Gentes abſentes erant. Ecce illi acceſſerunt, qui in tenebris erant. Quomodo viderunt? Illuminati ſunt. Vnde accedunt Gentes? Fidem ſectando, corde inhiando, charitate currendo. Hoc pacto *acceſſit ad Ieſum Centurio, rogans eum.* Pſalm. 33. In Pſal. 33.

Hunc autem Centurionem Gentilem fuiſſe, teſtantur D. Chryſoſtomus & D. Auguſtinus: perſpicuúmque eſſe aſſerunt ex ipſo nomine, vocabulóque Centurionis. Non enim tunc, cùm Iudæi Romani Imperij tyrannide premebantur, Centuriones ex ipſis factos fuiſſe credēdum eſt. Homil. 27. in Matth. Serm. 6. de verb. Dom.

Ideo, ait D. Auguſtinus, erat iſte de Gentibus, erat quippe Centurio, iam Iudæa gens habebat militem, habebat Romanum Imperium, &c. Apertè etiam fuiſſe Ethnicum colligitur ex verbis Iudæorum Chriſtum pro illo rogantium,
Luc. 7. atque dicentium; *Diligit gentem noſtram.* Quæ quidem verba indicant illum alterius fuiſſe gentis, ſcilicet Ethnicorum.

Præterea, hunc Centurionem primum fru-
Homil. 27. in Matth. ctum Gentilium appellat Chryſoſtomus. Primus enim ex Ethnicis acceſſit ad Chriſtum, di-
Carrac. ctuſque eſt ſecundùm aliquos Cornelius, ac natione Italus.

Verùm, de acceſſu illius ad Chriſtum diſcrepare videtur D. Matthæus à D. Luca. Nam D. Lucas ait, Centurionem ſanitatem ſerui per internuncios petiiſſe. Diuus verò Matthæus affirmat, eumdem ipſum ad Chriſtum acceſſiſſe. *Acceſſit*, inquit, *Centurio.* Duobus modis poteſt tolli hæc
Lib. de cō. Ven. Euan. cap. 20. diſcrepantia. Primo, ſi dicamus cum D. Auguſtino, Centurionem non per ſe, ſed per internun-
Leg. 22. §. 1. ff. de lib. cauſa. cios, quos miſit ad Ieſum, acceſſiſſe. Nam ex illa vulgata Iuris regula, qui per alium facit, per ſe facere videtur. Itaque ex ſententia D. Auguſtini ſic verba Matthæi ſunt explananda. *Acceſſit ad eum Centurio*, non per ſemetipſum, ſed per nuncios, eaque dixit quæ ſequũtur, vt D. Lucas ſcribit. Alio modo verba Matthæi in propria & vſitata ſignificatione retinentes dicere poſſumus, Centurionem per ſemetipſum acceſſiſſe. Sic
Luc. 7. ergo res ſe habuit. Miſit (vt ait Lucas) Centurio ad Chriſtum Iudæorum ſeniores: poſtea, cùm non longè à domo abeſſet, miſit amicos, vt idem

Lucas

Lucas narrat. Tandem, cùm iam foribus propinquaret acceſſit ipſe, quod ſcripſit Matthæus, tacuit Lucas. Nam valdè veriſſimile eſt Centurionem, poſtquam ſemel & iterum miſerat internuncios, cùm videret Chriſtum petentem domum ſuam, ad eum acceſſiſſe, & verba protuliſſe, quæ Matthæus commemorat. Vnde Diuus Chryſoſt. Non eſt abſurdum, ait, miſſos eſſe primò aliquos, qui illud dicerent: deinde quoque ipſum Centurionem acceſſiſſe, ac per ſe iterum eadem dixiſſe. Quid autem dixerit audiamus. Homil. 27. in Matth.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Expendenda ſunt hæc verba; atque imprimis (*Domine.*) Quærenti Moyſi à Domino, quod eſſet nomen eius, vt illud poſſet filiis Iſraël indicare, reſpondit Deus; *Hæc dices filiis Iſraël, Dominus Deus patrum veſtrorum*, &c. *Hoc nomen mihi eſt in æternum.* Quærit D. Thomas, an hoc nomen (*Dominus*) potuerit Deo conuenire ab æterno: aut, ſi ante mundi creationem potuerit vocari Dominus, cùm huiuſmodi nomen ſit relatiuum, ſupponátque ſuum correlatiuum, nempe ſeruos: ſicut enim non eſt pater ſine filio; ſic, nec Dominus ſine ſeruo. Exod. 3. 1 part. quæ. 13. art. 7.

Reſpondetur, rectiſſimè hoc nomen (*Dominus*) potuiſſe Deo conuenire, & reuera Deum fuiſſe Dominum, etiam ante mundi conſtitutionem ſiue molitionem. Dices: Quorum erat Dominus? Reſpondeo, ipſius nihili extitiſſe Dominum: vt enim quis alicuius rei Dominus dicatur, oportet, & ea prout, & quomodo voluerit, vtatur: quia, iuxta illam regulam Iuris, dominium eſt facultas vtendi re in quemcunque vſum. Soli

Deo autem competit vti nihilo ad libitum,& ex
Rom. 4. eo condere quicquid vult; *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Beatus Didymus expendens illa verba Daui-
In Pſal. 32. in Cat. Græc. dis: *Ipſe dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt;* ſic quærit. Quis, cui dixit? Quis, cui mandauit? Cui verbi gratia dixit; *fiat lux*, &c. *fiat firmamentum?* Reſpondeo, Deum nihilo dixiſſe & mandaſſe: ergo erat eius Dominus, cùm ei potuſit mandare,& ex eo omnia creare. Proprium igitur Dei nomen, eſt *Dominus*, iuxta illud, *Dominus nomen illi.* Hoc itaque agnoſcens Centurio, ait.

Serm. 15. *Domine, puer meus iacet*, &c. Diuus Chryſologus parum ruſticitatis præ ſe tuliſſe hunc Centurionem in iſtis verbis oſtendit, dum ſic ſcribit. Et quomodo hic Centurio, qui ſic agnoſcit Dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri, quaſi neſciẽs ſerui peculium ad Dominum pertinere? Gratiùs & veriùs dixiſſet, *Domine, ſeruus tuus.* Id enim poſtularet & diuinus dominatus, & Centurionis humilitas. Cur ergo ruſticitatis inuri nota voluit, dicens: *ſeruus meus?* An quia iacebat? Sanè non te offendat, quod dixerim ſeruum meum. Meumdico, qui a iacet; ſi tuus eſſet, Do-
Ibidem. mine, non iaceret. Sic obſeruat idem Doctor.

Rectè hominis ſeruus notatur ille, qui iacet, qui infirmitatum pondere preſſus ſolo proſternitur. Serui hominum iacent: ſerui Dei ſtant. Audi inuitantem: *Ecce nunc benedicite Domino omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Expende (*qui ſtatis*,) non (*qui iacetis.*) Stant ſerui Dei: hominum ſerui iacent. Seruire Deo, ſtare eſt. Seruire hominibus, iacere eſt. Illi namque dicuntur

iacere,

iacere, qui, niſi inuiti nolunt Deo ſubiacere. Audi eumdem Chryſologum. Serui Dei etſi patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, ſed ſubeunt ad coronas. Aduerſa non ſunt neceſſitatum cauſæ; ſed ſunt cauſa victoriæ. Serui hominum ſunt, qui mala patiuntur inuiti. Qui libenter in hoc mundo patitur, Dei ſeruus efficitur. Fortè iſte Centurionis ſeruus hanc infirmitatem æquo animo non ferebat, ideo ſeruum ſum potiùs quàm Domini aſſerebat. Vnde illum ſic orantem inducit idem Doctor. Puer meus, qui iacet, vt tuus ſit, ſurgat: meus, qui paralyticus, vt tuus ſit, iam ſanetur. Quaſi dicat; Domine, vel hic ſeruus ſanetur, aut libenter patiatur, vt tuus efficiatur. Ibidem. Ibidem.

Adeò hic Centurio hunc ſeruum diligebat, vt de illo dicat Lucas, *erat ei pretioſus*: quia tanquam rem pretioſam fouebat, domíque propriæ aſſeruabat. *Iacet in domo.* Non illum tanquam quid vile domo eieci, ſed tanquam quid pretioſum in domo mea retinui. *Erat* igitur *ei pretioſus*, quia in eo pretioſa exercebatur charitas. Pretioſus, quia pretioſi corporis Chriſti dignus iudicatur præſentia, *Ego veniam.* Pretioſus, quia pretioſa promittitur ſanitas, *& curabo eum.* Luc. 7.

Præterea, pretioſus, cuius gratia tam pretioſa verba Centurio apud ſe promebat. De illo ſic Origenes. Centurio iſte in mentis abdito dicebat: mihi hic ſeruus eſt, & ego creatori. Iſte me ſuper terram, & ego magnum in cælo habeo Dominum. Si ego eius non miſereor, quomodo mei ille miſerebitur? Cùm iſte Centurio eſſet Ethnicus, executioni tamen mandauit, quod Hom. 5. in diuerſis.

Eccl. 33. nondum legerat, illud ſcilicet Eccleſiaſtici: *Si eſt tibi ſeruus fidelis ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem tuum ſic eum tracta.* Expende illa (*ſit tibi quaſi anima tua.*) Animæ tuæ curam geris, gere & ſeruorum tuorum. Non quæris, nec optas, vt niſi quàm tardiſſimè exeat anima tua à corpore tuo: noli quoque domo tua ſeruum ægrotantem expellere. Nolles animam tuam, niſi ab omni labe liberam à corpore tuo exire: noli etiam ſeruum tuum, niſi ſanum dimittere. Præterea, *quaſi fratrem tuum ſic eum tracta.* Quia, teſte Ambroſio, In hunc locum. licèt ſeruus ſit conditione: gratia tamen frater eſt, eodem quo & tu vtitur Deo Patre: cur te non vtatur, vt fratre?

Nondum etiam audierat Paulum dicentem; 1 Tim. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior:* & tamen illius agebat curam, pro illo Chriſtum orauit, ac rogari fecit, nihil omiſit, vt illius incolumitati prouideret. Infideli eris deterior, ſi tibi ſeruus pluſquàm infideli non ſit charior. Serui Epiſt. 47. ſunt? inquit Seneca, imò homines. Serui ſunt? imò contubernales. Serui ſunt? imò humiles amici. Serui ſunt? imò conſerui, ſi cogitaueris tantumdem in vtroſque licere fortunæ. Vide quàm humaniter ſint ſerui tractandi.

Lib. 1 quæſt. in Gen. 53. Seruus à ſeruando dicitur, teſte Auguſtino, qui ſic ſcribit. Homo, qui ab homine ſuperatus iure belli poſſet occidi, quia ſeruatus, ſeruus appellabatur. Inde & mancipia, quia manu capta ſunt. Si ergo ſeruus à ſeruando dicitur, tunc verè ſeruus tibi erit, cùm illum ſeruaueris, hoc eſt, ab omni periculo, quantùm poteris, eripueris. Verè

fuit hic Centurioni ſeruus; quoniam illum à morte imminente, Chriſtum exorando, ſeruauit. Seruandum ergo, & in eo ſeruāda ſeruauit Centurio: fac & tu ſimiliter.

Neſciebat prætereа iſte Centurio Deum dixiſſe, *Mei ſunt ſerui*; & tamen ſeruum erga ſeruum Dei ſe exhibet. In hunc locum ſic Radulphus. Hic commonentur Domini, vt ſeruos tyrannicè non opprimant: ſed tanquam Dei ſeruis reuerentiam eis habere meminerint. Demonax videns aliquem Dominum crudeliter ſeruum verberantem; Deſine, ait, ne ſeruo tuo ſimilis fias. Quibus verbis duo innuere voluit. Primum, quòd euenire poteſt, vt, qui modò Dominus eſt, fiat rotante fortuna, ſeruus, & è contra, quod multis contigiſſe legitur. Audi Senecam. Cogita quem ſeruum tuum vocas, ex eiſdem ſeminibus ortum; eodem frui cælo, æquè ſpirare, æquè viuere, æquè mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te ſeruum. Stare ante limen Calliſti Dominum vidi, & aliis intrantibus excludi. Mariana clade multos ſplendidiſſimè natos fortuna depreſſit: alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit.

Leuit. 25.

Epiſt. 47.

Deinde oſtendebat ille Philoſophus hunc Dominum ſimilem fuiſſe ſeruo ſuo, quia hic illius erat ſeruus; ille verò ſuarum paſſionum. Nam is ſeruus eſt, qui affectibus ſuis dominari neſcit. Diogenes dicere ſolebat, inter ſeruos & Dominos malos nihil præter vocabula intereſſe, niſi quòd mancipia ſeruirent Dominis: Domini verò cupiditatibus, id eſt, multis Dominis, qui turpes ſunt, & inclementes. Diuus Auguſtinus

ſcripſit indignum eſſe hominem velle,vt ſeruus ſuus meliùs ſibi ſeruiat, quàm ipſe Deo. Cùm vis,inquit, vt ſeruiat tibi ſeruus tuus; & tu non vis ſeruire Deo,facis Deo,quod tu pati non vis.

Lib 1. de decē chordis. tom. 4.

Obſerua præterea, hunc Centurionem non dixiſſe, *ſeruus meus iacet*, ſed *puer meus*. Quia naturaliter agnoſcebat neminē eſſe alteri ſeruum. Nullus enim poteſt propriè dici ſeruus hominis,ſed Dei,vnde dixerat Dominus, *Mei ſunt ſerui.* Homo nullum debet habere ſeruum.Idcirco de Domino dicitur homini,& Angelo,etiam dæmoni; *Illi ſoli ſeruies.* Nota(*ſoli.*)Quia ad ſolum Deum ſerui pertinent; id eſt, quia omnes Deo ſoli ſeruire tenemur,ideo homo,ſeruus Dei,non hominis dicitur. Perperam ergo vocamus alios homines, ſeruos. Bene hoc cognouit Centurio, cùm illum non ſeruum,ſed puerum vocabat.

Quid autem Centurio promittenti Chriſto venire ad eius ædes,dicat,audiamus. *Domine,non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Indignum ſe iudicat acceſſu Domini ad ipſum: Vis videre diſcrimen inter ſuperbum,& humilem?A ſuperbo Deus:& à Deo humilis recedit. Deus, inquã, ſuperbis dicit, vt recedant ab eo; *Diſcedite à me maledicti.* Et humiles dicunt Deo, vt recedat ab eis. Audi Petrum: *Exi à me Domine, quia peccator homo ſum.* Sed, dum præ humilitate quis petit Chriſti receſſum,meretur illius acceſſum. Audi Auguſtinum. Humilias te, & Deus venit ad te, & venis ad eum: exaltas te, & elongat ſe à te,& elongaris ab eo. Vide quid huic humili Centurioni dicatur à Chriſto, *Ego veniam.* Ipſe autem iudicans ſe hoc non mereri,ait.

Matth 25.

In Pſalm.

Domine,

Domine, non ſum dignus. Non dixit, *Tectum meum non eſt dignum*: ſed ego *non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Suiipſius agnouit, fatetúrque indignitatem. Eſt Deus tantæ maieſtatis, tantæque celſitudinis & immenſitatis, vt nullum ſit tectum, quod illum capere valeat. Hoc agnoſcebat & fatebatur Salomon: *Si cælum cæli, & cæli cælorum te capere non poſſunt; quanto magis hæc domus, quam ædificaui?* Verum hic Centurio quando ſeipſum potiùs quàm tectum agnouit indignum, magis & expreſſiùs cognouit, & patefecit Dei conditionem, quàm Salomon. Agnouit enim Deo nullum eſſe anguſtum hoſpitium, nullúmque reſpuere locum, præter animam peccato maculatam; propterea dixit. 2.Par. 6.

Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meũ. Quaſi dicat: Indignitas mea eſt cauſa indignitatis domus meæ: magis ſum ego indignus Dei acceſſu, quàm domus mea, vel tectum meum. Fuit Dominus in fornace cum tribus pueris. Deſcendit in foueam cum Ioſeph. Erat in ſterquilinio cum Iob: in ventre ceti cum Iona: cum Daniele in lacu leonum. Vbicumque ſit iuſtus, Deus præcipuè adeſt: vnde ei dicit; *Ne timeas, quia ego tecum ſum.* At verò *in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Ita Deus odit peccatum, vt dicatur non ſolùm cum eo non habitare, ſed & illud non poſſe reſpicere. Audi Prophetam. *Mundi ſunt oculi tui, nec vales ad iniquitatem reſpicere.* Si itaque Deus non reſpiciat peccatum, quomodo habitabit cum peccato? Quomodo tecum, ſi tecum habeas peccatum? Dicat igitur vnuſquiſque Iſai. 4. Sap. 1. Abac. 1.

que cum hoc Centurione.

Domine, non ſum dignus,&c. Vt fieret dignus,
Hom. 18. ad pop. indignum ſe reputauit. Quia,inquit Chryſoſtomus,dicebat:non ſum dignus, propterea dignus factus eſt.Imò etiam cognitione,ac ſuæ indignitatis confeſſione,dignas,& honorificas reddidit
Serm. 82. ædes ſuas. Dum, ait Ambroſius, ſe profitetur indignum, & dum ædes ſuas iniurioſas putat, magis eas honorificas facit, & gratas. Certè à Chriſto meruit laudari, qui ſe omni laude indignum iudicauit. Hos tantùm Dominus in terris voluit canonizare, quos vidit ſeipſos nihil re-
Ioan. 1. putare.Ioannes Baptiſta,quia de ſeipſo dicebat, *Non ſum dignus,vt ſoluam corrigiam calceamẽti eius*; fuit à Chriſto ſummè laudatus, hominúmque
Hom 38. ad pop. maior declaratus. Vnde idem Chryſoſtomus. Ioannes dicens:Non ſum dignus ſoluere corrigiã calceamenti eius,ideo amicus quoque ſponſi & manuum,quam dixerat eſſe calceamentis indignam,hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. Paulus vas electionis, & inter præcipuos Apo-
1. Cor. 15. ſtolos eligitur, qui dicebat, *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Ipſi Martyres, quia hac præſenti vita indignos ſe iudicabant,multis,& variis tormentorum generibus ſe exponebant, digni tamen Deo habiti ſunt,de quibus Sapiens, *Inuenit Deus eos dignos ſe*; & de his etiam ipſe Dominus,
Apoc. 3. *Ambulabunt*,inquit,*mecum in albis,quia digni ſunt.* Sic iſte Centurio à Chriſto commendabatur, quia ſe indignum ad quem Chriſtus accederet, fatebatur. *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.*

Vnde adeò grata extitit hæc Centurionis de-

precatio,

precatio, vt recepta in Eccleſia, ea vterentur fideles etiam tempore Origenis, vt ipſemet fatetur, dum ſacram ſumerent Euchariſtiam; & nunc quoque eadem vtantur. Iam enim dictum erat ab Apoſtolo, iudicium ſibi manducare, qui indignè manducauerit corpus Chriſti. Idcirco, ne indignè ſumamus, & ne iudicemur, indignos nos iudicemus, dicamúſque: *Domine, non ſum dignus, vt intres*, &c. Obſerua, quòd hæc verba dicente Centurione, ſeniores Iudæorum pro illo rogabant, dicebántque Domino, vt teſtis eſt Lucas, *Dignus eſt, vt hoc ei praſtes.* Illum vocabant dignum, quando ſeipſum reputabat indignum. Propterea attendite, quid dicat ille, quid dicant iſti. Ille dicit, *Domine, non ſum dignus*, &c. Iſti dicunt, *Dignus eſt*, &c. Etiam homines illos beneficio dignos vocant, qui ſe indignos iudicant.

Hom. 5. in diuerſ.

Luc. 7.

Ecce ratio, quam afferunt iſti ſeniores, *Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.* Videte, auditores, quid proſit vera dilectio, quid bona operatio. Opera tam bona, quàm mala habent ſuas voces, ac clamores emittunt. De eleemoſyna ſic Scriptura: *Ipſa exorabit pro te.* Quod & de cæteris bonis operibus intelligendum eſt. Itaque peractis aliquibus operibus bonis, ſi quid à Domino poſtulemus, ſtatim prodeunt illa opera, ſcilicet eleemoſynæ, ieiunia, & ſimilia, quæ pro nobis exorant, atque ſuo modo dicunt, *Dignus eſt, vt hoc illi praſtes.*

Eccl. 29.

Mala quoque opera, vtpote furta, periuria, & alia huiuſmodi, ſuas etiam edunt voces. Nam ſecundùm Gregorium, habent peccata ſuas voces, aſcendúntque ante conſpectum Domini: de

Gregor.

Ion. 1. de Niniuitis ſic Dominus ad Ionam; *Aſcendit malitia eorum coram me.* Hoc confirmat Dauid, dum Domino ſic ait: *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.* & apud Ieremiam: *Iniquitates noſtræ reſponderunt nobis*: vel iuxta tranſlationem Septuaginta, *reſtiterunt nobis.* Nam petentibus nobis aliquid à Deo, ſeſe opponunt peccata noſtra,& dicunt, *Non eſt dignus,vt hoc illi præſtes.* Si, verbi gratia, petis, vt Deus liberet te ab infirmitatibus, quibus vexaris, ſtatim prodeunt iniuriæ, quibus proximum affeciſti, dicentes, *Non eſt dignus, vt hoc illi præſtes.* Nam ſuum vexauit proximum, fratrem, vicinum, aut alium; bona illius retinuit, famam læſit, debita non ſoluit, petenti eleemoſynam denegauit. Videamus hoc in impio Antiocho, qui *orabat Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Cur non erat conſecuturus miſericordiam? quia peccata ab eo commiſſa reſtiterunt, ſeſéque oppobant. Audi Scripturam, *Quia multorum viſcera torſerat.* Illæ itaque vexationes, quibus alios premebat, reſtiterunt ei,ne miſericordiam conſequeretur, ac ipſo orante, dicebant Deo, *Non eſt dignus,vt hoc illi præſtes.*

Pſalm. 89. Ierem. 14. 2. Mach. 9.

Nónne & Caino dictum eſt? *Si malè egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*, vt ſcilicet reſiſtat tibi, & ſeſe opponat, ne poſtulata recipias. Occidit Abelem, & ecce vocem clamantem, dictúmque eſt ei; *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Si tunc Cain aliquid à Domino poſtulaſſet, ſine dubio illa vox clamaſſet, *Non eſt dignus, vt hoc illi præſtes.* Quicquid igitur agas, ſiue bonum, ſiue malum, habebit

Geneſ. 4.

ſuam vocem, & clamabit ad Dominum. Bonum veniam, & gratiam; malum verò vindictam, & pœnam tibi precabitur: & quantò fuerit grauius, tantò altiùs & vehementiùs vociferabitur. Audi Dominum apud Prophetam; *Cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra.* Si multa ſint ſcelera, multò magis, ſi grauia & fortia, fortiter clamabunt. Itaque, ſi bonum aliquod modicum & exiguum præſtiteris, & graue etiam aliquod delictum patraueris, vtrumque clamabit; ſed fortius præualebit. Verbi gratia, pauperi dediſti obolum, & alteri rapuiſti centum aureos. Quam vocem poterit emittere iſte obolus, vt exoret pro te? Nónne altiùs & fortiùs vociferabitur furtum centum aureorum? Aliquantiſper oraſti, & deinde Deum blaſphemaſti, proximo detraxiſti; fortiùs igitur clamabunt iſtæ tuæ blaſphemiæ, & detractiones, quàm illa oratiuncula, & dicent, *Non eſt dignus, vt hoc illi præſtes.* Modica illa bona opera quæ facis, poſtulabunt quidem, ſed obtinere non poterunt, quia grauiſſimorum tuorum peccatorum voces præuelabunt. Iſte autem Centurio veritus, ne vox ſuorum delictorum ad aures Chriſti perueniret, & poſtulata impediret, optabat, vt eam vox Chriſti præueniret. Ideo fortè ſic precabatur. Amos 5.

Sed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Id eſt, iube *verbo*, vnico verbo. Credibile eſt audiuiſſe Centurionem, quomodo Chriſtus leproſum non multo antè vnico verbo curaſſet, dicens, *Mundare*, indéque tantam concepiſſe fidem, vt idem in ſuo ſeruo facere poſſe non dubitaret.

Dic verbo. Quaſi dicat : Si verbo tuo non curetur ſeruus meus, actum eſt de illo: multa adhibui remedia; ſed nihil proficiunt, verbo tuo indiget. Idem de peccatoribus iudicium. Si verbo Dei, & prædicationibus non conuertantur, non eſt quòd ad alia remedia recurratur. Non enim ſunt eis optanda miracula; ſed Dei audienda
Serm. 15. verba, illáque facienda. Audi Chryſologum ad Dominum. Verbum tuum Domine ſanitas eſt; verbum tuum vita eſt. Ille igitur non vult animæ ſanitatem, non vult vitam, qui non vult audire verbum vitæ & ſanitatis.

Dic verbo, &c. Qui petit verbum miles erat, forte more militum verbum expoſtulabat, *il demandoit le mot.* Nam in arcibus, fortalitiis, acie, ac exercitibus datur verbum, quo milites, cuius ſint, agnoſcantur. Gentilis erat iſte Centurio, Chriſtum Ieſum eſſe Dei filium nondum agnoſcebat: ex nihilo omnia creaſſe, & quo verbo ad omnia creanda vſus fuiſſet, adhuc ignorabat: propterea, ad Chriſtum accedens petit, *Dic verbo.* Quaſi dicat: Dic quo verbo vſus es, quando hæc omnia condidiſti, quia hoc ipſo verbo poteris ſanare, quem dignatus es creare: eſto eodem verbo ſanator, quo fuiſti creator. Audiuit tandem illud verbum, quando ei dictum eſt, *fiat tibi ſicut credidiſti.* Per illud verbum (*fiat*) Deus omnia condidit, *fiat firmamentum,* &c. *fiat lux.* Dictum eſt ergo ei verbum à verbo.
Ibidem. Ponderans idem Chryſologus hæc verba, *Dic verbo*, ſic ſcribit. Et ſine verbo, quid dicitur? Sed iſte poſtulat verbum, non de loquendi vſu; ſed de virtute faciendi: verbum de quo dictum eſt;

miſit

miſit verbum ſuum, & ſanauit eos: quia iſte credidit in verbo omnes manere virtutes. Pater diuinus dixit verbum, quando produxit filium: filius dixit verbum, quando ſanauit hunc ſeruum; ait enim, *fiat tibi*,&c. Neceſſe fuit, vt hoc verbum à verbo promeretur, atque ita ab homine diuinum verbum agnoſceretur.

Dixit igitur Deus verbum homini, dicat & nunc homo homini verbum, vt noſcatur eſſe Dei militiæ. Sed quod eſt verbum quod à nobis requiritur? verbum confeſſionis. Confitere homo peccata tua, & dices verbum, quod à te poſtulatur. Ad hoc nos hortatur Propheta, *Tollite vobiſcum verba.* In quem locum ſecundùm Chryſoſtomum, ſic habet paraphraſis Chaldaïca, *Afferte vobiſcum verba confeſſionis.* Verbo igitur confeſſionis dignoſcitur homo, cuius ſit profeſſionis: ſi enim Chriſtianiſmum profiteatur, neceſſe eſt, peccata ſua confiteatur. Homo, hæc tantùm dic verba, & ſanabitur anima tua. Potuit Deus dare, & dedit verbum ſuum; potes tu dare verba confeſſionis. *Quid dicit Scriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Ore confitearis, corde conteraris, vt ſanari, & ſaluari merearis.

Oſee 14.

Hom. cùm presbyter eſſet deſignatus.

Deut. 30. Rom. 10.

Prudenter dicunt, qui cum Dauide dicunt: *Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.* Hoc in perſona peccatorum dicebat, quorum eſt non tantùm Deo confiteri peccata ſua, ſed & Sacerdoti, vt Deo pareamus præcipienti: ideo geminatur illud *Confitebimur.* Primò *Confitebimur tibi*: & quia præcepit Dominus, vt ad eos recurramus, quibus dictum eſt:

Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ideo addit aliud *Confitebimur.*

Dices: Quid prodeſt verbum verbo, id eſt, In Pſal. 94. Deo omnia ſcienti dicere? Reſpondet Auguſtinus: Confeſſio tua non illum docet, ſed te mundat. Subiungis: Quid ſaltem prodeſt verba, ſiue peccata mea pandere homini, quæ iam Tom. 9. lib. 2. de viſit. infirm. c 4. confeſſus ſum Deo? Audi eundem Auguſtinum. Sunt quidam, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua confiteri crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignantur oſtendere ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram diſcernere per legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario: nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur vicarium. Dic ergo & verbo, id eſt, Deo, & homini, ſcilicet Sacerdoti peccata tua: quia homo peccator es. Audi Centurionem talem ſe agnoſcentem.

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. Non à pari, vt nonnulli malè interpretati ſunt; ſed à minori ad maius argumentabatur Centurio: Si ego homo cùm ſim ſub alterius poteſtate, id eſt, ſub Chiliarcho, & ſub Imperatore conſtitutus, tamen quia ſub me milites habeo, dico huic, vade, & vadit; & alteri, veni, & venit; quantò magis tu, qui ſub nullius es poteſtate, poteris ſolo tuo imperio ſeruum meum curare? Diuus Chryſoſtomus perpendens illa verba Centurionis, credit illum ſibi repræſentaſſe

cœleſtem

cœleſtem quamdam militiam, cuius Chriſtus dux eſt, cui etiam ſubiiciuntur infirmitates, imò ipſa mors, & cætera huiuſmodi: ſic enim ſcribit. Imaginatus mihi videtur cœleſtem militiam, cuius Chriſtum ducem & Dominum eſſe credidit, cui etiam mortem ipſam, & morbos ipſos, cæteraque omnia ſic eſſe ſubiecta non dubitauit, vt milites, &c. Hom. 27. in Matth.

In acie bene ordinata datur vnus ſupremus dux totius exercitus: dantur & diuerſi milites diuerſa obeuntes munera, ac diuerſa gerentes arma: dantur etiam qui cogant milites ad præliandum, & fugientes coërceant, & qui delinquentes puniant. Ita Deus, qui ideo vocatur *Dominus exercituum*, ſe habet veluti dux militiæ huiuſce mundi. De illo & de eius militibus ſic Iob. *Nunquid eſt numerus militum eius?* Diuerſas habet creaturas, quæ omnes meliùs & promptiùs ei obediunt, quàm milites ſuo duci, de quibus creaturis dicitur, *Caſtra Dei ſunt hæc.* Ex illis quaſdam habet ad vindictam malorum. Audi Scripturam. *Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, ignis, grando, fames, mors*, &c. Et hæc omnia obediunt ei; vnde Pſalmiſta: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, faciunt verbum eius.* Iob. 25. Gen. 32. Eccl. 39. Pſalm. 148.

Expende illud, *faciunt verbum eius.* Venit, verbi gratia, ignis comburens domum tuam, ſegetes, & ſimilia, *facit verbum eius.* Non combureret ignis, niſi præciperet ſupremus dux Deus. Deſcendit grando, fulgura cadũt, omnia deuaſtant, atque ita *faciunt verbum eius.* Accidunt morbi prementes & diuexantes, venit mors de medio

tollens,cur hæc? *faciunt verbum eius.* Nihil eſt in his caſtris, nihil in hoc mundo, quod non faciat verbum eius. Vult igitur dicere hic Centurio: Domine, præcipiente te acceſſit infirmitas, qua puer meus malè torquetur, veniendo fecit verbum tuũ, *ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur,* &c. Dic, inquam, & verbo tuo obediet eadem infirmitas: te imperante acceſſit, te iubente recedet, hoc firmiter credo, propterea *dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. His verbis humilem ſe præbet: vnde ſic Bernardus. Quàm pulchrè, inquit, locutus eſt beatus ille Centurio, cuius fidei nulla par inuenta eſt in Iſraël? *Et ego,* inquit, *homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* Præmiſit, *Homo ſum:* priùs ſe agnouit hominem, quàm potentem, vt ſe iam implere oſtenderet, quod longè antè dixerat Dauid: *Sciant gentes, quoniam homines ſunt.* Aliter ſe gerunt homines huius ſæculi: ſi enim aliquid petant, aut dicant, ſtatim potentiam oſtentant: ego enim poſſum tibi paria reddere, diuitiis affluo, ſunt mihi amici, habeo parentes potentiſſimos, ſum nobili genere natus. Non ſic Centurio, humiliter enim loquebatur, ſuam imbecillitatem agnoſcebat, ac hominem ſub poteſtate conſtitutum ſe fatebatur: & licèt dicat habere ſub ſe milites, non iactantiæ cauſa hoc dixit, ſed vt oſtenderet omnia meliùs & promptiùs diuino nutui obedire, quàm milites ſibi.

Epiſt. 42. ad Henricum Epiſcop. Sen.

Pſal. 9.

Tanta præſtitit iſte Centurio, tantáque dixit, vt *audiens Ieſus miratus ſit.* Mirabatur præ-

cipuè eius fidem, illámque commendabat. Vnde exclamat Origenes : O fides viri ! ô confidentia militis ! ô chariſſime amice veritatis ! Te admiratur Dominus, tuam indeficientem magnificat fidem. Noſtra quoque fides laudaretur, ſi charitas illam comitaretur. Hom. 5. in diuerſ.

Mirabatur etiam Chriſtus, quia hic Centurio antè cœpit docere, quàm credere. Hoc adnotat Chryſolog. Videtis Centurionem antequàm diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterij fuiſſe ſortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit cauſas, virtutum commendat exempla, qui nondum Chriſtianæ ſcholæ ingreſſus eſt diſciplinam. Nondum Chriſtianus, Chriſtianè ſe gerebat, nondum fidelis, fideliter viuebat. Hunc itaque mirabatur Chriſtus. Ille Centurio nos pudefacit, qui nondum Chriſtianus, nondum fidelis, Chriſtianorum tamen & fidelium vitam ducebat : nos verò qui Chriſtianum nomen profitemur, quaſi Ethnici & infideles, ne dicam veluti bruta, ſæpe viuimus. Serm. 15.

Quæritur, quomodo Chriſtus Ieſus ſit miratus, cùm admiratio de rebus inſperatis, teſte Auguſtino, naſci ſoleat ? Cùm ergo fides, & omnia, quæ erant in Centurione, eſſent Chriſto exploratiſſima, non eſt illa admiratus. Reſpondent aliqui, Chriſtum miratum fuiſſe ſecundùm ſcientiam experimentalem, quam in eo ponunt Theologi, & quam illum nouis rebus acquirere poſſe dicunt, quemadmodum ait Paulus, *Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Alij exiſtimant ita Chriſtum mirari dici, ſicut Lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 8. D. Thomas 3 part. qu. 15. art 8. Hebr. 5.

iraſci dicitur Deus, non quòd reuera iraſcatur; ſed quòd puniat, quod homines irati facere ſolent. Sic Chriſtus miratus dicitur, non quòd formaliter miratus; ſed quòd ad modum mirantis locutus ſit.

Ibidem. Vel dico, *miratus eſt*, id eſt, acta Centurionis mirari docuit. Ita explicat Auguſt. Quod mirabatur Dominus noſter, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc eſt opus ſic moueri. Et alibi ſic ſcribit. Chriſtus, qui omnia præſciebat, quod mirandum aliis commendat, mirando laudabat. Vult igitur Dominus, vt miremur, & admirando imitemur virtutes Centurionis, ſcilicet, fidem, charitatem, humilitatem, prudentiam, &c. Admirandus erat iſte Centurio, quia cùm eſſet Gentilis, non tantùm ipſe venit ad Chriſtum, ſed & Iudæos mittebat ad Chriſtum. Audi Lucam, *miſit ad Ieſum ſeniores Iudæorum*. Qui mittit Iudæos, mittet & nos ad Chriſtum, ſi eum imitemur. Et ſicut illum miratus eſt Dominus, ita & nos mirabitur: ſi autem habeamus Dominum nos admirantem, illum habebimus remunerantem. Concludat igitur Chryſolog. Centurionem imitetur, qui ad centeſimum fructum peruenire deſiderat.

Lib. 1. cont. aduerſ. leg. & Prophet. cap. 7.

Luc. 7.

Loc. cit.

FERIA

FERIA SEXTA POST CINERES.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, &c. Matth. 5.

QVOD caſtum, purum, & iuſtum eſt, non pigeat audire: huiuſmodi ſunt verba diuina, de quibus Pſalmiſta ſic ait: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Pſal. 11. Vide Domini eloquia aſſimilari argento igne purgato; debent enim ab omnibus, etiam longè diſtantibus percipi & adimpleri. Dum conflatur & conficitur cymbalum, ſiue campana, vt eminus ſonus eius diffundatur, neceſſe eſt, vt ei argentum infundatur; quia, ſi argentum non miſceatur, non poterit à longè diſtantibus audiri: ſic, ideo diuina eloquia, ſiue præcepta argentum appellantur, quia Deus vult, vt etiam à longè diſtantibus percipiantur, & adimpleantur. Simile.

Conflauerant olim Phariſæi campanam, ſed

non ex argento charitatis:legem, inquam, condiderant de diligendis amicis, & odio habendis inimicis. De ſono illius campanæ ſic Chriſtus: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Amici tantùm & propinqui percipere poterant huiuſmodi ſonum; id eſt, ab illis Phariſæis duntaxat diligebantur, qui eis vel neceſſitudinis vinculo, vel conſanguinitate, aut affinitate iungebantur. Chriſtus autem vult, vt hodie ſuam audiamus campanam, quæ cùm ſit ex argento charitatis conflata, ab omnibus etiam longè diſtantibus, id eſt, tam amicis, quàm inimicis percipitur. Audi eius ſonum: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, &c. Vnde Serm.61 de temp. Diuus Auguſt. Ipſa, inquit, eſt vera, & germana charitas, quæ non ſolùm vſque ad amicos, ſed etiam vſque ad ipſos peruenit inimicos.

Audiſtis, &c. Obſerua, Dominum ſermonem, ſiue præceptum de diligendis inimicis inchoaſſe per verbum, *Audiſtis.* Nam ferè omnia odia, iurgia, rixæ, inimicitiæ, & querelæ oriuntur ex his quæ audimus, & quæ facillimè credimus. Dic, amice, cur hunc hominem odio habes? Cur ei non loqueris? Cur ſalutationem denegas? Quia, inquis, de me malè locutus eſt: mihi iniuriam intulit. Quomodo hoc ſcis? Relatu: ergo *audiſti.* Et quod audiſti, non attendiſti. Nam ſæpe variantur, quæ nobis de aliis dicuntur, nec ſemper eo animo, quo ab aliis dicta ſunt, referuntur. Vnde optimè monet Seneca. Lib. 2. de Ira. cap. 29. His quæ nobis narrata ſunt, non debemus citò credere. Multi

ementiuntur, vt decipiant:multi, quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur voluiſſe factam. Qui dicere tibi, niſi clàm non vult, penè non dicit. Nihil dicit contra te, qui non audet dicere coram te. Interdum plus nocent tibi præſenti referentes, quàm tibi abſenti detrahentes: quia ſecundùm Auguſtinum, quando tibi aliquis abſenti detrahit, non audis, nec ſentis. Audis tantùm referentem, qui arguere debuerat detrahentem. Deinde, dum tibi aliqua referuntur, tunc fortè habes laudatorem, quem priùs habueras detractorem. Non cures igitur audire, quid de te dicatur, ne animus iraſcatur. Non expedit, ait Seneca, omnia audire, omnia videre: multæ nos iniuriæ tranſeunt, ex quibus pleraſque non accipit, qui neſcit. Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus. Qui inquirit, quid in ſe dictum eſt, ipſe ſe inquietat. In Pſal. 92. Lib. 3. de Ira. c. 11.

Audiſtis. Dicet quis, non à referente, ſed ab ipſo laceſſente & detrahente audiui. Quid audiſti? opprobria in me, contumelias, & conuitia. Eſto; debes iuxta eiuſdem Senecæ cõſilium, naturam, voluntatémque conuitiantis excutere. Nam ſi puer eſt, inquit, ætati donetur; neſcit, an peccet. Mulier eſt, errat. Læſus eſt; non eſt iniuria pati, quod prior feceris. Malus eſt; noli imitari: dabit pœnas alteri, quas tibi fecit. Si itaque hactenus referentibus, vel ipſis detrahentibus aures præbueris, & relata ſiue relatis citò credideris; fac in poſterum, vt Chriſtum audias perſonantem, ſimúlque præcipientem, eíque acquieſcas. Ecce ſonus eius. Ibidem.

Ego

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos veſtros. Sunt hæc Chriſti verba, licèt ardua videantur, audienda, non Phariſæorum mandantium diligere amicos, & odio habere inimicos. Nulla eſt creatura, quæ creatori non obediat : audebítne homo ei non obtemperare ? Primò, Angeli ſtatim executioni mandant quicquid eis à Deo præcipitur. Placuit olim Domino magnam Aſſyriis cladem inferre. Iubetur Angelus id perficere, qui ſtatim vnius noctis ſpatio centum octogintaquinque hominum millia interemit in caſtris Aſſyriorum. Placet eidem Domino, vt Angeli nos tueantur & protegant, quod & perficiunt & adimplent, non quòd mereamur,
Pſalm 90. ſed quia id eis præcipit Dominus. Nam *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te,* &c. Quod
In hunc Pſalm. admirans & expendens Bernardus, ſic ſcribit. Quis mandauit? Cuius ſunt Angeli? Cuius mandatis obtemperant ? Cuius obediunt voluntati? Summa Maieſtas Angelis, & Angelis ſuis mandauit. Illis vtique ſublimioribus, &c. Dum illis Deus mandat, præſtò ſunt. Vt iungaris conſortio horum ciuium ſupernorum, neceſſe eſt, vt Regi obedias Angelorum, ait enim ; *Diligite inimicos veſtros.*

Et non tantùm Angeli Deo obediunt ; ſed & ipſa animantia rationis expertia diuinam vo-
Dan. 14. cem audiunt, eíque parent. Teſtes ſint leones in quorum lacum miſſus fuerat Daniel, quem non ſunt auſi attingere, ne viderentur Dei prohibitionem infringere : cibaria eis nòn dabantur, & tamen famelici Danieli blandiebantur : & quod mirabilius eſt, præſentibus & vi-

dentibus

dentibus leonibus fameſcentibus comedebat Daniel cibos ab Habacuc Propheta iuſſu Dei allatos. Hoc mirabatur Ambroſius, ſic exclamando. Quàm inſuperabilis Daniel, qui circa latera rugientes non expauit leones: Fremebant beſtiæ, & ille epulabatur: famem leones patiebantur, manducantem intuebantur, & tamen ex eis quicquam aſſumere, aut Danieli nocere non audebant. Quare? quia à Domino prohibebantur. Cur iniuriam non pateris, & tibi nocentes non diligis, cùm audias leones maluiſſe famem ferre, quàm Prophetæ vel minimum nocumentum inferre? Qui hoc leonibus prohibebat, nunc nobis hæc præcipit; *Diligite inimicos veſtros.* Lib. 1. Offic 35.

Etiam creaturæ ſenſu vitáque carentes Deo obediunt. Audi mirantes: *Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei?* Naturaliter ignis aſcendit ſurſum; tamen præcipiente Domino deſcendit deorſum ſuper Pentapolim. Idem Dominus præcepit igni Babylonico, ne três pueros in eum coniectos abſumeret, & illicò vim continuit, *& non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Quod expendens Chryſoſtomus, ſic ſcribit. Non agnouit ignis naturam ſuam, ſed pietati exhibuit reuerentiam. Vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem mirabilem! vinctos ſoluit flamma, & ipſa à vinctis vincta eſt; vt & elementi diſcas obedientiam. Matth. 8. Gen. 19. Dan. 3. Hom. 4. ad pop.

Præterea ſilex percuſſus naturaliter dat ignem, non aquam: veruntamen ex quadam petra, iuſſu Dei à Moyſe percuſſa, aquam, non ignem Exod. 17.

cma

emanaſſe legimus. Audi præceptum; *Percuties petram, & exibit ex ea aqua.* Vide Moyſem percutientem, & petram obedientem, & aquas
Num.20. præbentem. *Cùm eleuaſſet Moyſes manum, percutiens bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Petram hanc adhuc perdurare, & aſſiduè fundere aquas, tradunt Coſmographi, vt teſtatur Toſtatus. Dico itaque, Domino iubente, ignis præter naturam deſcendit, vim comburendi cohibens tribus illis pueris pepercit: mare, & venti Domino obediunt, & ſolus homo non obediet? Ne te pudefaciant omnes illæ creaturæ diuino nutui parentes, etiam in his quæ videbantur impoſſibilia; eſto tu diuinæ voci obediens, quamuis tibi arduum & difficile præcepiſſe videatur. Noli attendere quod præcipitur, ſed qui præcipit: Deus enim eſt, qui ait.

Ego autem dico vobis, &c. ſi Dominum diligeremus, illúmque cultu, & veneratione proſequeremur, verba illa vtique executioni man-
2. Reg. 18. daremus. Regnum Dauidis per tyrannidem occupare tentauerat filius eius Abſalom, iam exercitum comparauerat, imò iam initum erat certamen. Accidit autem, vt mulus, quo vehebatur Abſalom, ingrederetur ſubter condenſam quercum, cui caput eius adhæreſcens, ſuſpenſus remanſit. Hoc cùm videret quidam miles, nunciauit Ioab, dicens: *Vidi Abſalom pendere de quercu.* Cui Ioab: *Si vidiſti, quare non confodiſti, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & vnum balteum?* Miles autem reſpondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem*

manum

manum meam in filium Regis: audientibus enim nobis præcepit Rex: Cuſtodite mihi puerum Abſalom. Non erat ille occidendus, qui iuſſu Regis erat cuſtodiendus. Mortem quidem merebatur Abſalom. Finis bello imponeretur, ſi ipſe de medio tolleretur: occidenti Abſalomem promittitur præmium.

At verò miles memor regij mandati, omnia præmia parui pendebat, atque hoc vnum obiiciebat, *Rex præcepit.* Quaſi diceret: niſi Rex dixiſſet, *Cuſtodite mihi puerum Abſalom*, ſanè tantum parricidam interfeciſſem: ſed quia Rex prohibuit, ego occidere nolui. Parcebat quidem miles, quia patris vocem audierat: ſed non parcebat arbor, Abſalomem detinens, quia Dei iuſſa perficiebat. Præceperat Dauid vt cuſtodiretur: ſed iuſſerat Deus, vt ab arbore detineretur: obediuit miles Regi, & arbor Deo. Hæc obſeruauit Diuus Chryſoſtomus, dum ſic Abſalomi loqueretur. Adeſt arbor in campo ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, rapiat properantem. Adeſt, inquam, arbor, quæ nec patrem, vt tibi parcatur, audiuit, & iuſſa Dei inſtanter implere contendit. Ita, licèt inimici tui ob iniurias tibi illatas grauiſſimam mereantur pœnam, multíque ſint, qui te ad vindictam prouocent, tanquam tibi, vel tuo honori profuturam; non debes tamen illos audire, ſed Dominum dicentem: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Quaſi dicat: Scio quid vobis fecerint: noui quando ſint puniendi qui à vobis nunc ſunt diligendi. Præcipiente olim Dauide, ne occideretur Abſalom; ego præceperam arbori

Hom de Abſal. perſ. patr. tom. 1.

arbori

arbori vt illum detineret. Quos tibi mando vt diligas, quibuſdam forte creaturis mandabo vt puniant. Nondum venit tempus punitionis, ſed dilectionis, velles illum puniri, quem volo diligi. Quid tibi expediat, noui: reſtat vt adimpleas quod mandaui. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Non tantùm amicos, ſed & inimicos.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Nobis hodie Chriſtus tres ſalutiferas pilulas ſumendas proponit, & ordinat. Prima eſt: *Diligite inimicos veſtros.* Secunda: *Benefacite his, que oderunt vos.* Tertia: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Tria, inquam, nobis præcipiuntur, *Diligite, Benefacite, Orate.* Pilulæ abſorbendæ ſunt, non guſtandæ, aut dentibus comminuendæ, ne prægustetur amaritudo. Sic huiuſmodi præcepta non ſunt examinanda, ſed adimplenda: illum tantùm conſideremus, qui eas ordinauit & præcepit. Ad hoc nos hortatur Auguſtinus. Attende Chriſtum medicum ægritudinis tuæ. Conſidera medicum, non medicinam, quæ licèt ſit amara, tamen eſt profutura; illam tibi tam bonus medicus non præciperet, niſi ſalutem tibi allaturam agnoſceret.

Serm. 1. de S. Stephano.

Nonnulla autem ſunt obſeruanda, vt faciliùs abſorbeantur pilulæ. Primò, erigendum eſt caput, & ſurſum ſpectandum, vt collo erecto citiùs & expeditiùs deglutiantur. Ita, facili negotio diliget quis inimicum, ei benefaciet, orabitque pro eo, ſi ſurſum, id eſt, cœlum reſpiciat.

Pro

Propone tibi vnum Stephanum, qui dum ſaxorum crepitantium turbine quateretur, *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Cur tam libenter hæc pertulit? Cur has lapideas pilulas non abhorruit? quia *erat intenden. in cœlum.* Surſum intuebatur, qui deorſum patiebatur. Non intendebat in lapides, aut in lapidatores: ſed in cœlum, quod iam ei aperiebatur, quia pro lapidantibus deprecabatur. Facilè dimittes, quæ tibi fiunt in terris, ſi cogitaueris, quæ tibi præparantur in cœlis. Adſtipulatur Chryſoſt. Facillimè iniuriam ferre poteris, ſi tantùm in cœlum reſpicias. Audi & Diuum Baſilium. Affecit te aliquis iniuria? tu ad eam ſuſpice gloriam, quæ repoſita in cœlis eſt. Quid prætereca ſit agendum ad facilius degluttiendas pilulas, precor attende. Act. 7 Hom. 78. ad pop. Hom. de grat. act.

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Ad hoc vt pilulæ palato, gutturique arrideant, & quadam cum ſuauitate ſumãtur, neceſſe eſt, ſaccaro, aut alia re dulci obuoluantur, & obducantur. Vide nunc Chriſtum medicum noſtrum has pilulas dulciſſimè nobis obducentem, & deaurantem, quo facilius & libentiùs ſumere valeamus, ait enim: *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quid his verbis dulcius? Quid aliquam obtendis amaritudinem, qui tantam ſentis dulcedinem? Quis has pilulas tanta dulcedine obductas non deglutiet? Quis, inquam, pro hac filiatione diuina acquirenda inimicos non diliget, eis benefaciet, aut pro eis orabit? Non eſt tantum præmium parui pendendum.

Nam Chriſtus ipſe, licèt ab æterno ſit Dei filius per diuinam generationem, voluit adhuc

in tempore hanc habere filiationem, quæ adſiſcitur per inimicorum dilectionem; & illam ſibi acquiſiuit, quando in Cruce pro inimicis orauit, *Pater ignoſce illis*: vt vel ſaltem à Iudæis agnoſceretur Dei filius, pro inimicis veniam à Patre petendo, qui tamen eſt & erat æternus & naturalis Dei filius à Patre procedendo. Vnde
Serm. 50. de verb. Dom. meritò Diuus Auguſtinus taxans Iudæos ſic ſcribit. In hoc maximè innotuit Iudæorum cæcitas, dum ipſum pro inimicis orantem non agnouerunt.

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Chriſtus non tantùm exhibuit ſe in exemplum inimicos diligendo, eiſque ignoſcendo, ſed & mercedem ſpopondit, vt aut illius exemplo, aut mercede propoſita inuitaremur ad veniam. Hoc obſer-
Lib. 5. in Luc. cap. 6. uauit Ambroſ. Quoniam, inquiens, virtutum ſtudia ſine remuneratione torpeſcunt; & exemplum nobis Chriſtus attulit, & mercedem ſpopondit è cœlo, filios Dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores eius. Habes, homo, penes te, vnde poſſis fieri Dei filius. Hoc tibi aſſerit
Serm. 71. Diuus Chryſologus. Homo, penes te eſt poteſtas veniæ; in te eſt indulgentiæ ius. Ille poteſt Dei filius euadere, qui poteſt inimicis ignoſcere.

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, &c. Ex duobus tantùm hominibus iurauit Dominus naturalem ſuum filium ſecundùm carnem naſciturum, nempe ex Abraham, & poſtmodum ex Dauid. Abraham tantam promiſſionem accepit, cùm proprium filium Deo litaturus accepit. Sed quid magnum Dauid præſtitit Deo,
quo

quo promereretur ſimilem promiſſionem: Quia inimicos dilexerat, eiſque pepercerat. Non enim minoris eſt meriti, inimicum diligere, quàm proprium filium offerre. Audiamus Rupertum egregie hæc omnia tractantem. Ratio, inquit, docet non multò minoris fuiſſe meriti pepercisse inimico propter Deum, quàm non pepercisse vnigenito filio. Hoc fecit Dauid inimico ſuo infenſiſſimo quærenti animam ſuam, inimico Regi, cuius regnum ſine dubio ſe ſuſcepturum eſſe ſciebat. Ob hanc maximè cauſam iuratum illi eſſe arbitramur, quòd ſemen, vel caro eius aſſumenda eſſet in filium Dei: quia maximè cauſa iſta facit filios Dei, ſicut teſtatur Dominus cùm dicit: *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri*, &c. Ille in filium Dei aſſumitur, à quo inimicus diligitur. Vnde Tertullianus. Vide quem nobis Patrem patientia acquirat. Ergo, *Diligite inimicos veſtros:* Lib. 4. de victor. verb. Dei. cap. 27. Lib. de patient.

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Notanter dixit; *qui in cœlis eſt*, ad differentiam illorum patrum, qui in terris ſunt, qui parcere neſciunt. Cœleſtis autem Pater ille eſt, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Quis magis pater terrenus, quam ille Abrahami Iſaaco & charo, & vnico ſenectutis filio? Tamen dictum eſt ei; *Non pepercisti vnigenito filio tuo.* Hunc iugulaturus gladium pater exerit: ſed perimendus filius à patre, liberatur à Deo. Hoc expendens Diuus Zeno ſic ſcribit. Religioſus carnifex ſtringit gladium. Patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit. Gen. 22. Serm.

Nota etiam, quòd ſi tunc Abraham filium

ſitum occidiſſet, meruiſſet, quia Deo paruiſſet. Nam dixerat ei Deus: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: & offeres eum ibi in holocauſtum*, &c. Quando pepercit, meruit, quia etiam adimpleuit præceptum Dei dicentis: *Ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Durum erat Abraham proprium, vnicum, & dilectum filium iugulare: verùm vrgente diuino præcepto, vicit ille filij reluctantem affectum; vnde exclamat Chryſoſtomus. O religioſam animam! ô fortem mentem! ô ingens robur animi! ô rationem, omnem humanæ naturæ affectum vincentem! Tradunt Hebræi, tunc Abrahamo apparuiſſe dæmonem ſpecie angelica, cúmque grauiſſimis verbis deterruiſſe ab immolando, tanquam à re impia & crudeliſſima, ac Dei voluntati contraria. Quibus quidem Hebræis videtur fauere Paulus, dum ait; *fide Abraham obtulit primogenitum Iſaac, cùm tentaretur*, ſcilicet à diabolo, inquiunt ipſi.

Hom. 48. in Gen.

Dico itaque, non obſtante diabolica tentatione, ac naturali in filium dilectione, diuinæ tantùm Abraham obtemperabat iuſſioni, non quod præcipiebatur, ſed qui præcipiebat, attendebat. Semper apud ſe cogitabat, ac mente reuoluebat hæc verba: *Tolle*, &c. *& offeres.* Et cùm iam manum leuaſſet, audiuit aliud præceptum: *Ne extendas manum tuam*, &c. Ad Dei mandatum manum leuauit, & manum contraxit. Quod tanti fecit ipſe Deus, vt dixerit ei: *Per memetipſum iuraui: quia feciſti rem hanc, & non peperciſti vnigenito filio tuo propter me, benedicens*

bene

benedicam tibi, &c. *quia obediſti voci meæ*, &c. Si filij Abrahæ ſimus, opera Abrahæ faciamus, vt filij Dei efficiamur. Concedo: durum eſt inimicos diligere, eis benefacere, pro eis orare: ſed audi dicentem; *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, &c. Qui nobis hoc præcipit, filium Abrahamo immolare præceperat: non reluctabatur ille, non reluctemur & nos; obediebat, inquam, Abraham voci Dei, obediamus & nos: non enim tam arduum eſt diligere inimicum, quam proprium immolare filium. Huius itaque diuinæ filiationis probatio, eſt inimicorum dilectio. Cœleſtis Pater agnoſcitur bonos & malos illuminando: huius Patris agnoſceris filius, amicos & inimicos diligendo. Vt igitur eius filius ſis & appelleris, neceſſe eſt vt eum imiteris.

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Sapienter Dominus Solem proponit: ſicut enim ex Solis conſpectu probantur pulli Aquilarum an ſint degeneres: ita ex imitatione Solis, qui æquali lumine veſtit hoſtes & amicos, probantur degeneres filij Dei. Præterea Dominus ait, *Solem ſuum*, licèt omnia Dei ſint, ſuaque appellare Deus poſſit; tamen ſuum vocat Solem, vt oſtendat quòd bonis & malis, non de alieno, ſed de ſuo & proprio dat Dominus, vt diſcas inimicis benefacere de his quæ tua ſunt. Addit & Dominus quod hunc Solem ſuum *oriri facit*. Quaſi dicat: Sol non ex ſe oritur, ſed Deo præcipiente: quia ſi ſuæ naturæ relinqueretur, nequaquam ad illuminandos malos oriretur: tamen

Deo illi præcipiente, omnes æqualiter illuminat. Ita licèt non inclinemur ad diligendos inimicos, & ad benefaciendum eis, videaturque natura repugnare: tamen debemus omnes etiam inimicos æqualiter diligere, eíſque benefacere, hac tantùm de cauſa, quia hoc præcipit, hoc vult Dominus.

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Quid dicis Domine Ieſu: Te pendente in Cruce Sol obſcuratus eſt: non illum tunc Pater cœleſtis fecit oriri ſuper iniuſtos crucifigentes te. Reſpondendo dico, quòd, ſicut lucente, ac noſtrum horizontem illuminãte Sole, cætera aſtra micare ceſſant, ac videntur pati eclipſim: ita, quia tunc Chriſtus Sol Iuſtitiæ micabat, ac ſuos radios emittebat, obtenebreſcere fecit alium Solem. Vide radiantem diuinum hunc Solem, *Pater ignoſce illis.* Aſpice, inquam, Solem illum in Cruce orientem ſuper bonos & malos, ac pluentem ſuper iuſtos & iniuſtos, id eſt, ſanguinem ſuum fundentem pro omnibus tam iuſtis, quàm iniuſtis. Non mirum igitur, ſi lucente tanto Sole, alterius lumen non appareat. Non tantùm cœleſtis Pater Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: ſed & ſuum filium oriri & naſci, imò mori, pati fecit pro iuſtis & iniuſtis. Tibi etiam inimico non denegauit Pater ſuum filium, nec filius ſuum ſanguinem, & tu inimicis tuis denegabis dilectionem?

Qui ſuum tibi dat Solem, qui mittit ad te pluuiam, qui proprium tibi dedit filium, dabit & ſeipſum, ſi tuum diligas inimicum. Audi
In Pſal. 32. Auguſtinum. Qui etiam malis præſtat Solem,
præſtat

præſtat pluuiam, præſtat fructus, fontes, vitam, ſalutem, ſeruat tibi aliquid, quod non det, niſi tibi. Quid eſt autem quod tibi ſeruat, niſi ſe? Quaſi dicat: Omnibus quidem Solem, pluuiam, & cætera præſtat, ſed præter huiuſmodi, dat ſeipſum diligentibus inimicos. Habebis igitur quod tibi ſeruat, ſi quod mandauit obſerues.

Cæterùm talis tibi erit Pater ille cœleſtis, qualis eris tu proximo tuo. Hoc meliùs intelliges, ſi animaduertas te eſſe ſub cœlorum concauitate. In concauitatibus autem & conuallibus, ac locis concameratis formatur Echo, quæ nihil aliud eſt, niſi ſoni, vel vocis repercuſſio. Vide itaque quid de tuo inimico dicas, quia per meritiſſimam repercuſſionem idem planè à Deo dicetur de te. Si enim, verbi gratia, de inimico dicas: *Nunquam ei ignoſcam: eique non benefaciam: vir eſt peſſimus: non curo illum videre, nec alloqui: ſatagat rerum ſuarum.* Similia pro certo verba de te cœleſtis Echo referet & repercutiet, & quod inimico te facturum promittebas; tibi ipſi & dicetur & accidet. Dicis de inimico: Nolo ei ignoſcere, nolo illum diligere, nolo illum videre. Et Chriſtus de te iuſtiſſima reflexione ſimilia dicit. Et contrà, ſi dicas: Parco, vel, Pater ignoſce illi: ſimiliter Chriſtus reciprocas dabit voces de te. Videamus has repercuſſiones in ipſo Euangelio; *Dimittite*, ecce vox; *& dimittitur vobis*, ecce Echo. *Date*, ecce vox; *& dabitur vobis*, ecce Echo. *Eadem quippe menſura qua menſi fueritis*, en vox; *remetietur vobis*, en Echo. Concludit & affirmat Chriſtus alibi has reflexiones & repercuſſiones, dum ait; *Sic & Pater meus cœleſtis* Matth. 18.

Luc. 6.

faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Vides hic non tantùm agi de vocis repercuſſione, ſed & de affectuum reciprocatione, vt talem ſe exhibeat Pater cœleſtis erga te, qualem te exhibueris erga proximum. Huc ſpectabat Auguſtinus, dum Chriſtum ſic loquentem inducebat. Si prior dimiſi, dimitte: nam ſi non dimiſeris, reuocabo te, & quicquid dimiſeram replicabo tibi.

In illa verba Apoſt. [illegible]

Præterea, libentiùs quis ſpe recuperandæ ſanitatis pilulas, quamuis amaras, abſorbebit. Vis videre, quid ex inimicis conſequaris, ſi eos diligas, eis benefacias, & pro eis ores? Audi Scripturam: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Si habeas inimicos, illis curaberis, ſi illos dilexeris: ideo permittit Deus, vt te vexent, atque hoc pacto te curent. Audi Gregorium. Iuſtus Deus, & ſuos permittit temporaliter opprimi, & violentorum malitiam nequiter augeri, vt dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia conſumatur. Das medico pecuniam, quamuis amara iniungat; Deo ſaltem gratias agas, ſic hæc tibi licèt amara præcipiat. Amarum eſt odientem diligere, malefacienti benefacere, & pro perſecutoribus & calumniatoribus orare: verùm, teſte Hieronymo, artis medicorum eſt, per dolorem reddere ſanitatem. Sit tibi ſpes conualeſcendi, occaſio inimicos diligendi.

Luc. 1.

Lib. 26. Mor. 14.

In cap. 5. Iob.

Scito, neminem poſſe ſalutem æternam conſequi, & cum Chriſto regnare, qui calicem eius non biberit. Vide, quid tibi dicatur per Ieremiam: *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent*

Ierem. 49.

rent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris? Tu ſolus velles remanere ſine calice, ſine inimicis, ſine perſequentibus & calumniãtibus te, ſine medicina, ſine pilulis, ſine purgatione? Infirmaris, & non vis curari? Tu nullum ſumis calicem, nullam tuis manibus ſumis medicinam, id eſt, nullis ieiuniis carnem tuam affligis, nullis flagellis maceras: humi non cubas: cilicium reſpuis: imo voluptatibus indulges: omnia vis habere ad nutum, temporalibus bonis abundare quæris. Cùm igitur tuis manibus calicem ſumere recuſes, Deus tibi compatiens porrigit, quando te per inimicum perſequentem corrigit: purgat, dum permittit vt in te aliquis inſurgat. Vnde Auguſt. Quid plangis? medicina eſt, non pœna: caſtigatio, non damnatio. In Pſal. 102.

Qui igitur certa bona opera negligit, aut adimplere non poteſt, ignoſcere ſaltem & benefacere inimicis non recuſet, vt ſalutem, quam alij aliis bonis operibus obtinent, ipſe eam, inimicos diligendo, eiſque benefaciendo, & pro eis orando, conſequatur. Ad hoc hortatur Beatus Cæſarius. Qui captiuos redimere, & pauperes paſcere, vel veſtire non præualet, contra nullum hominum odium in corde reſeruet, & inimicis non ſolùm malum pro malo non reddat: ſed etiam diligat, & pro eis orare non deſinat, certus de miſericordia, vel de promiſſione Domini ſui; libera conſcientia ante tribunal dicere poterit: Da Domine, quia dedi: dimitte, quia dimiſi. Expende (*certus de miſericordia*) Qui haurit medicinam, non eſt tam certus Cæſarius.

de ſanitate corporali, ſicut ille certus eſt de æterna ſalute, qui inimicos diligit, eis benefacit, & pro eis orat. Sunt itaque inimici veluti medicamentum, quo Deus vtitur ad purgandum eos, qui alia bona opera non exercent. Patienter igitur ferto quicquid ab inimico tibi infertur; quia ſic tibi animæ ſanitas confertur. Velles ab inimicis liberari, ſed non vult Deus te liberare, cùm ita velit te curare. Accipe
In Pſal. 21. Auguſt. Sub medicamento poſitus vreris, ſecaris: clamas, non audit medicus ad voluntatem; ſed audit ad ſanitatem.

Hac ratione ductus Dauid noluit permittere, vt de Semei ipſi conuitiante, & crimina obiiciente ſumeretur vindicta: ſed quibuſdam
2. Reg. 16. vlciſci volentibus dixit: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Non ſolùm illis conuitiis Dauid non offendebatur: ſed illis potius delectabatur: & ea exoptabat, pro quibus ſibi veniam reddendam arbitrabatur. Ita ſentit
Lib. 1. Off. c. 48. Ambroſius. Expetebat Dauid maledici ſibi, quia maledicto illo diuinam exquirebat miſericordiam. Videbat enim ſibi plurimùm profutura illa conuitia & obiecta crimina, ſi patienter ferret. Idcirco vetuit, inquit Bernadus,
Serm. 34. in Cant. prohiberi maledicum, quæſtum æſtimans maledicta.

1. Reg. 25. Vnde idem Dauid cùm vellet aliquando à peſſimo Nabale pœnas exigere, & ſibi ac ſeruis ſuis iniuriam ab eodem illatam vindicare, à prudente Abigail placatur, dum eum ſic alloquebatur:

batur: *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal*. Conſulit hæc mulier Dauidi, vt de Nabale non ſumat vindictam, imò potiùs illum diligat. Quod vt ſuaderet, duabus vtebatur rationibus, quarum prima hæc eſt: *Quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt.* Et non tantùm iuxta nomen ſuum ſtultus erat, ſed & propter iniuriam ſeruis Dauidis irrogatam nomen ſtulti merebatur. Dum enim quis iniuria alium afficit, vel odit, ſtultus eſt. Nam, teſte Baſilio, ira breuis inſania eſt. Breuem vocat, ſi citò tranſeat, fiet autem longa, ſi diu maneat. Interrogatus Auſonius, quid ſtulti proprium eſſet, reſpondit, *velle nocere*. Cùm igitur iſte Nabal verbis contumelioſis Dauidi nocuerit, ſtultus erat, & quicumque etiam te iniuria afficit, delirat, & inſanus eſt. Hom. de Ira.

Si aliquis ex ſtultis, quos hoſpitale amentium continet, te iniuriis vel contumeliis laceſſeret, poneréſne cor tuum ſuper illum? Certè eum tanquam amentem relinqueres, illúmque tibi non poſſe nocere crederes. Scito hominem tandiu delirare, quandiu tibi iniurius eſt, ac te odio proſequitur. Si itaque vlciſcaris, vide ne & tu ſtultus efficiaris. Sufficiat mundo infinitus ſtultorum numerus. Moleſtum tibi ſit, ſicut & Euripidi, ſtulteſcere cum ſtultis. Noli inquam vindicta fieri ſtultus. Simile.

Diligenter notanda ſunt verba Sapientis, *Expedit magis vrſæ occurrere, quam ſtulto.* Vrſo ſtultus comparatur: quia ſtultitia per vrſum adumbratur. Tradunt Ariſtoteles & Plinius, vrſum caput habere valdè infirmum, & imbecille, Prou. 17. De hiſt. animal. lib. 9. cap. 1. Lib. 8. c. 36.

cille, adeò vt in caput proruens, vel leuiter exturbatis ſenſibus dementetur. Vnde tanta ſtulto dementia, vt leuioris cuiuſdam verbuli ictu dementetur, & in ſuum proximum inſaniat? Sanè non aliunde, niſi ex capitis imbecillitate, id eſt, ex ſtultitia. Ille ſine dubio dolet capite, qui ſæuit in ſuum proximum.

Adhæc, vrſus furore percitus lapides à tergo iacit, non ſatis obſeruans, in quem mittat. Similes ſunt vindicantes, aut alios iniuria afficientes: neminem verentur, in quemlibet ſuum effundunt furorem. Vrſi, aut ſimiles vrſo, ac
2.Reg.16. proinde ſtulti extiterunt Semei, & Nabal: ille,
1.Reg.25. dum lapides in Dauidem Regem mittebat, & regiam dignitatem non attendebat: hic verò, dum de eodem Dauide ſic irreuerenter loquebatur; *Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai?* Stultus ergo habebatur; quia tam pium Regem offendere non verebatur, Stulti quoque ſunt, qui proximo, ſiue inimico nocendo, Deum ſe offendere non animaduertunt.

Denique, teſte Solino, vrſus vulneratus iram diutiùs alit, adeò vt poſt aliquot menſes, imò etiam annos vulnerantem agnoſcat, atque in magna multitudine venatorum illum adoriatur. Sanè vrſo in hoc illi ſunt ſimiles, qui fouent & diutiùs nutriunt vindicandi deſide-
Eccl. 7. rium, ac proinde ſtulti ſunt. Nam *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* In quem locum ſic Hieronymus. Quamuis aliquis potens exiſtimetur, & ſapiens, ſi iracundus ſit, inſipiens arguitur. Itaque qui tibi nocet, ſtultus eſt. Si vlciſcaris, ſtultus eris & tu. Prudenter igitur conſulebat

Dauidi

Dauidi Abigail, ne in Nabalem ſtultum iraſceretur, ne & ipſe ſtultus haberetur: quia nomen ſtulti ſibi vendicat, qui iniuriam ſibi illatam vindicat.

Affert & aliam rationem hæc mulier, qua veniam ſuadet Dauidi: *Non erit*, inquit, *tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum Domino meo, quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris.* Expende hæc duo verba (*ſingultum & ſcrupulum.*) Singultus eſt ſpecies quædam conuulſionis: vel eſt commotio quædam totius corporis procedens ex eo, quòd aliquid comediſti guſtui quidem ſuaue, oríque iucundum; ſed ſtomacho oneroſum, quod à calore naturali difficile digeratur. Ideo plerumque ſapor, vel odor illius rei manducatæ ſatis iniucundè emittitur ſurſum. Quando comedebatur, multa concurrebant, os recipiendo, lingua guſtando, dentes conterendo, guttur deglutiendo: at poſtea comeſta, quia non digeſta, parit huiuſmodi ſingultus. Similiter vindicta quibuſdam videtur ſuauis, & iucunda, præcipuè indoctis, & inſipientibus, iuxta illud,

At vindicta bonum, vita iucundius ipſa, Iuuen. ſatyr. 13.
Nempe hoc indocti.———

Ideo totis viribus vlciſci contendunt, lingua comminando, ore conuitiando, oculis toruè intuendo, manibus percutiendo, ore mordendo, corde odiendo: ſed poſtmodum ſumpta illa vindicta multos parit in anima ſingultus, multóſque dolores, ac multa ſequuntur incommoda. Vnde Tullius. Hoc ſi conſtitutum ſit, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis vlciſcantur, Lib. 2. de Inuent.

tur,quantum incommodorum conſequatur?

Videamus hoc in ipſo Dauide, qui dormiente Saüle eius inimico in ſpelunca, abſcidit oram chlamydis illius, quod quidem modicum videbatur: erat tamen ſpecies, aut ſignum vindictæ, quam ſumere poterat: ſed
1 Reg. 24. attende ſingultus. *Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.* Triſtis quædam cogitatio, & angor conſcientiæ, quaſi conſilium ſuum ipſe damnaret, & infectum vellet, quod nimis præcipitato conſilio feciſſet imprudens. Quid ſi honorem? quid ſi aliquam partem corporis? quid ſi vitam eripuiſſet? Nec remanſit illa præciſio impunita: nam præter huiuſmodi ſingultum & animi dolorem, dicunt aliqui frigiditatem illam, qua Dauid, ingruente ætate, premebatur, vt nullis veſtibus calefieret, ei ob illam abſciſſionem contigiſſe; quaſi meruerit illam ſuſtinere, qui alterius veſtem abſciderat.

Scrupulus verò eſt lapillus breuis & aſper, qui in calceo latens, plerumque nos lædit, preſſúsque dolorem creat. Sicut igitur lapillus torquet, dum premitur: ita ſi inimicum tuum vindicta premas, & inſecteris, tibi ipſi maximam anxietatem, maximúmque inferes dolo-
Senec. trag. 3. rem. Nam *ſæpe vindicta obfuit.* Vtiliter nobis conſulunt, ſicut & hæc mulier Dauidi, qui nos à vindicta ſubtrahunt: quia & ſingultum ceſſare in nobis faciunt, & ſcrupulum ex animo euellunt, qui nos maximè ſtimulaſſet.

Itaque, non tantùm qui inimicos diligit, ſanitatem animæ acquirit, ſed & iucunditatem.

Audi,

Audi, *Iucundus homo qui miſeretur*, &c. vel, vt legit Ambroſius, *Beatus homo qui miſeretur*, &c. Quia beatior eſt qui miſeretur, & parcit quam is, cui miſeretur, & cui parcitur, iuxta illud Apoſtolicum axioma; *Beatius eſt dare, quam accipere.* Quod nec ipſos infideles latuit. Epicurus ipſe, teſte Plutarcho, cenſebat multò melius eſſe, alterum beneficio afficere, quam affici. Narrat Ælianus, Ptolomæum Lagi filium maxima cum voluptate quoſdam locupletes effeciſſe: dicebat enim, *Melius eſt ditare, quam diteſcere.* Pſal. 111. Act. 20. Lib. 13. var. hiſt. cap. 13.

Iucundus ergo ſit qui inimicis parcit, eiſque benefacit, quia Deum imitatur, qui nullatenus vindicta delectatur; imò legimus quòd triſtatur, quando eam minatur, ſic enim dolentem inducit Moyſes: *Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui.* Item iucundus, quia de remiſſione propriorum delictorum ſecurus efficitur, quo nihil iucundius, nihílque homini poteſt accidere vtilius. Iucundus, quia ſe ab illis malis, doloribus, mentis cruciatibus, & periculis, quæ iram, atque indignationem conſequuntur, liberum & abſolutum ſentiet. Iucundus, quia hoc pacto ſummi Dei gratiam ſe mire cognoſcit. Dicat igitur Bernardus. Quis putas, iucundus homo qui miſeretur? pronus compati, ſubuenire promptus; dare quàm accipere beatius iudicans, ignoſcere facilis, iraſci difficilis, vlciſci penitus non acquieſcens: & per omnia proximorum æque vt proprias reſpiciens neceſſitates. Gen. 6. Serm. 2. in Cant.

Nullus ergo attendat, quam præ ſe ferunt

iſtæ pilulæ amaritudinem, ſed quam afferunt animæ valetudinem. Beatos enim ſe, iucundos, & de miſericordia Dei ſecuros efficiunt, qui inimicos donis, venia, & nulla iniuria afficiunt.
Hom. 36. in Euang. Vnde plurimùm laudat, & commendat Diuus Gregorius Beatum Stephanum Abbatem, quia tantæ erat patientiæ, vt eum ſibi amicum crederet, qui ſibi moleſtiæ aliquid irrogaſſet. Reddebat contumeliis gratias. Omnes ſuos aduerſarios nihil aliud, quàm adiutores æſtimabat.

Tandem inimicos diligemus, eiſque benefaciemus, omnémque iniuriam feremus, ſi quid Chriſtus in ſe pertulit, conſideremus. Nam,
In Euang. teſte eodem Gregorio, nihil eſt adeò graue, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reuocetur. Propterea obſeruandum eſt, Chriſtum ea omnia in ſe ſubiiſſe, quæ inimicis noſtris optare poſſemus. Dic mihi. Quid pro vindicta, & odio tuo explendo optares inimico tuo? paupertatem? Chriſtus illam
2. Cor. 8. pertulit, *propter vos egenus factus eſt*, adeò vt non haberet, vbi caput reclinaret. Velles inimicum tuum turbari & triſtari? *Chriſtus turba-*
Ioan. 11. Matth. 26. *uit ſemetipſum*, & triſtatus eſt dum dixit, *Triſtis eſt anima mea.*

Quid aliud deſideras inimico? vt ab omnibus contemnatur, & deriſui habeatur? Factus eſt
Pſal. 21. Ieſus *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Quid vis amplius inimico tuo? perſecutionem? Illam
Ioan. 15. paſſus eſt Chriſtus, *Me perſecuti ſunt.* Vis tradatur tuus inimicus, & vendatur? Ieſum Iudas tradidit, & vendidit. Optares inimicum eſurire?
Matth. 4. Et Chriſtum eſuriiſſe legimus. Velles ſperni

& deſpici? *Spreuit Ieſum Herodes cum exercitu ſuo.* Luc. 23.
Optares ab omnibus derelinqui? De Christo dicitur, quòd *eo relicto omnes fugerunt.* Optares, vt detineretur, illuderetur & percuteretur? *Et viri* Luc. 22.
tenebant Ieſum, illudebant ei cædentes, & percutiebant faciem eius. Velles inimicum vulnerari? Et Do- Iſai. 53.
minus *vulneratus eſt.* Velles in eius faciem expuere? Et Iudæi *expuerunt in faciem Chriſti.* Opta- Matth 26.
res inimicum flagellis cædi? *Apprehendit Pilatus* Ioan. 18.
Ieſum, & flagellauit. Libenter videres ſanguinem inimici effundi? Chriſtus ſuum effudit ſanguinem: nam *lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine* Apoc. 1.
ſuo. Velles illum videre ſuſpenſum? Chriſtus *ſuſpenſus eſt patibulo.* Velles inimicum haberi latronem & iniquum? Et Chriſtus *cum iniquis repu-* Marc. 15.
tatus eſt. Optares inimicum occidere? Iudæi Chriſtum occiderunt & crucifixerunt. Carnes inimici comederes, & ſanguinem eius biberes? Eius caro non prodeſt quicquam. Optima verò eſt Chriſti caro, de qua ipſe, *Caro mea*, inquit, Ioan. 6.
verè eſt cibus. Illam manduca, *Accipite & manducate,* & illam manducando, ſimul eius bibes ſanguinem, atque ita vitam habebis æternam. *Qui* Ioan. 6.
manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.

Nullum denique ſuppliciũ poteſt quis optare inimico ſuo, quod Chriſtus non pertulerit. Dicat igitur D. Thomas. Chriſtus paſſus eſt in omnibus in quibus homo pati poteſt. Exclamet & Bernardus. O bone Ieſu, quid tibi eſt? Mori nos debuimus, & tu ſoluis? Nos peccauimus, & tu luis? Hæc omnia Chriſtus pertulit, vt nos reconciliaret, primùm Deo Patri: nam *cum ini-* Rom 5

3. part. qu. 46. art. 5.

mici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Deinde, vt conſiderata eius paſſione, inuicem reconciliaremur, pacémque cum inimicis iniremus. Hùc videtur ſpectare idem Apoſtolus, Eph. 2. cùm de Chriſto ſic loquitur, *Ipſe eſt pax noſtra,* &c. *interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Placatur Pater, dum videt quod paſſus eſt filius, & non placabitur homo, cùm videat ipſum Dei filium pertuliſſe, quæ inimicum pati voluiſſet?

Interficiantur igitur in Chriſto, id eſt, ceſſent omnes noſtræ inimicitiæ, cùm Chriſtus voluerit ferre, quod inimicis quærebamus inferre. Pudefaciunt nos Herodes & Pilatus, qui patiente Luc. 23. Chriſto, *facti ſunt amici; nam antea inimici erant adinuicem.* Cauſa fortè iſtius inter eos reconciliationis, fuit illud quod Chriſtus tulit tempore paſſionis: vterque enim vidit Chriſtum pati, quod vnus alteri optaſſet. Herodes, verbi gratia, intulit Chriſto quod Pilato intuliſſet, ſi illum tenuiſſet; nempe pro toga præſidiali, dediſſet ei veſtem albam, illúmque ſpreuiſſet, illuſiſſet, & remiſiſſet: ſed, quod Pilato non potuit, Chriſto fecit: vel, quod Pilatus non tulit, Chriſtus ſubiit; *Spreuit illum Herodes, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Quaſi tacite dicendo: Iſte fert, ô Pilate, quod te ferre voluiſſem; modò ſum contentus.

Similiter & Pilatus intulit Chriſto, quod Herodi intuliſſet, ſi in eius poteſtate fuiſſet: nimirum, in ſignum irriſionis, pro regio diademate impoſuiſſet ei coronam ſpineam: pro ſceptro arundinem: & pro veſte regia chlamydem: poſtmodum irriſoriè dictum ei fuiſſet, *Aue Rex Iudæorum.*

Iudæorum. Ita ſe habuit Pilatus circa Chriſtum, ſicut ſe habuiſſet erga Herodem. Itaque benignus Ieſus patienter pertulit, non tantùm quod Pilatus Herodi, & Herodes Pilato inferre voluiſſet, ſed & quicquid nos inimicis noſtris optaremus euenire. His omnibus Chriſto illatis, illiſque conſideratis, facti ſunt iſti duo nefandiſſimi viri amici, qui priùs erant inimici. & nos qui Chriſtianum nomen profitemur, odia in proximum non deponemus? Omnia quæ inimicis noſtris inferre voluiſſemus, pertulit in ſe Chriſtus, & adhuc vindicari quærimus? Chriſtum in perſona inimicorum noſtrorum adhuc inſectabimur? Meritò igitur conqueritur bonus Ieſus apud Bernardum. Nónne ſatis propter te vulneratus ſum? Nunquid pro iniquitate tua afflictus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? Tunc afflictionem afflicto addimus, quando iniuriam, quam iam Chriſtus in ſe pertulit, inimico referre quærimus. Sufficiat nobis, quòd Chriſtus paſſus ſit. Inimicos igitur diligamus, eis benefaciamus, & pro eis oremus, vt ſimus filij Patris cœleſtis, cuius vnigenitus & conſubſtantialis filius non tantùm tradidit ſemetipſum pro nobis, ſed & vltionem, quam de inimicis ſumere vellemus, in ſe ferre dignatus eſt. Chriſtus igitur eſt *interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Interfecit, inquã, inimicitias quæ erant inter Patrem diuinum & nos: interfecit etiam eas quæ erant inter Herodem & Pilatum, & noſtras non interficiet? Id eſt, fierine poterit, vt conſideratis omnibus quæ Chriſtus paſſus eſt, adhuc in inimicos noſtros iraſcamur, odiúmque foueamus?

Serm. 4. fer. maioris hebdom.

Epheſ. 2.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Ductus eſt IESVS *in deſertum*, &c. Matth. 4.

Virg. DE Turno ſtrenuo milite, ſic Poeta: *Turnus in arma volat, armis circundatus ipſe.* Chriſtus dux noſter armis circundatus, ieiunio ſcilicet, & ſolitudine munitus expectabat aduerſarium; non quòd illis, aut aliis armis indigeret, qui illum ſolo verbo ſuperare poterat: ſed vt nos ad ſimilia arma vocaret. Ecce
Serm. 13. tempus, inquit Chryſologus, quo miles procedit in campum, recurrit ad Dei ieiunia Chriſtianus. Hodie Chriſtus indixit hoſtibus bella, promiſit præmia pugnaturis. Vbi, & quando, & quomodo confligendum ſit, nobis triumphali conſtitutione ſignauit.

De diabolo apud Iob ſub nomine Behemoth
Iob. 40. ſic ſcribitur: *Habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Iordanis nomine omnes aquis baptiſmi abluti intelliguntur. Habet ergo dæmon fiduciam, quòd influant in os eius, non Euphrates ſolùm, Tigris, Ganges, Nilus, id eſt, infideles, Iudæi, Mahumetani, hæretici, his fluuiis

ſignifi

ſignificati, verùm etiam Chriſtiani Iordanis flumine adumbrati; ideo eos tentare non ceſſat. Audi Gregorium. Non habuit pro magno diabolus, quòd infideles tulit, ſed toto nunc annisu in illorum mortem ſe erigit, quos contra ſe regeneratos tabeſcit. Iordanem ſitit, & toties in os illius Iordanis fluit, quoties Chriſtianus quiſque ad iniquitatem defluit. Et non tantùm Chriſtianos vellet influere in os ſuum; ſed & ipſum Chriſtum aggreditur: nam ipſo Domino in Iordane baptizato, & ſtatim in deſertum ducto, ac ipſo ieiunante, & poſtea eſuriente, *accedens tentator, dixit ei.* In hunc locum Iob.

Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant. Quis non in tentatorem durum, & crudelem excandeſceret, quando fameſcenti viro lapides prætendit deuorandos? Illum ridet Chryſologus dum ait. Cupis tentare, ſed neſcis. Eſurienti tenera, non dura offerre debuiſti. Durus dura profert, nec meliora afferre poteſt; quod diuina prouidentia factum eſſe crediderim, vt vnuſquiſque videat, quàm pauper ſit iſte tentator, qui nihil habet quod fameſcenti exhibeat præter duros lapides: cùm enim ei deſint nutrimenta, ſe confert ad pauimenta. Sic paſcit mortis auctor, ſic inuidus vitæ, ait idem Doctor. Pudeat te, ſi illi inſeruias, iuſſaque eius perficias, qui non habet, vnde te reficiat. Iniuſtum eſt, inquit Gregorius, ſeruire diabolo, qui nullo placatur obſequio, nec vllo paſcit obſonio. Serm. 11. Ibidem. Hom. in Euang.

Si filius Dei es, &c. Viderat dæmon Chriſtum miracula patrantem, videt nunc illum ieiunantem; tamen non ita dubitauit, an eſſet Dei fi-

lius in operatione miraculorum, ſicut in abſti-
Serm. 13. nentia ciborum. Videtis, inquit Chryſologus, quia iam non hominem, ſed Dei filium credit, quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute. Senſit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Velit, nolit diabolus hunc exiſtimat Dei filium, qui libenter amplectitur ieiunium, aut illum ſimilem eſſe Dei filio, qui vacat ieiunio.

Si filius Dei es, dic, &c. Dicet, & cùm dixerit, illum eſſe Dei filium agnoſcere poteris: propterea, ô impie, patientiam habe, & quem modò vides in deſerto ieiunantem, & poſtea ſaneſcentem, audies in Cruce clamantem, & dicentem, *Pater ignoſce illis.* Hoc vtique eſt, eſſe Dei filium, inimicos diligere, & pro illis exorare. Hac voce cognouit Centurio hunc eſſe Dei filium, illúmque talem publicè confeſſus eſt, *Verè filius Dei erat iſte.* Erat igitur agnoſcendus Dei filius, non tam lapidum conuerſione, quàm hoſtium dilectione. Itaque & ieiunando, & inimicos diligendo dedit nobis Dominus poteſtatem filios Dei fieri; idcirco, dum nos hortaretur ad dilectionem inimicorum, addidit, *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quaſi dicat: non miracula patrando, non lapides in panem conuertendo, ſed inimicos diligendo, quis fit veluti Dei filius.

Dic, vt lapides iſti panes fiant. Offert lapides, non vt eos in Chriſtum proiiciat: ſed vt ex eis, an ſit filius Dei, coniiciat. Nam, quem nouerat
Matth. 3. *poſſe ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*, ſciebat quoque poſſe panes ex lapidibus facere.

Dices:

Dices: Cur ergo dæmon non dixit, *Dic, vt lapides iſti homines fiant?* Hanc quæſtionem proponit etiam idem Diuus Chryſologus, aſſignátque rationem. Quare, inquit, non dixit: Si filius Dei es, dic, vt homines, aut Angeli, aut aliquid aliud, fiant? Signum panis petit, qui ſignum ieiunij pertimeſcit. Signum panis petit, vt ieiunij tremendum ſibi refugiat ſignum. Panem malus ingerit conſolator, vt virtutem mutet, & propoſitum violet ieiunantis. Non tantùm ieiunantes diabolus pertimeſcit, ſed & ipſum ieiunij ſignum perhorreſcit. Libenter panem præberet, ne ieiunantem videret. Serm. 13.

Verùm licèt hoc veriſſimum ſit, tamen non videtur ſoluere propoſitam difficultatem. Quare itaque non petit diabolus homines, ſed panes fieri ex lapidibus? Reſpondetur: quia cibum diuinitati inuidebat; eſt enim homo cibus diuinitatis: panis verò humanitatis. Quòd autem homo ſit Dei cibus, teſtatur Diuus Bernardus Serm. 71. his verbis. Cibus eius ego ipſe mandor, cùm in Cant. arguor: glutior, cùm inſtituor: decoquor, cùm immutor. Vellet igitur dæmon parare cibum humanitati, non diuinitati. Qui enim aliquando inuidebat, quòd homo fieret ex limo terræ; non quærebat nunc, vt ex lapidibus fierent homines. Quærit tantùm, vt panes fiant: quia hoc pacto vult quidem diuinitatem indagare, ſed eam occultare, humanitatem autem propalare. ſic ſentit idem Doctor. Sic dicendo diabolus, hominem vult monſtrare, non Deum.

Animaduertebat dæmon hunc quidem eſurientem; ſed dicebat apud ſe: Si hic filius eſt Dei,

non tam panem, quàm hominum ſalutem eſurit. Nolo ei mentionem facere de hominibus, quorum ſaluti inuideo: ſed de panibus, quibus homines ineſcare ſoleo. Et quidem, dum filius Dei eſurit, quid aliud hac eſuritione portenderet, niſi, vt ait Hilarius, eſuritionem ſe habiturum humanæ ſalutis? Me eſuris ô bone Ieſu; meum cor lapideum deglutire deſideras, vt in tuæ carnis mollitudinem tranſmutes, & ex ſaxo duriſſimo filium Abrahæ conſtituas.

D Hilarius.

Quando igitur audis Dominum in deſerto eſuriiſſe, ſcito non tam panem, quàm teipſum concupiiſſe. Audi Ambroſium. Continuatis quadraginta diebus hæc ieiunia non eſuriens Dominus procurauit; ſed dicit illum Euangeliſta poſtea eſuriiſſe. Quomodo ergo poteſt fieri, vt qui tot dierum numero famem ſitímque non ſenſerit, poſtea eſurierit? Eſuriit enim, non cibum hominum, ſed ſalutem, nec eſcarum ſæcularium epulas concupiuit; ſed animarum cæleſtium ſanctitatem deſiderauit. Sanè nunquam Deus ſalutis humanæ auidior extitit, quàm vbi noſtri cauſa dolores pertulit, & ſummos labores exantlauit. Tantò auidiùs nos deſiderat, quantò grauiora pro nobis tolerat. Ille paſcit Deum, qui præbet ſeipſum Deo: ac tantò libentiùs ſe illi offert, quantò grauiora ſunt, quæ pro illo perfert. O quàm exitiale erat diabolo, quòd ſatiaretur fames diuina! tunc autem ſatiatur, quando homo ſaluatur; & ne homo ſaluetur, optat dæmon, vt non formetur. Quare non petit homines fieri, quia eſurienti Deo cibum parare formidabat; ac proinde non dixit, *Dic, vt lapides iſti homines fiant*: ſed

Serm. 36. de quadr.

Dic, vt lapides iſti panes fiant Expende illud (*Dic, vt fiant.*) Volebat diabolus diuinam in Ieſu filiationem ex voce explorare. Etenim, vbi Pater per filium vniuerſum orbem condidit, ait Scriptura; *Dixítque Deus: fiat lux*, vt per *fiat* à Dei ore procedens vniuerſa conderentur. Hoc ſciebat Satanas, ideo ſimilia verba ſuggerit Chriſto, vt ex ſimili vocis ſono, an filius diuini Patris ſit, exploret. Hæc obſeruauit Diuus Paſchaſius. Lib. 3. Nouerat cæcus Scripturarum inſpector, Deum in principio dixiſſe, fiat, & ſic omnia feciſſe ex nihilo. Nec tamen intellexerat, quòd hic eſſet illud verbum, per quod Pater cuncta crearat. Quod volens formidoloſiùs explorare, perſuaſit eo tenore dicendum, vt lapides panes fierent, quo didicerat Moyſem literis mandaſſe Deum vniuerſa creaſſe. Sed qui ex nihilo omnia fecerat, habebat vnde hominem reficeret, quamuis lapides in panem non conuerteret. Non meruit ergo illud audire verbum, qui venerat tentare verbum: ſed debuerat dæmon Patris audire verbum, per quod manifeſtabatur diuinum verbum.

Si filius Dei es, dic, &c. Dic tu, tentator, vbinam eras, quando vox Patris de cœlo intonuit, *Hic eſt filius meus dilectus?* Eras fortè tunc occupatus in aliis hominibus tentandis. Matth 7. Audiuiſti quidem, aut ſaltem audire poteras: ſed quæ vera ſunt, & verè dicta ſunt, in dubium reuocas, vel ea ſæpiſſimè negas. Dixerat olim Dominus primis parentibus de ligno vetito: *In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Gen. 2. Dæmon verò ore ſacrilego & mendaci ait; *nequaquam morte-*

mini. Dominus affirmabat, dæmon negabat, ait Hugo Victorinus. Deus dixit, *moriemini*, diabolus dixit, *non moriemini.* Qui igitur ſuaſerat protoparentibus, ne verbis Dominicis crederent; nunc Chriſto ieiunanti & fameſcenti conatur ſuadere, vt non credat verbis diuini Patris dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus.* Quaſi diceret tentator: Quomodo fieri poteſt, vt te Deus filium ſuum habere dicat,& te fame affligi permittat, omnique alimento deſtitutum dimittat? Non enim Deus eum deſerit,qué ſuum filium declarauit. Sed falleris,ſimul & mentiris diabole: imò,hoc ipſo quòd voce cœleſti Chriſtus dictus eſt filius Dei, erat conſequens,vt famem & ſitim, & labores, quibus angeretur,ſentiret. Quia filius Dei erat, natus eſt in ſtabulo, reclinatus in præſepio,fugit in Ægyptum; ieiunat,fameſcit in deſerto, Cruci affigitur in Caluario, vnde non vult deſcendere, non obſtantibus his clamoribus, *Si filius Dei es, deſcende de Cruce.* Non tam venit Dominus miracula operaturus, quàm pro nobis acerba toleraturus. Ego fruſtrà dicis.

Libro 5. Miſcel. tit. 89.

Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant. Obſeruat hic Theophylactus,diabolum his verbis voluiſſe Chriſto ſuperflua perſuadere, cúmque ad illa, tanquam neceſſaria inſtigare. Quaſi ei diceret: tanta eſt tua eſuritio, vt vnus panis ad eam leuandam non ſufficiat: propterea *dic, vt lapides iſti panes fiant.* Multo tempore ieiunaſti; multi ergo panes tibi ſunt neceſſarij. Non offert diabolus vnum lapidem, vt vnus fiat panis, ſed multos oſtendit lapides, vt multi fiant panes, quaſi

quaſi omnes ei futuri eſſent neceſſarij. Hæc ſunt verba Theophylacti. Non dixit, dic, vt lapis hic panis fiat, ſed lapides, volens Chriſtum ad ſuperflua inſtigare: eſurienti enim vnus panis ſufficit. In hunc locum.

Hæc frequens eſt dæmonis tentatio, vt ſcilicet homines inſtigare conetur ad ſuperflua comparanda, & comparata ſeruanda, tanquam eis omnino neceſſaria. Sic perſuaſit olim Nabali 2. Reg. 25. viro potenti & diuiti, qui, cùm ab eo Dauid fame preſſus in deſerto per internuncios aliquid poſtularet, vt ſuam neceſſitatẽ quo poſſet modo leuaret, eos ab omni ſubſidio vacuos dimiſit. Quo audito, prudens Abigail vxor Nabalis tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, &c. & dedit Dauidi, quæ reuerſa nunciauit viro ſuò quæ fecerat & dederat; quod cùm audiſſet Nabal, emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis, & poſt decem dies mortuus eſt. Vnde ei hæc triſtitia, & durities? vnde tam ſubitanea mors? Reſpondet Iſidorus: quia hæc ei ſuperflua de- Iſid. Clar. erant, quæ neceſſaria ſibi eſſe exiſtimabat: ac ita de illis, tanquam de maximè neceſſariis doluit, vt propterea mortuus fuerit. Perſuadebat ei dæmon illa non fuiſſe ſuperflua, ſed neceſſaria.

Micas de menſa cadentes diues epulo Lazaro Luc. 16. indigenti denegabat; quia, ſuggerente diabolo, putabat eas non eſſe ſuperfluas, ſed neceſſarias. Eodem dæmone ſuadente, denegas pauperi obolum, aut fruſtum panis, quia putas tibi eſſe neceſſarium, non ſuperfluum. O qualem tentationem!

nem! Cuidam dolenti, quòd ei neceſſaria deeſſent, hæc ſcripſit D. Auguſtinus. Finientur iſtæ neceſſitates, quando finitæ fuerint iſtæ cupiditates. Ac ſi diceret: Scio te multa appetere & concupiſcere, quæ credis tibi eſſe neceſſaria: verùm ceſſet hæc tua cupiditas, & nulla tibi aderit neceſſitas. Hoc agnoſcebat Seneca: Si, inquiens, ad naturam viuas, nunquam eris pauper: ſi ad opinioné, nunquam eris diues. Natura parum deſiderat: opinio immenſum. Receptiſſima enim ſemper fuit inter ſapientes ſententia, *Natura paucis eſt contenta*, cupiditas verò nullis. Exiſtimabat dæmon hunc quem eſurientem videbat multa appetere, aut poſſe appetere: ſed non multa appetebat, cui parum ſuppetebat. Fruſtrà ergo ei dixit.

Epiſt. 70.

Epiſt. 26. ad Lucil.

Si filius Dei es, &c. Aliud quoque intendebat callidiſſimus hoſtis: volebat enim indagare, an iſte ieiunator eſſet laudis cupidus. Propterea non ei venenatas dapes proponit, non vina virulenta propinat: ſed laudes parat, quæ non ore, ſed aure tantùm guſtatæ perniciem pariunt. Hæc excogitatio eſt Diui Chryſoſtomi ſic ſcribentis. Non dixit, ſi eſuris; ſed, ſi filius Dei es; videlicet exiſtimans poſſe ſe aliquid per laudum blandimenta furari. Quaſi gloriaretur Chriſtus, quòd ita viueret, vt tanquam filius Dei haberetur.

Hom. 13. in Matth.

Verùm quàm parui fecerit Dominus laudationes illas diabolicas, colligitur etiam ex alio loco. Legimus enim apud Lucam, aliquando diabolum Chriſto dixiſſe, *Ieſu Nazarene, ſcio te, quia ſis ſanctus.* At Chriſtus has laudes non eſt paſſus,

Luc. 4.

paſſus, ideo ſilentium indicit ei; *Obmuteſce.* Quod expendens Diuus Epiphanius ſic ait. Seipſum ſponte morti obtulit Saluator, & ſermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit: os ſuum aperiens acetum cum felle guſtauit, qui ſceleſti verba auribus excipere recuſauit: os proditori oſculandum exhibuit, & deceptori reſponſum dare noluit. Illum tacere iuſſit, cuius laudes recipere recuſauit. Hoc facto docet Chriſtus fugiendas eſſe laudes tum diabolicas, tum humanas. Nos enim aliquando à Chriſto tollunt, qui nos præſentes laudibus extollunt. Sed aduerſus ſuperbientis Angeli telum, Dominus humilitatem in primis obiicit hominis. Etenim, vbi ille ait, *Dic, vt lapides iſti panes fiant*, continuò reſpondit Chriſtus. Tract. de malo linguæ.

Non in ſolo pane viuit homo. Indagabat dæmon diuinitatem, propoſuit Chriſtus humanitatem: noluit Dominus vincere diabolum quatenus Deus, ſed quatenus homo: ideo hominis meminit infirmitatis. Cur non magis exerta diuinitatis potentia, hoſtem confundit faciens ex lapidibus panem? Poterat quidem iſtud omnipotens, & facile erat, vt ad creatoris imperium, in quam iuberetur ſpeciem cuiuſlibet generis creatura tranſiret: ſicut cùm voluit in conuiuio nuptiali aquam mutauit in vinum. Sed, ait Diuus Leo, hoc magis ſalutiferis diſpenſationibus congruebat, vt nequiſſimi hoſtis aſtutia, non potentia deitatis, ſed humilitatis myſterio vinceretur. Voluit Dominus humilitate, non potentia de diabolo triumphare; vt hominibus qualiter ſit vincendum, præberet exemplum. Serm. 2. de quadr.

Si

Si enim Dominus potentia diabolum ſuperaſſet, excuſaret ſe homo dum vinceretur, quòd tantam potentiam non haberet ad reſiſtendum diabolo. Cùm itaque Chriſtus per humilitatem triumphauerit; quæ eſt hominum vanitas, qui abiecta humilitate, volunt ad gloriam peruenire?

Non in ſolo pane viuit homo. Egregiè omnes tentatoris conatus Chriſtus vnico verbo eneruauit, nec propterea illi ſe manifeſtauit, vt optimè obſeruat Ambroſius ſic ſcribens. Sic tentat diabolus, vt exploret, ſic explorat, vt tentet, econtrà Dominus ſic fallit, vt vincat; ſic adhuc vincit, vt fallat: nam ſi conuertiſſet naturam, proderet creatorem. Mediè ergo reſpondit; *Non in ſolo pane viuit homo, &c.* Hæc Chriſtus diabolo reſpondit, atque ita ſuam diuinitatem abſcondit. Nihil de ſeipſo confitetur, aut negat, imò nec de ſeipſo in particulari reſpondet, ſed ſententiam omnibus hominibus conuenientem profert. Nec dixit, inquit Chryſoſtomus, aut auctor operis imperfecti, poſſum facere & nolo, ne ſe oſtenderet filium Dei: nec dixit, non poſſum, ne mendacem ſe exhiberet. Non dixit, non in ſolo pane viuo, vt non videatur de ſe peculiariter dixiſſe, ſed mediè, dicendo:

Lib. 4. in Lucam.

Hom. 5.

Non in ſolo pane viuit homo; ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Hæc Scriptura ſumitur ex Deuteronomio, vbi Dominus oſtendit Iſraëlitico populo, quomodo eum abſque pane, ſed tantum cum manna ſuſtentauerit in deſerto. Viuit enim homo *in omni verbo quod egreditur de ore Dei:* vel ſecundùm Hebræum, *ſuper omne quod*

Deut. 8.

quod egreditur os Domini, viuet homo. Quaſi dicat: Homo viuet re quacumque, quam iuſſerit Dominus, aut ordinarit ad vitæ humanæ ſuſtentationem. Eſt quaſi metaphora; panis coctus in furno, & ex eo egreſſus poteſt hominem nutrire, & non tantùm huiuſmodi panis, ſed quidquid Deus iuſſerit & voluerit, & poteſt eſſe in cibum hominis; erit Dei verbum, vel iuſſio, veluti furnus: illo inquam verbo & iuſſione præparabitur, fiétque aptum omne id quo voluerit Deus hominem ſuſtẽtare, adeò, inquit Toſtatus, vt ſi Deus mandaret nobis, vt comederemus colubros, baſilicos, lapides, æs & ſimilia, meliùs illis, quàm delicatiſſimis cibis nutriremur: etiam ipſo fletu, ipſis lacrymis, ſi Deus voluerit & iuſſerit, poteſt homo quaſi pane nutriri. Audi Pſalmiſtam: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis.* Præcepit olim Dominus Ezechieli comedere volumen, in quo erant lamentationes & væ, & comedit iuſſu ſcilicet Dei, *& factum eſt*, inquit, *in ore meo, ſicut mel dulce.* Mandauit etiam Petro occidere & manducare quadrupedia & ſerpentia terræ, & renitenti dictum eſt, Deum hæc purificaſſe. Fuerunt autem purificata verbo & præcepto, quod ex ore Domini procedebat.

Pſal. 79.

Ezech. 2.

Act. 10.

Imò, ſi vellet Deus, aut iuberet, ſine omni cibo viueremus; vti Simeon Stilites viginti octo quadrageſimas ſine cibo & potu tranſegit. Simile etiam nunc fit in Sanctis, qui orationi & contemplationi intenti, ſpiritualibus delectationibus paſcuntur, quæ memoriam & appetitum cibi, & rerum ſenſibilium extinguunt.

Ita

Collat. 19. cap. 4. Ita Caſſianus refert de Ioanne Abbate, quòd delicijs ſpiritualibus occupatus, non recordabatur an pridie comediſſet, nécne. Dedit Deus pani vim & facultatem ſuſtentandi, & interdum illam à pane abſtulit, vt aliàs feciſſe legimus,
Agg. 1. *comediſtis & non eſtis ſatiati.* Et Iſaias ſic mi-
Iſai. 3. tatur; *Auferet Dominus omne robur panis.* Poteſt etiam dare cuicumque rei ſimilem facultatem;
Hebr. 1. *Omnia enim portat verbo virtutis ſuæ*, ait Apoſtolus.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. Qui à membris Iudæis voluit crucifigi, nunc à capite diabolo voluit aſportari. Sed quò? *in ſanctam ciuitatem.* O ſanctitatis oſor, in locum ſanctum defers Chriſtum, an præcipitia decerant in deſerto? Cur non potiùs ad idolorum excelſa, vel ad Babylonicas turres euolauit, vt præcipitium perſuaderet? Sanè non à ſe, ſed Deifico pondere preſſus in ciuitatem ſanctam, & in templum Dei grauitauit. Sicut qui ſaxeam molem ſuſcipit aſportandam, in centrum ſaxi ſemper tendit: ſic aliquando qui Chriſtum Dominum, vel per iniuriam in ſe ſuſcipit, non poteſt non grauitare & tendere in locum ſanctitatis, & quantumuis renitens Deifico pondere preſſus neceſſum eſt, quòd feratur in loca ſancta.

Sacrilegus ille proditor exitiali pœnitentia
Matth. 16. ductus, *proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Nota, vbi argenteos refudit, in templo nimirum. Quis te in ſanctiſſimum templum egit, ô Iuda? Cur non potiùs in domum Caiphæ feſtinas? Cur quo accepiſti loco,

non

non reſtituis pecunias? Cur non ſterquilinio, cur non ventis tam exoſos committis nummos? Cur onuſtus pecunia curris in templum, & in eo licèt ſceleratus illam refundis? Diuus Maximus Dominicæ pecuniæ hoc tribuit: Videte, inquiens, quanta vis ſit Dominicæ pecuniæ. Quia hæc pecunia erat extracta de loco ſancto, debuit redire ad locum ſanctum. Dominica igitur pecunia id egit, quæ tendentem ad ſuſpendium, adeò in bonum faciebat grauitare, vt tandem illum in templum coëgerit properare, vbi ſceleris veniam poſſet impetrare. Hæc quidem eſt vis Dominicæ pecuniæ, Dominici ſanguinis, hæc vis ipſius Chriſti ſalutaris, quòd aſſumptus, quòd tactus nocentiſſimos & leuiſſimos quoſque in bonum inclinet. Non mirum igitur, ſi ſacratiſſima hæc ſarcina baiulum ſuum faciat ad locum ſanctum grauitare. Quid autem ibi dicat ei, videamus.

Si filius Dei es, mitte te deorſum. Parum petis, ô diabole, à filio Dei, vt ſeſe à pinna templi demittat: etenim ille eſt, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Non à pinna templi; ſed à ſummis cœli verticibus demiſſus in præſepe, in Crucem, & in mortem vſque Dei filius manifeſtè perlucet. Audi Chryſologum. Se Dominum, ſe vtique Deum intelligi voluit, qui non de pinna templi tantùm ſe dedit ad terram; ſed ex cœlis ſe ad inferos vſque iactauit. Aquilarum pulli maternis ſcapulis ſublati, an degeneres ſint ad nitidiſſimam Solis lucem probantur. At vnigenitus Dei filius à ſinu Patris emiſſus in terram vſque, Serm. 25.

tunc claret & manifeſtatur. Cùm itaque Dominus deorſum iam ſe demiſerit, fruſtrà dicit dæmon:

Mitte te deorſum. Impiorum eſt ſemper deſcenſum ſuadere. Quædam diaboli membra Chriſto in Cruce pendenti ſimilia ferè verba quæ caput

Matth. 27. ſuum, dixere: *Si filius Dei es, deſcende de Cruce.* Sed non debebat deſcendere de Cruce, qui cognoſcendus erat Dei filius in Cruce: tunc enim à quibuſdam dictum eſt, *Verè filius Dei erat iſte.* Quæritur, cur potiùs diabolus dixit Chriſto, *Mitte te deorſum,* quàm, *Aſcende ſurſum.* Reſpondet Cyprianus. Nec tentando aſcenſum vult perſuadere cœleſtem: Neminem vellet aſcendere, vnde eiectus eſt: & ſicut ipſe dæmon deſcendit, ita omnes vellet deſcendere. Non tamen præcipitat, non vim facit; ſed ſuadet vt ſponte ad ima, ad tartara peccando deſcendamus.

Ierem. 50. Vocatur diabolus à Ieremia *malleus vniuerſæ terræ* Sicut enim malleus non nocebit, niſi eum manus accipiat, eóque percutiat: ſic dæmon nobis non nocebit, niſi accedente noſtro con-

Ad Demet. virg. ſenſu, & voluntatis actu. Vnde Hieronymus. De conſenſu noſtro vires accipit inimicus, noſtróque nos iugulat gladio. Non adiuuemus, ſed vincamus aduerſarios. Dant illi quidem conſilium: ſed noſtrum eſt, vel eligere, vel reſpuere quod ſuggerunt: non enim cogendo, ſed ſuadendo nocent: non extorquent à nobis conſenſum, ſed expetunt.

Cùm dæmon Euam in Paradiſo inuaſit, arboris quidem pulchritudinem propoſuit, non tamen fructum in illius os inſeruit, nec trucu-

lentam

lentam necem ſtricto mucrone minitatus eſt, niſi vetitum cibum contingeret: ipſa ſponte ſua vidit lignum, manibus accepit, ore manducauit, atque ita ſuis ſe manibus interemit. Itaque poteſt quidem diabolus offerre, imò deferre: ſed non auferre, nec inferre. Obtulit Chriſto, detulit Chriſtum: ſed nihil abſtulit à Chriſto, nec ei quicquam intulit. Quia non aufert, niſi à volente: nec infert, niſi volenti. Vnde idem Hieronymus. Infirmus eſt inimicus, qui non poteſt vincere, niſi volentem. Propterea Diuus Bernardus expendens illa verba Pſalmiſtæ: *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui*, ſic ait. Ego ſum ille peccator, ille iniquus, eripe me de manibus meis. Diuus Auguſtinus dicit diabolum eſſe veluti canem catenis conſtrictum; quia Chriſtus illum in vincula coniecit: vnde ait. Vidēte, fratres, quàm ſtultus eſt homo, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates ſæculi noli coniungere; & ille ad te non præſumet accedere: latrare poteſt, ſolicitare poteſt: ſed mordere omnino non poteſt, niſi volentem. In Chriſtum latrauit, quando dixit.

Ibidem. Bernard. Pſalm. 70. Serm. 2. in Dom. 1. poſt Trin.

Mitte te deorſum. Hæc verba, & hunc diaboli latratum expendens Diuus Ambroſius ſic ſcribit. Verè diabolica vox. Quid enim tam proprium diabolo, quàm ſuadere, vt vnuſquiſque mittat ſe deorſum, &c. Infirmitatem ſuam diabolus, malitiámque deſignat; quia neminem poteſt mittere deorſum, niſi ipſe ſe miſerit. Vnde, qui dictus fuerat in primo congreſſu tentator, iam hic manifeſtè dicitur diabolus. *Tunc*

In hunc locum.

aſſumpſit eum diabolus, &c. Etenim, cur non ſe diabolus prodet, quando homini caſum, & ruinam perſuadet, dicendo, *Mitte te deorſum?* quomodo is non diabolus? Idem Doctor oſtendit, quinam ſint, qui ſe mittunt deorſum, dum ait. Qui relictis cœleſtibus, eligunt terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrunt.

Ibidem.

Sed attendite precor, quòd Chriſtum diabolus aſſumit in excelſum, cui mox ſuadebat deſcenſum. Audi: *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè.* Modò ô diabole facis eum aſcendere, quem priùs volebas deſcendere. Hinc diſcite, quòd diabolus ſibi reſiſtintes non tantùm non compellit: ſed eos ad ſublimia deferre compellitur. Credite mihi, reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis; & ſi non fugiat, ad excelſum cogetur deferre. Datur illi quidem facultas tollendi in altum, ſed non præcipitandi deorſum. Fuit Chriſto vehiculum, tam ad montem, quàm ad pinnaculum: & illum cogebatur portare, quem non potuit præcipitare. Quid tandem in hac vltima tentatione fecerit, & dixerit, audiamus.

Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Ecce vires diaboli, *oſtendit*, facit videre, non poſſidere. Oſtendit lubrico mulierem, auaro diuitias, non vt eas poſſideat, ſed vt concupiſcat. Adeò eſt dæmon inuidus, & homini inimicus, vt nec vllam voluptatem, aut breuem delectationem velit ei concedere, ſi abſque illa poſſit eum vincere. Hoc ſolo erit contentus, ſi vel ſolo conſenſu te ad peccatum alliciat. Et qui tibi

tibi mulierem videndam præbuit, non dabit vtendam: cùm etiam adeò ſit ſuperbus, vt lenonem agere nolit; ſat ei eſt, ſi videas, & concupiſcas. Proh dolor! Quot ſunt in hoc ſæculo lenones? Quot homines agunt, quod nec audet ipſe diabolus? Vt videas & concupiſcas mulierem, inducet te; ſed eam non adducet ad te: vult quidem, vt eam intuearis, ſed non ea vtaris. Peccatum enim luxuriæ ita eſt turpe & immundum, vt dicant aliqui dari nonnullos dæmones, qui primæ ſuæ antiquæ dignitatis & nobilitatis memores, nolint ad illud patrandum homines inducere. Verùm ſic hoc agere deſinant, non illorum deperditæ nobilitati, ſed acquiſitæ ſuperbiæ tribuendum eſt. Certiſſimum eſt, diabolum optare homini perditionem, non delectationem. Piſcator cùm eſcam hamo apponit, non curat, nec intendit piſcem reficere, ſed decipere: vnde capto piſce, ſtatim cibum ex ore eius extrahit, ne illum deglutiat. Ita dæmon proponit tibi delectationis eſcam, non vt ea vtaris, ſed ea capiaris. Pora. in ſum. virt. & vit. Simile.

Rectè igitur ait Euangeliſta, quòd diabolus *oſtendit*. Nam reuera quidquid eſt in mundo, oſtenditur, non poſſidetur. Hoc agnoſcebat, qui apud Senecam dicebat, Quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt; oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt. Vnde Diuus Lucas narrans hanc dæmonis oſtenſionem, ait factam fuiſſe *in momento temporis*; vt ſcias omnia hæc eſſe momentanea. Bene, inquit Ambroſius, in momento temporis ſæcularia & terrena demonſtrantur: non enim tam con- Epiſt. 110. Luc. 4. In hunc locum.

ſpectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt: & ſæpe honor ſæculi abiit, antequàm venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa ſæcula non ſint diuturna?

Fortiſſimus clypeus, quo hæc repellitur tentatio, eſt huius momenti attenta conſideratio. Qui enim animo attento expendit, quàm ſint huius mundi honores caduci, quàm vitrea ſceptra, quàm fugaces opes, flocci omnia facit, & deſpicit. Aërea ſunt & inania ſimulacra, regna omnia. Cuncta ſunt prætereuntia. Nónne audis? 1. Cor. 7. *Præterit figura huius mundi.* Non mundus, ſed figura: quia quod videmus, figura eſt, & figura quæ præterit. Vnde mundi dilectoribus ſic loquitur Auguſtinus. Serm. 15. de verb. Apoſt. Quid eorum quæ diligitis, non tranſcurrit, & tranſuolat? Quid non fugit penè antequàm capiatur? Fœlix igitur, qui eo non capitur, quod capi non poteſt, qui prætereuntem præterit, qui aëris figuris non inſiſtit, qui inanibus ſpectris non fallitur, qui ſolida, & ſtabilia, ac æterna ambit. Miratur, ſimúlque dolet Gregorius, Hom. 18. in Euang. quòd ſæpe fugientem ſequamur, labenti inhæreamus. Hæc itaque labentia & fugacia ſe daturum promittit dæmon.

Hæc omnia tibi dabo. Expende (*dabo.*) Qui nec panem habebat, regna promittebat. Diuus Cyprianus Tract. de ieiun. & tét. Christi. exprobrans diabolo ſuam inopiam, ſic pulchrè in illum inuehitur. Tu impie ac mendax, quid habes, quod dare poſſis? Tua eſt ſcabies, tua ſunt vlcera languentis. Hæc ſcalpis, hæc impurus ablingis. Tu cadaueribus aſſides: tu con

tu contrectas putredines: tu verſas fœtores: tu ſpiritus nequam, ſanctitatis corruptor, ſimplicium perturbator, incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor. Quid das? Scabiem & putredinem. Vermes dediſti Iob, mortem filiis eius, deperditionem eius ſubſtantiæ: cæcitatem, ſurditatem, & tortiones ei quem ingrederis: mortem & ſubuerſionem porcis in quos ingredi tibi cònceſſum fuit, &c. En dæmonis facultates: en omnia quæ dare poteſt. Dæmonis eſt igitur plus polliceri, quàm dare valeat.

Dabo. Quid dabis? *Omnia regna mundi.* Tua non ſunt, ſed Dei, cui offers & promittis. Tibi idem quod Nabuchodonoſori dicitur: *Scias quòd dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Nullum habes regnum, præterquàm tenebrarum, quarum princeps es. Et ſi quod aliud haberes, non dares: & ſi dares, parum dares. Nam huius mundi regna ſunt exigui pretij, quod colligitur ex his, quæ nonnulli regnorum dilectores obtulerunt. Parauerat aliquando Eſther conuiuiū Regi Aſſuero, propter quod dixit ei Rex: *Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Si vnico conuiuio potuerit Eſther dimidiam partèm regni impetrare; ſanè altero conuiuio potuiſſet alteram regni partem obtinere: atque ita duplici tantùm epulo impetraſſet regnum opulentiſſimum & ampliſſimum, centum videlicet & viginti ſeptem prouinciarum. Eſther. 7.

Legimus apud Marcum, quòd recumbentibus Marc. 6.

Herode, & principibus, tribunis & primis Galilææ, intrauit filia Herodiadis, quæ cùm *ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimúlque recumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, quia quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* Hæc puella ſaltatione vna meruit dimidiam partem regni: vel ob vnicam ſaltationem fuit ei oblatum ſemiregnum. Si iterum ſaltaſſet, integrum regnum impetraſſet. Vide regnorum pretium. vnum pro duplici epulo, alterum pro duplici ſaltatione dabatur.

Pro vnica genuflexione, vel adoratione, volebat diabolus dare omnia regna mundi. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Putabat fortè dæmon ſe loqui auaro. Solent enim diuitias adorare. Vnum Deum nouit humana auaritia, nempe aurum & diuitias. Qui enim auro tegitur, & bonis temporalibus ditatur, etſi mortalis ſit, etſi brutum, etſi diabolus, ab auaris adoratur.

Vis videre hominem mortalem locupletem ab aliis hominibus coli & adorari? Attende Ioſe-
Gen. 37. phum, qui vix eductus è carcere, puer adhuc, & peregrinus, & ignotus aſſumitur de Ægypto in ſaluatorem. Quæ rei cauſa? Eam ipſe per ſomnium fuit auſpicatus, ait enim ad ſuos fratres: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare; veſtros autem manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Huius futuræ adorationis Rupertus cauſam aſſignans, ſic ait. Non ob aliud ignotum ſibi Principem Ægyptij adorant, niſi quia defecerant manipuli eorum: ipſe autem de manipulis

pulis plenum habebat horreũ. Videte quomodo adoretur captiuus, & peregrinus, quem abundantia bonorum commendat. A fratribus, & ab Ægyptiis adorabatur, quia eius horreum frumento replebatur. Abundantes adorant inopes.

Vis videre brutum, aut bruti ſimulacrum à quibuſdam adoratum? Recordare vituli, quem Iſraëlitæ in deſerto coluerunt. Quare? quia ex Exod. 32. auro fuerat conflatus. De illo ſic Diuus Chry- Serm. 29. ſologus. Aurum Iudaicum populum ſic captiuauit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie prædecepit, vt hoc eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent. Quis homines mentis, rationiſve capaces ad vituli pedes proſterneret? Quis caput vituli perſuaderet adorandum? Et hoc perſuaſit aurum, ex quo erat affabrè conflatum. Exclamet igitur Poëta:

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? ——

Non immeritò igitur vocatur ab Apoſtolo auaritia *idolorum ſeruitus*; cùm ipſa doceat auaros illa adorare & colere, quæ deberent contemnere.

Verùm auari perditi homines ſunt, qui diuitias, & aurum ambiunt, quærunt, magnifaciunt, & adorant: viri autem pij illud ſpernunt, quia in eo nullam diuinitatem agnoſcunt; imò ipſi auro tormenta præferunt, magíſque eligunt, vbi Deus eſt cruciari, quàm ſine Deo ditari. Vis huius rei exemplum? Erexerat olim Dan. 3. Nabuchodonoſor ingentem ex auro ſolido ſtatuam adorandam, & ſimul vicino in loco incen-

di iuſſerat fornacem, cuius flammis excruciarentur, qui adorationem ſtatuæ recuſarent. Tres igitur ſtrenui iuuenes adorare recuſantes, ſtatuámque auream ſpernentes, Regis imperio vincti traduntur voracibus flammis. Pueros ſuſcipiunt venerabundæ flammæ, illóſque placido rore demulcent, cuſtodiúntque ſanos. Stupent vniuerſi ſpectatores, ipséque *Rex obſtupuit, & ait: Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.*

Hom. de trib. puer. Quærit nunc Chryſoſtomus, à quo numen filij Dei monſtraretur, nimirum non ab auro ſtatuæ, ſed à flãma fornacis, in aurea ſtatua non eſt viſus filius Dei, ſed in flammis; ſic enim ſcribit. Nunquid tale potuit inanis imago monſtrare? Ecce Dominus non in auro lucet; ſed in flammis oſtenditur. Vt numen diuinum Rex oſtenderet, ingentem vim auri in ſtatuam conflauit: ſed non in auro diuinitas inhabitat: hoc eſt, non in diuitiis inuenitur Chriſtus, ſed in egeſtate, in laboribus & ærumnis pro ipſo perpeſſis. Satius igitur tibi ſit inter afflictiones verſari, vt Deo fruaris; quàm auro ditari, & Deo priuari.

Noli præterea dæmoni credere, qui nihil, niſi caſuum nouit conſulere; *Si cadens adoraueris me.* Dæmonem pungit Cyprianus, illúmque ridet, dum ait. En præcipitium exigit, qui tanti ſe facit nundinatorem culminis. Vide qualiter cauponetur ſuis perditionis filiis; vult enim præcipitentur, antequàm ditentur: vult priùs vitam & ſanguinem eorum, quàm ab illo aliquid

quid accipiant. Et quomodo ab eo accipient, qui nihil habet quod det?Spectra ſunt, & ludicra, & aërea quæ promittit, pro quibus etiam petit adorari. Lamentabatur olim Ethnicus ille in Agamemnone, qui filiam primogenitam Dianæ mactabat, vt ventos nauigator acciperet, atque ſic exclamabat: *Cruore ventos emimus.* Similiter lugebunt, qui tandem ab ipſo dæmone nihil, niſi ventos ſanguine, præcipitio, ſe emiſſe videbunt. Fugiunt, quæ caſu & ruina eueniunt. Hoc agnoſcebat Seneca. Mobilia ſunt, inquit, quæ dedit caſus, & maiore curſu fugiunt, quàm veniunt. Et licèt talia ſint,nec in poteſtate dæmonis ſint; horum tantùm promiſſione, vult diabolus adorari, *Si cadens adoraueris me.* Sed quid ad illum Dominus?

Lib. 6. de benef. cap. 30.

Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſerujes. Habemus hic, vnde diabolum deuincamus: præbuit nobis Chriſtus arma, quibus ſi vtamur, dæmonem ſuperamus. Solitudine, ieiunio, & ei non conſentiendo vincitur. Vis vincere dæmonem? fuge hominem:fugiat,inquam,hominum,mulierúmque conſortia, qui vult diabolica vitare contagia. Sanè athleta ille fortiſſimus Iob, ſolus in ſterquilinio mille confecit certamina, diabolíque contempſit conamina.Cùm autem ſe non ſolum, ſed amicis cinctum videret, certamen cum hoſte expauit. Qui bonis omnibus nudatus, filiis orbatus, pelle exutus, ſolus licèt non timebat:ſed aduentantes amicos, tanquam diaboli coadiutores pertimeſcebat. Hoc obſeruauit Ambroſius. Cùm Iob videret amicos ſuos, aduertit

Lib. de interpell. c. 2.

aduertit à Domino datam in ſe aduerſario tentandi ſui poteſtatem. Chriſtus deſertum non elegiſſet, nec ibi ſolus manſiſſet, niſi in eo, & à ſolo faciliùs dæmonem vinci agnouiſſet. Inuitet igitur animam Bernardus. O ſancta anima ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis. An neſcis te verecundum habere ſponſum, qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris?

Serm. 40. in Cant.

Aliud genus armaturæ, quod nobis Dominus indicauit, ieiunium eſt, quo diabolus vincitur, qui cibo vincebat. Quiſquis, ait Athanaſius, ab immundo ſpiritu vexatur, ſi hoc pharmaco vtatur, ieiunio, inquam, ſtatim ſpiritus malus oppreſſus abſcedet, vim ieiunij metuens. Epulo eiectus eſt homo de Paradiſo; ieiunio redeat ad Paradiſum. Similiter Ambroſius. Gula, inquit, de Paradiſo expulit regnantem; abſtinentia ad Paradiſum reuocauit errantem. Neſcio, an aliquando audieris, cùr lignea Moyſis virga, & ſerpens æneus fuerint olim inſtrumenta tantorum ſignorum. Cur, inquam, Deus Iſraëlitis in deſerto ſigna dedit per vnam ligni virgam, & per ſerpentem? Reſpondet Anaſtaſius Sinaita. Ea de cauſa ad eos admonendos, & ad reuocandum eis in memoriam ea quæ facta ſunt in Paradiſo, eis diuerſa exhibuit prodigia. Notum eſt omnibus, diabolum ad debellandos parentes noſtros, fructu ligni vetiti, & ſerpente vſum fuiſſe. Quamobrem cùm Iſraëlitæ haberent tunc vnam armaturam, nempe deſertum,

Lib. de virg.

De Elia & ieiunio. c. 4.

In Exam. lib. 10.

neceſſe

neceſſe erat, vt alteram, ſcilicet ieiunium haberent; ad quod ieiunium inuitabantur, dum viſa hac lignea virga, viſóque æneo ſerpente, dãnum recolerent cibi vetiti ex ligno à ſerpente protoparentibus in Paradiſo oblati, vt qui in ligno vincebat, in ieiunio vinceretur.

Quantùm autem proſit ieiunium, & quantùm noceat cibus, collige ex eo quod obſeruat Diuus Ambroſius, ponderans quòd Deus ſexto conditi orbis die, ceſſauit ab omni opere, quia tunc creaturas manducaturas condiderat: ſic enim ſcribit. Sexto die beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtis orta edendi poteſtas eſt, & vſus eſcarum. Vbi cibus cœpit, ibi factus eſt finis mundi. Ibi cœpit ſua incrementa neſcire, vbi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo iudicio declaratum eſt, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos deſiit augeri. Vbi eſt poteſtas comedendi, ibi aderit periculum offendendi: ibi enim præualet dæmon, vbi abeſt ieiunium. Meritò igitur idem Doctor vocat ieiunium caſtrum, & murum inexpugnabilem Chriſtianorum: Caſtra, inquiens, nobis ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt, &c. Murus quidam eſt Chriſtiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, tranſgreſſibilis inimico. Quis enim vnquam Chriſtianorum ieiunauit, & captus eſt? quis ſobrius manſit, & victus eſt? De tanto caſtro, ac tam forti muro dignatus eſt Dominus nobis prouidere, dum hoc ſacrum quadrageſimale ieiunium voluit inſtituere. Videtis, fratres, inquit Chryſologus, quia, quod quadrageſimam ieiunamus,

Loco citato.

Serm. 25.

Serm. 11.

Hic ſanctus Doctor florebat an. 450. namus,non eſt humana inuentio, authoritas eſt diuina:non eſt de terreno vſu, ſed de cœleſtibus eſt ſecretis. Audiant hoc hæretici, qui hoc quadrageſimale ieiunium, hominum, non Chriſti eſſe inuentum autumant, & impiè aſſeuerant: atque ita ſub ſuo duce diabolo non ceſſant hoc caſtrum,hunc murum impugnare; tamen numquam poterunt expugnare. Hoc caſtro eiiciuntur, & à diabolo vincuntur, qui hoc ieiunium tranſgrediuntur.

Tandem docuit Dominus reſiſtendum nobis eſſe diabolo per *non*, vel dicendo, *vade.* Bis enim in his tentationibus vſus eſt *non*. In prima ſcilicet, dum reſpondit: *Non in ſolo pane viuit homo*, &c. Et in ſecunda,dicens: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et nunc in hac vltima ait; *Vade Satana*, &c. Væ qui à diabolo vincitur, cùm tam facilè ei reſiſtere poſſit. Commouet te ad iram, ad ſumendam vindictam,vel ad luxuriam,aut ad aliud peccatum inducit? Reſponde, *non faciam*, Iob. 3. vel, *nolo*. De iuſtis ſic Iob. *Non exaudierunt vocem exactoris.* Iſte exactor eſt diabolus, qui exigit à te conſenſum:cùm tentaris,audis;cùm verò conſentis, exaudis. Ita Gregorius explicando illa verba,ait. Huius exactoris vox eſt tentatio ſuggeſtionis. Audimus autem vocem exactoris,cùm eius tentatione pulſamur: ſed non exaudimus, ſi pulſanti reſiſtimus. Qui voluerit à Domino exaudiri, caueat ne exaudiat dæmonem. Non exaudiet, ſi tentanti reſpondeat, *non*, vel, *vade*, aut ſaltem ſi non conſentiat. Et hoc eſt reſiſtere diabolo. Vnde ait Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo,* Iac. 4. *& fugiet à vobis.* Id eſt, nolite conſentire diabolo,

lo, & fugiet, relinquendò vos, ſicut reliquit Chriſtum. Quòd ſi redeat, iterum non conſentiendo reſiſtite, & ad vos accedent Angeli, ac tandem accedetis ad Regem Angelorum, qui ſolet coronare legitimè decertantes.

FERIA SECVNDA poſt Dominicam primam.

Cùm venerit filius hominis in majeſtate ſua, &c. Matth. 25.

IN exordio mundi Deum omnia quæ condiderat examinaſſe legimus. Facta luce, ait Moyſes, *vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Facto firmaméto, & congregatis aquis quæ ſub cœlo erant, in locum vnum, dicitur, *vidit Deus quòd eſſet bonum.* Apparente terra, & data ei vi germinandi herbas, & arbores producendi, iterum *vidit Deus quòd eſſet bonum* Creatis omnibus animantibus, ac eis multiplicandi facultate conceſſa, de huiuſmodi etiam dicitur, *vidit Deus quòd eſſet bonum.* Factis duobus magnis luminaribus, iniunctóque eis munere diuidendi diem ac noctem: productíſque ſtellis, ac illis in firmamento affixis, inſuper *vidit Deus quòd eſſet bonum.*

Geneſ. 1.

bonum. Tandem, perfecta rerum omnium molitione, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Non ſolùm Deus voluit ſigillatim videre quod fecerat, ſed & omnia ſimul ſuo ordine digeſta *vidit.* Quid eſt *vidit*? Examinauit & approbauit,ſecundùm Oleaſtrum: vel *vidit*,id eſt, videri fecit, ſecundùm Interlinearem.Si itaque Deus, à quo bona cuncta procedunt, & cuius opera non poſſunt eſſe niſi perfecta, voluit inchoante mundo illa omnia ſimul videre, & videri,& examinare, licèt ſeorſum illa viderit, & examinauerit;quid mirum, ſi deſinente mundo, omnium hominum ſimul opera videat, & videnda ac examinanda proponat, non obſtante cuiuſcumque hominis poſt mortem ipſius præcedente examine? Deus, vt ita dicam,voluit ſecum rationem ponere,ſuáque opera,licèt perfectiſſima, examini ſubiacere; & hominum opera imperfectioni obnoxia non examinabit?Diuina opera examinabuntur, & humana non iudicabuntur?Idcirco obſerua, Deum non examinaſſe hominem ſtatim poſt ipſius formationem: aut ſaltem Scripturam non dixiſſe, ſicut de cæteris rebus creatis, Deum vidiſſe hominem, *quòd eſſet bonus.* Ad hoc, cæteris rationibus prætermiſſis, reſponderem, ideo tunc Deum non examinaſſe hominem, quia aliàs erat examinandus, nempe poſt finem vitæ.Nam *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Et non tantùm ſtatim poſt vitam; ſed & in vltimo & vniuerſali Iudicio. Sibi perſuaſerant aliqui impij,nullam à Deo exigendam eſſe rationem ſuorum operum, quod

Oleaſt.

Hebr. 9.

quod maximè Deum ad iracundiam prouocaueat: vnde quærit & queritur Dauid. *Propter quid irritauit impius Deum?* Rationem aſſignat ipſe. *Dixit enim in corde ſuo, non requiret.* Imò requiret,& quando? Audi. Pſalm. 9.

Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua. Ipſemet Chriſtus innocentiſſimus, in quem non potuit cadere peccatum, fuit tamen coram hominibus ad iudicium deductus; & coram ipſo non vocabitur homo? Interrogauit homo Deum, & Deus non interrogabit hominem? Stetit Chriſtus ab hominibus iudicandus, & non ſedebit homines iudicaturus? Imò *tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Non cognoſcebatur Dominus iudicia patiens, ſed *cognoſcetur iudicia faciens.* Pſalm. 9.

Stetit,inquam, Chriſtus coram Caïpha, qui illum interrogauit, an eſſet filius Dei. Cui cùm reſpondiſſet, *Tu dixiſti*: adiunxit. *Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli.* Mentionem fecit Chriſtus iudicandus in ſua paſſione, de ſeipſo iudicaturo in finali Iudicio. Verùm quid paſſioni cum Iudicio? aut,quid Iudicio cum paſſione?Sanè reuocandum erat finale Iudicium in memoriam Caïphæ iudicanti, vt cognoſceret ſe tandem à Chriſto mox iudicando iudicandum, Nam, ait Cæſarius Arelatenſis, quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim futuri Iudicij diem abſcondit obliuio. Nihil magis commune peccatoribus deſperatis, quàm de venturo Iudicio non curare: ideo deſperatiſſimis hominibus extre- Matth. 26. Homil. 19.

mam medicinam clementiſſimus Medicus applicat,eámque efficaciſſimam; nimirum Iudicij extremi commemorationem. De impio ſic

Pſal 9. Pſaltes: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* In

Auguſt. quem locum Auguſtinus. Irremediale, inquit, periculum eſt, ſic aliquem vitij & cupiditatis fræna laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Itaque proponendum erat huic Pontifici futurum Iudicium, quo à peccato reuocaretur, & ab ipſo Chriſtus cognoſceretur; ſed quem noluit agnoſcere iudicandum, agnoſcet iudicaturum, vt adim-

Ibidem. pleretur illud; *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens.* Manifeſte enim veniet iudicaturus, qui occulte venerat iudicandus. Ita ſentit idem Au-

Aug de ciuit. Dei. guſt. Tunc, inquiens, manifeſtus veniet inter iuſtos iudicaturus iuſtè, qui occultè venerat iudicandus ab iniuſtis iniuſtè.

Mirum, quòd non pertimuerit Caïphas audiens habere coram ſe ſuum futurum Iudicem. De beatiſſima Virgine dicitur, quòd ſalutante eam Angelo *turbata eſt.* Rationem iſtius turba-

Serm. 140. tionis aſſignat Chryſologus: Quia, inquiens, mox ſenſit in ſe ſupernum ſuſcipi Iudicem. Turbatur Virgo puriſſima ſuſceptura intra ſe omnium Iudicem, & non turbatur impius Caïphas eundem videns, & audiens Iudicem. Similes ei ſunt peccatores, qui hoc tremendum Iudicium non reformidant. Præterea, congruè Chriſtus in paſſione ſua commemorat finale Iudicium, quia in illo multa ſunt videnda ſimilia his, quæ in paſſione viſa ſunt. Ita vt paſſio extiterit quędã futuri Iudicij adumbratio. In quibus autem paſ-

ſio

ſio conueniat cum Iudicio, & Iudicium cum paſſione, videamus.

1 In paſſione Chriſtus fuit captus *cum laternis & facibus.* Vt capiatur lux, luce indigent impij, qui vtuntur facibus, ne fallantur; ſed ſolus capiatur Ieſus. Ioan. 18.

In Iudicio quid Deus facturus ſit indicat Propheta: *Scrutabor Hieruſalem in lucernis.* Diuus Hieronymus hunc locum allegoricè de Iudicio interpretatur. Non indiget Chriſtus lucerna, vt peccatores diſcernat, ſed vtitur hac loquendi formula, vt ſe exactum Iudicem oſtendat. Lux enim ſcrutationi adhibita, diligentiam ſonat accuratiſſimam. Mulier illa perditam drachmam ſedulò quæſitura, lucernam accendiſſe dicitur. Ne pro iuſto impius ſumatur, congruum erit, vt Deus lucernis vtatur: & ne impius putet ſe Iudicem euaſurum, promittit Dominus ſe iuſtos lucernis ſcrutaturum. Iuſti enim per Hieruſalem intelliguntur ſecundùm Bernardum, qui hoc adnotauit. Quid tutum in Babylone, ſi in Hieruſalem manet ſcrutinium? Quaſi dicat: Si iuſti ſunt exactiſſimè examinandi, eorúmque opera an bona ſint diligentiſſimè probanda; quid de impiis, eorúmque malis operibus futurum ſperas? Ob diligentem illam circa iuſtos inquiſitionem exercendam ſic exclamabat Apoſtolus: *Si vix iuſtus ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Vnde Gregor. Quid faciet virga deſerti, vbi concutietur cedrus Paradiſi? Quid faciet agnus, vbi aries tremuit? Si iuſtus vix ſaluabitur, impius vbi apparebit? Chriſtus ipſe in illa ſua paſſione captus hoc ſatis aſtruebat. *Si in*

Soph. 1. Luc. 15. Serm. 55. in Cant. 1 Pet. 4. In Mor. Luc. 22.

viridi hoc fit, in arido quid fiet? Ac ſi dicat: Si ego, qui nullam merebar pœnam, cùm nullam potuerim committere culpam; trahor tamen ad humana iudicia, nolite putare impios diuinum euaſuros iudicium.

2 In paſsione Chriſtus diſcipulos vigilare hor-

Matth. 26. tabatur: *Vigilate*, inquiens, *& orate.*

Iudicium expectantes decet eſſe vigilantes.

Matth. 24. Ad hoc nos hortatur Chriſtus: *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*, &c. *Ideo & vos eſtote parati.* Ille vigilat qui ſemper ad illud Iudicium ſe præparat, qui peccata commiſſa deflet, qui ne in peccatum incidat, vigi-

Lib 6. epiſt. 22. lantiſsimè curat. Diuus Gregorius ſic ad Cubiculariam Auguſtæ ſcribebat. Quouſque vltima dies venerit, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis

Homil. 13. in Euang. fletibus lauare. Quia ſic eſt vigilare, vt idem alibi obſeruat: Vigilat, inquiens, qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat, qui ſeruat operando, quod credit; vigilat, qui à ſe torporis & negligentiæ tenebras pellit.

3 In paſsione Chriſtus nocte captus eſt; exiuit enim Iudas è cœna nocturno tempore, vt ſuam

Ioan. 13. adimpleret proditionem. *Erat autem nox.* Vnde

In vita Antonij. Athanaſius. Infœlix Iudas propter vnius noctis impietatem, omni præteriti temporis labore priuatus eſt.

Ad Iudicium Chriſtum nocte venturum veriſimile eſt. Ita ſentiunt Chryſoſtomus, Euthymius, Rupertus, Magiſter & alij, idque colligunt

Matth. 25. ex illis verbis: *Media autem nocte clamor factus eſt; ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Idem opinatur D. Hie

D. Hieronymus, qui in hæc verba ſcribens ſic ait. Traditio Iudæorum eſt, Chriſtum media noctie venturum in ſimilitudinem Ægyptij temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & exterminator venit. Vnde reor, & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat expectantes aduentum Chriſti: & poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem. In illud autem Exod. *In noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum*, ſic ſcribit Rupertus. Ideo media nocte hoc factum eſt, vt hiſtoricum exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, ſcientes quia quiſquis exemplo Ægyptiorum theſaurizauerit ſibi iram, nihilominus exemplo illorum improuiſam accipiet vindictam. Sic enim & vniuerſale Iudicium duris corde & impœnitentibus ex improuiſo ſuperueniet. Exod. 12. Exod. 12.

In paſſione capto Chriſto, *omnes Diſcipuli eo relicto fugerunt.* 4

In Iudicio ſolus relinquetur peccator, hoc eſt, nullus ei præbebit auxilium, nullus pro illo exorabit, omnis illum reſpuet creatura: ſolus infernus excipiet ad illum comburendum; dæmones ad illum vexandum. Legite Scripturas, inquit Chryſoſtomus, & diſcite, quomodo nos hinc illuc migrantes adiuuare poterit nemo: non frater redimet fratrem ex interminabilibus tormentis; non amicus amicum, non parentes filios; non filij parentes. Et quid dico homines miſerabiles, cùm neque ſi Noë veniet, & Iob & Homil. 22. ad pop.

Daniel, tunc Iudicem exorare poſſit? Vide enim non indutum veſte nuptiali, ex ſponſali domo expulſum, & neminem pro illo intercedentem. Reſpice quinque virgines excluſas, & æquales pro illis non deprecatas. Vide Iudicem oues à dextris conſtituentem, hædos à ſiniſtris; hos verò in tenebras exteriores repellentem, & eiectis neminem ſuccurrere poſſe.

5 In paſſione miniſtri Iudæorum audito Domini reſponſo, *Ego ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram.* Hoc igitur verbo quaſi fulmineo quodam ictu illos ſtrauit ac perculit. Meritò etiam Laurentius Iuſtinianus huiuſmodi Chriſti verbum tonitruum appellat. Diuinæ, inquit, vocis tonitruo territi retrorſum abierunt.

Ioan. 18.

Libro de triumph. Chriſti agone.

In Iudicio impij audita Chriſti in ipſos ſententia cadent non ſolùm in terram, ſed & in infernum. Nam, vt optimè aduertit Auguſt. quid faciet iudicaturus, qui hoc facit iudicandus? Quid inquam facient hæc verba, *Diſcedite maledicti*, &c. cùm huiuſmodi verbum, *Ego ſum*, adeò lene, hoſtes illos ſolo proſtrauerit?

Tract. 112. in Ioan.

6 In paſſione non poterant Iudæi faciem Chriſti ſufferre, & in eam reſpicere: ideo ait Marcus, *cœperunt velare faciem eius.* Et Lucas, *velauerunt eum.* Benigna illa facies percutiebatur: ſed non iraſcebatur, & tamen Iudæorum impietas illam non patiebatur. Non poterant, inquam, ſacratiſſimam illam faciem reſpicere, in quam deſiderant Angeli proſpicere.

Marc. 14. Luc. 22.

In Iudicio non poterunt impij ſuſtinere faciem iudicantis. Nam *quis ſtabit ad videndum eum?*

Malach. 3.

eum? Tantum erit ſupplicium hanc faciem iratam intueri, vt maluerit Chryſoſtomus infinita fulmina ſuſtinere, quam illam nos auerſantem videre. Ne igitur illam videant reprobi, quærent ſeſe abſcondere. Idcirco *dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.* Obſeruate interim quantæ ſint fortitudinis, qui tantæ ſunt formidinis. Precantur mali, vt montes cadant in eos, & colles illos operiant: libenter, inquam, montes portarent, qui nec vel minimam iniuriam, & pœnitentiam dum hic viuerent, ferre voluerunt. Petent cooperiri collibus, qui renuerunt vilibus indui veſtibus; ſaxoſáque libenter eligerent tegumenta, qui non niſi ſerica deferebant indumenta: montium optarent ſepeliri præcipitiis, qui reſpuerunt veſtiri ciliciis. Homil. 47. ad pop. Oſee 10.

In paſſione Pilatus Chriſtum toto corpore 7
cæſum, ac flagellis cruentatum, chlamyde indutum, ſpinis coronatum exhibuit populo, dicens, *Ecce homo.* Ioan. 19.

In Iudicio de vnoquoque peccatore dicetur: Ecce homo, non ſpinis coronatus, ſed peccatis circundatus; non chlamyde indutus, ſed gratia ſpoliatus; non verberibus affectus, ſed ſceleribus infectus: ſic a iuſtis eſt videndus, deridendus & exhibendus. *Videbunt iuſti, & ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum*, &c. Pſal. 51.

Præterea obſerua, non ſine diuina prouidentia actum eſſe, vt prætermiſſo, quod Dei erat in Chriſto Ieſu, id ſolùm perfidis Iudæis pan-

deretur, quod hominis eſſe videbatur, dum di-
ctum eſt, *Ecce homo.* Erat enim erga illos & alios
peccatores futuræ ſeueritatis præſagium, quan-
do diſſimulata omnino diuinitate, ſolùm id
quod hominis erat exhibetur. Quid terribilius
miſeris oſtendi poteſt, quam homo? Naturam
hominis ideo à verbi diuini perſona aſſumptam
Homil. de Natiuit. putat Theodotus, vt perſona diuina humanæ
naturæ rigorem temperaret: ſic enim ait. Non
per aſſumptam naturam hominis peccatorem
abſterret; ſed perſonæ humilitate ad familiari-
tatem & amicitiã prouocat. Quippe in Chriſto
Domino erat perſona diuina & natura humana:
hæc abſterreret peccatorem; ideo perſona diui-
na illi admiſcetur, ne deterriti à natura huma-
na peccatores caderent: ſed diuinæ perſonæ
affabilitate illecti ſtarent. Sola enim hominis
natura ex ſe horrenda eſt, & ſummopere me-
tuenda in caſtigando.

Heu, heu vos miſeri, quibus non Deus, ſed
homo monſtratur, non enim dicitur, *Ecce Deus:*
ſed, *Ecce homo.* O quam longè à diuina miſera-
tione eſtis, ſi iuxta verba hominis affligendi
eſtis! Quis non deterretur hoc ſpectaculo, in
quo Deus ſub offenſi hominis figura totus latet?
Matth. 19. Equidem dicit quidam ad Ieſum: *Magiſter
bone, quid faciam, vt habeam vitam æternam? Qui
dixit ei: Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus
Deus.* Quaſi diceret: Non ab homine iniuriis
affecto expectes bonitatem, ſed rigorem: vnus
Deus eſt qui inter iniurias nouit bonus iniu-
Lib. 1. de Trinit. c. 13. riantibus eſſe. Ita Auguſtinus. Quid me inter
rogas, inquit, de bono? Id eſt, iſtam formam
quam

quam vides, quid interrogas de bono, & vocas me ſecundùm quod vides, magiſtrum bonum? Hæc forma filij hominis eſt, hæc forma apparebit in Iudicio, non tantùm iuſtis, ſed impiis, & huius formæ viſio non erit in bonum eis qui malè agunt. Minùs enim ſcit homo miſereri, quàm Deus. Chriſtus ipſe, vt innuat, cum qua ſeueritate ſit iudicaturus, dicit nũc ſe venturum, non tanquam filium Dei, ſed tanquam filium hominis; *Cùm venerit filius hominis.* Quippe hæc ipſa humana Saluatoris figura maximè in Iudicio torquebit malos, qui nequaquam diuinitatem, ſed humanitatem duntaxat videbunt, vt optimè obſeruauit idem Auguſtinus, aſſignans huius rei rationem. In forma, inquit, in qua iudicaturus eſt, videbunt eum ne gaudeant. Iudæis itaque dictum eſt à Pilato, *Ecce homo*: eiſdem etiam in Iudicio & aliis impiis idem dicetur. Auguſt.

8 In paſſione lata eſt in Chriſtum ſententia. Nam à Pilato eſt iudicatus, qui *tradidit eum voluntati Iudæorum.* Hoc iam prædixerat Chriſtus, dum de ſeipſo loquens ſic apud Ioannem effabatur: *Nunc iudicium eſt mundi.* Id eſt, ſecundùm D. Gaudentium, appropinquauit hora, vt mundus iudicandus iudicet, & ſententiam ferat aduerſus creatorem ſuum & Iudicem; me enim improbi homines morti adiudicabunt: vnde exclamat D. Leo. O ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Cruxifixi! Luc. 23. Ioan. 12. Serm 8. de Paſch.

In Iudicio, rationi conſentaneum erit, vt mundus iudicetur, & in impios hæc iuſta, nun-

quã reuocanda à Chriſto feratur ſententia: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Liqueſcit animus, horrent membra, vox faucibus hæret, dum hæc audio. Hac enim ſententia Chriſtus malos bonis æternis abdicat, dum ait, *Diſcedite:* malis deuouet, addendo, *maledicti*; & pœnis certis deſtinat,
Geneſ.27. his verbis, *in ignem æternum.* Eſau amiſſa benedictione patris, *irrugijt clamore magno.* Nullo fuerat maledictionis fulmine percuſſus; & tamen *cum magno eiulatu flebat.* Qualem eiulatum, qualem clamorem emittent infœlices iſtæ creaturæ? quales fundent lacrymas, cùm viderint propria culpa ſe non tantùm benedictione diuina priuari, ſed & irretractabili maledictione repleri?

9 In paſſione, lata Præſidis ſententia, confeſtim paratur Crux, quam Chriſtus *baiulans exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum*, vbi crucifixerunt eum: itáque apparuit Crux humeris Chriſti portata, & in Caluariæ monte plantata.

Matth.24. In Iudicio, *parebit ſignum filij hominis in cœlo*; quod de Cruce intelligendum eſſe aſſerunt Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius, Auguſtinus, Theophylactus, Euthymius, & alij, ac ipſa Eccleſia, quæ ideo ſic canit: *Hoc ſignum Crucis erit in in cœlo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Quæritur, quænam Crux in Iudicio ſit conſpicienda. Palatius putat, Crucis affigiem cœlo ſemper infixam fore, vt beatos ſuo recreet aſpectu. Non deſunt qui dicant, Crucis ſignum in frontibus omnium iuſtorum tunc appariturum,
Apoc.7. fortè hac authoritate fulti; *quoadusque ſignemus*

ſeruos

ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Exiſtimat Vualdenſis, ipſammet ligneam Crucem, cui Chriſtus fuit ſuffixus, eſſe diuina virtute redintegrandam, & in die Iudicij, in cœlo omnibus hominibus oſtendendam, iuxta illud carmen Sibyllinum. Apoc 7. Tom. 3. de Sacrament. tit. 20. cap. 158.

O lignum fœlix, in quo Deus ipſe pependit,
Nec te terra capit, ſed cœli tecta videbis.

Cur autem Crux ſit in Iudicio conſpicienda, aliquas reddit rationes Diuus Thomas: Apparebit, inquiens, ſignum Crucis, vt per hoc iuſtior condemnatio eorum appareat, qui tantam miſericordiam neglexerunt. Deinde, vt ſignificetur, iudiciariam poteſtatem per Crucem comparatam. Præterea, vt dolores, mortem, & opprobria, quæ tantus Rex pro hominibus pertulit, ante oculos eorum ponat, & increpet ingratitudinem. Aliam alij addunt rationem. Apparebit Crux, vt ſcilicet exaltetur. Illa Chriſtum exaltauit, iuxta illud, *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Ita Chriſtus illam exaltabit. Vnde aliqui, inter quos Chryſoſtomus citatus ab Vualdenſe, opinantur Crucem Chriſti incorruptibilitate donatam, in cœlo empyreo collocandam: ſic enim ſcribit ſanctus ille Doctor. Crucem ſolam non relinquet Dominus in terra, ſed ſecum eam leuabit in cœlum. Leuabit, inquam, & faciet illam gaudere priuilegio creaturæ intellectualis & beatæ, collocando illam rutilantem in cœlo. Vnde ad illam Eccleſia: *O Crux ſplendidior cunctis aſtris*, &c. Nam ſplendeſcet in Iudicio, rutilabitque in cœlo, ſecundùm Euthymium. Crux longè clariùs Sole fulgebit.

Add. qu. 90. art. 2.

Philip. 2.

Homil. de Cruce, & latrone Tom. 3.

D. Euthy.

gebit. Quale gaudium beatis ſemper hanc rutilantem Crucem viſuris? Contrà, qualis mœſtitia improbis perpetuam, ac tenebroſam inferni Crucem ſubituris? Qui ergo voluerit hanc Dominicam Crucem videre in cœlis, ſuam patienter baiulet in terris.

Sunt qui dicunt, quòd in nouiſſimo die Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum ob præſentiam Crucis tunc maximè rutilantis. Huius opinionis eſt Diuus Laurentius Iuſtinianus, qui ſic ſcribit. Conſidera quanta ſit virtus Crucis, in die namque Iudicij Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, vt diſcas quantum Crux Luna lucidior, & Sole ſplendidior ſit; apparebit tunc Crux. Itaque ſicut exiſtente Chriſto in Cruce, *factæ ſunt tenebræ per vniuerſam terram*, ita exiſtente tunc Cruce in aëre, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.

In ligno vitæ, cap. 4.

10 In paſſione omnes ferè creaturæ, vt viderunt parricidas Iudæos in authorem ſuum irruiſſe, manúſque ſacrilegis inieciſſe, commouebantur, perditionem illis minitantes, tantúmque ſcelus vindicaſſent, niſi illas Deus cohibuiſſet. Nam *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & Sol obſcuratus eſt. Velum templi ſciſſum eſt: terra mota eſt; & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt*, &c. Quod obſeruans D. Leo, ſic alloquitur Iudæos. Cùm ad tantam diuinæ majeſtatis inclinationem totius mundi compago quateretur: cùm facinus impium omnis ſui confuſione creatura damnaret, & manifeſtam in reos ſententiam elementa proferrent, quis vobis animus Iudæi, quæ conſcientia fuit, quando

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Serm. de Paſſ.

quando & vos iudicium vniuerſitatis vrgebat? Qualis confuſio vos operuit?

In Iudicio, eaſdem creaturas ſimilia edere ſigna, ac ſimili, imò ſeueriori modo in peccatores inſurgentes & irruentes intuemur; Nam *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cœlo, virtutes cœlorum mouebuntur. Erunt terræ motus per loca; terroréſque de cœlo, & ſigna magna erunt.* Omnes enim creaturæ tunc aduerſus impios dimicabunt; dimicabit quoque ipſe creator, qui *armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tamquam turbo venti diuidet illos*, &c. Armabit Chriſtus cœlum, Solem, Lunam, aſtra terrore tenebrarum: aërem fulminibus, grandine, tonitruis, procellis: mare horrendo ſonitu, fluctuúmque commotione: terram inſolitis motibus; tandem ignem ſolutis immittet habenis. Quò fugient peccatores? cuius implorabunt auxilium, qui & creaturas aduerſas, & creatorem habebunt infenſum? Libenter enim cœlum illos fulminibus obrueret, ignis conſumeret, aër turbinibus, procellíſque diſperderet, terra abſorberet, aqua ſubmergeret, niſi maiori tormento, nempe igni tartareo reſeruarentur. Sapient. 5.

Armauerat Abſalom contra patrem ſuum, illúmque rebellando inſectabatur. Sed quid? pugnarunt multæ creaturæ pro patre aduerſus eum. Nam terra è bello fugitiuum à ſe depulit, mulus deſeruit, arbor detinuit, capilli proprij eum ligarunt, lancea transfixit. Audiamus Chryſtomum hoc expendentem. O nefandum meritum Homil. de Abſol. perſequente patrem.

ritum parricidæ! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hoſtilis manus, non iaculantis ictus defendit; ſed vindicant ligna, arbor vlciſcitur, rami defendunt. Nec eſt vlla creatura, quæ non mota fuerit, cùm ipſum ſenſerit moueri in patrem. Si itaque tam proteruum filium inſectabantur creaturæ, eo quòd ipſe patrem inſectaretur, quomodo non pugnabunt aduerſus peccatores creatorem ipſum offendentes?

Cæterùm, alij expauent ipſum Abſalomem à quercu ſuſpenſum, & lancea tranſuerberatum; ego adſtupeo magis, quòd in illum lanceam
2. Reg. 18. Ioab contorſerit; Ioab, inquam, ille amiciſſimus, ille qui toties pro illo interceſſerat apud Dauidem
In Pſalm. 7. dem patrem. Hoc pōderans idem Chryſoſtomus ſic fatur. Qui patrem ei reconciliauit, is ipſum interfecit, propemodum inſtans vehemens accuſator. Planè ea ipſa Saluatoris figura, quæ peccatoribus ſæpe Patrem cœleſtem reconciliauerat, eoſdem in Iudicio condemnabit, tartareis flammis adiudicabit, & à ſe diſcedere imperabit: *Diſcedite à me.*

Audimus Deum locutum fuiſſe peccatori,
Pſalm. 49. hoc refert Dauid. *Peccatori autem dixit Deus.* Sed quid inter alia? *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam:* vel ſecundùm Septuaginta, *Proponam te ante oculos tuos, & ſtatuam contra faciem peccata tua.* Pagninus ſic vertit; *Ordinabo in oculis tuis iudicium.* Iſidorus Clarius; *Statuam me contra oculos tuos.* Ex his colligimus, quòd non tantùm creator, & creaturæ pugnabunt aduerſus impium, & ſtatuentur contra eum; ſed & ipſemet aduerſus ſeipſum. Nam poſitis, ac tanquam acie
ordi

ordinatis ante oculos ſuos, & contra faciem ſuam peccatis, adeò conuincetur, vt iure dicere poſſit illud; *Me, me: adſum, qui feci, in me conuertite ferrum: exurite flammis.* Nam *ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi.* Hoc attendens Auguſtinus ſic ſcribit. Certum eſt, in die illa ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi vitam in cordis ſpeculo demonſtrandam, & teſtes contra eam non de foris, ſed intus de ipſa anima proferendos. Ordinabuntur ante infœlicem animam peccata, vt eam & conuincat probatio, & confundat agnitio. Virg. 9. Aeneid. 2. Reg. 24. Serm. 35. de verb. Apoſtoli.

11 In paſſione fuit Chriſto reſtitutum, quod ei fuerat ablatum: nam Regem negauerant illum Iudæi; ſed Rex agnoſcitur à pio latrone, clamante & poſtulante, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*: & ab ipſo Pilato ſcribente in ipſo titulo, *Rex Iudæorum.* Illum etiam negauerant filium Dei, ſed poſtmodum *Centurio, & qui cum eo erant dixerunt: Verè filius Dei erat iſte.* Iudas triginta argenteos quos ſumpſerat, retulit; ac Chriſto innocentiam reſtituens hæc verba protulit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Vita quoque quæ ei moriendo fuerat ablata, poſt triduum fuit ei reſurgendo reſtituta. Matth. 27.

In Iudicio fiet omnium reſtitutio: ideo à D. Petro extremum Iudicium vocatur *tempora reſtitutionis.* Nam anima reſtituetur corpori, corpus reſtituetur à terra; *Surgent mortui*: & à mari; *Dedit mare mortuos ſuos.* Membra etiam aliquando præciſa corpori reſtituentur: vnde iuuenis ille ex Machabæis tyranno poſtulanti ab eo linguam, & alia membra amputanda, magna animi Act. 3. Apoc. 27.

forti

2. Mach.7. fortitudine reſpondit. *E cælo iſta poſſideo, & propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio: quia ab ipſo me recepturum ſpero.* Diuus Auguſtinus hunc locum Dauidicum, *Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ,* ſic vertit; *Dominus erit reſtitutor corporis mei:* vnde ſic confidenter ſcribit. Quid mihi deerit, ſi membra mea dilaceret inimicus, quando capillos meos Deus dinumerat? Quid timebo damna membrorum, quando ſecuritatem accipio de numero capillorum, &c.

Serm.4.de martyr.

Omnia tunc ſunt reſtituenda. Abſtulit quis honorem alicuius? cogetur reddere. Spreuerunt impij bonos, illóſque habuerunt riſui, ac bonis operibus vacantes inſanire iudicarunt: ſed audies reſtitutionem. Nam *præ anguſtia ſpiritus gementes*, hæc publicè coguntur dicere: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus infamiam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei*, &c. Idem de aliis reſtitutionibus erit iudicium. Sed malis non proderunt illæ reſtitutiones; ideo ſatius eſſet hic ſponte honorem, famam, bona, & cætera ablata reſtituere, antequàm veniant illa tempora coactæ reſtitutionis. Omnes etiam homines ſuo loco reſtituentur. Sunt enim mali nunc in dextris proſperitatis, boni verò in ſiniſtris aduerſitatis; mali lætantur, boni triſtantur: at tunc gaudium reſtituetur bonis, triſtitia malis. Dextera vt plurimùm datur hic improbis, ſiniſtra probis: ſed tunc his reſtituetur dextera, illis verò ſiniſtra. *Statuet oues quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris.*

Sapient.5.

In

In paſſione fuit Chriſtus tribus, vel ſecundùm aliquos, quatuor clauis Cruci ſuffixus. 14

In Iudicio, improbi ſunt Dominicis verbis veluti clauis tartareæ cruci perpetuò affigendi. En claui. 1. *Diſcedite à me.* 2. *maledicti.* 3. *in ignem.* 4. *æternum* De huiuſmodi clauis poſſumus dicere illud Iſaiæ: *Non auferentur claui eius in ſempiternum.* Idco additum eſt (*æternum*,) quo veluti clauo trabali, adeò ſunt damnati inferno affixi & compacti, vt nullo modo euadere poſſint. Conſiderandus eſt ſæpe ille quartus clauus, nempe ſuppliciorum æternitas, quæ iuſte eis infligitur: quia ſi in æternum vixiſſent, in æternum peccaſſent. Ad magnam iuſtitiam, inquit Gregorius, iudicantis pertinet, vt nunquam careat ſupplicio, qui nunquam voluit carere peccato. Sine fine pœnas luant, qui voluntatem habuerunt ſine fine peccandi, ſi naturam habuiſſent ſine fine viuendi. Vnde idem Doctor. Ideo iniqui cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluiſſent quippe ſine fine viuere, vt ſine fine potuiſſent in ſuis iniquitatibus permanere. Atque ita, quia mali peccarunt in ſua æternitate, ideo iuſtè cruciantur cum æternitate.

Iſai. 33

Lib. 4 diag.

Lib. 34. Mor.

O Æternitas, quàm rarò verſaris in mentibus hominum! Quandiu terra erit terra, quandiu cœlum erit cœlum, quandiu Angeli erunt Angeli, quandiu Deus erit Deus, tandiu damnati ardebunt in igne ſulphurante, in flammantibus incendiis, & tormentorum eorum non erit finis in ſæcula ſæculorum. Exclamet igitur Auguſtinus. O miſeranda conditio, quando citò tranſit,

Serm. 150. de Temp.

quod delectat, & in æternum manet quod cruciat! Hoc cogita dum te titillat libido, dum te inuitat gula, ambitio, ira. Noli momento vno fœdæ voluptatis emere æternitatem dolorum. Non enim ſunt condignæ voluptates, deliciæ huius temporis, ad futuram pœnam, quæ reuelabitur in damnatis, & quæ ab eis tolerabitur. Quod enim momentaneum eſt, & leue voluptatis libidinoſorum, ſuperborum, æternum tormentorum pondus operatur in eis. Quis, ait
Serm. de S.Laurent. idem Auguſtinus, nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incen-
Serm 67. de modo bene viuendi. dium? Diuus Bernardus hoc efficax remedium contra luxuriam præſcribit, dum ad ſororem ſic ſcribit. Memoria ardoris gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ. Facilè enim corporis contemnitur voluptas, ſi pœnarum ſemper cogitetur æternitas. Abbas Olympius cùm cellam perexiguam incoleret, in qua nimio æſtu afficiebatur, & ciniphum aculeata turba impetebatur, rogatus cur in ea tanto tempore moraretur, reſpondebat: Libenter æſtum tolero, quia ſempiterni ignis ſupplicia perhorrèſco. Ciniphes perfero, vt immortalem & ſemper corrodentem effugiam vermem. Habebat ſemper ob
Iſaiæ 33. oculos illud Iſaiæ: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

13 Tandem, in paſſione *impoſuerunt ſuper caput*
Matth. 27. *eius cauſam ipſius ſcriptam*. Notandum eſt autem hunc titulum ſcriptum fuiſſe tribus linguis, Hebræa ſcilicet, Græca, & Latina, quarum prima ſemper ſcribitur à dextera ad ſiniſtram; aliæ duæ

duæ à ſiniſtra ad dexteram. At in hoc Crucis titulo diuina quadam prouidentia factum eſt, vt iſtæ duæ more Hebraicæ linguæ ſint ſcriptæ à dextera ad læuam, vt patet in ipſomet titulo, qui adhuc extat Romæ in Baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem, in quo vt omnium trium linguarum verba perlegantur, oportet inchoare a dextera tendendo ad ſiniſtram, & non à ſiniſtra ad dexteram. Videamus myſterium ad noſtrum propoſitum.

In Iudicio omnibus nota erit cauſa ſalutis iuſtorum, & damnationis malorum: volens igitur Iudex proferre ſententiam, non incipiet, ſecundùm Euangeliſtam, ab his quis à ſiniſtris eius erunt; ſed ab his, qui à dextris, quibus dicet: *Venite benedicti Patris mei*, &c. Poſtmodum veniendo ad ſiniſtram, dicet his qui à ſiniſtris eius erunt: *Diſcedite maledicti*, &c. Itaque, quemadmodum inchoandum eſt à dextera, vt legatur cauſa mortis Chriſti; ſic, vt ſciatur iſtorum ſententia, legenda primò ſunt ea, quæ dicuntur his, qui à dextris eius erunt. Quibus cur Chriſtus priùs ſit locuturus, rationem aſſignat Chryſoſtomus: Quia, inquiens, paratior eſt Deus ſemper ad benefaciendum, quàm ad puniendum. Nam bona bonis ſecundùm propoſitum ſuum præſtat, quia bonus; malis autem mala contra propoſitum ſuum facit inuitus, quia Iudex eſt. Inchoabit libenter Chriſtus à dextera, quia præmiaturus; ſed quaſi coactè perget ad ſiniſtram, quia puniturus. De illo enim dici poteſt:

Homil. 54. in Matth.

Ouid.lib.1. de Ponto eleg.3. *Eſt piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,*
Quique dolet quoties cogitur eſſe ferox.
Expulſionis autem & condemnationis malorum hæc vna aſſignatur cauſa. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Expende (*mihi.*) Quaſi dicat iuſtè conquerendo: Mihi non dediſtis manducare, qui tradidi vobis corpus meum in cibum. Nónne dixi, *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum?* &c. Potum mihi denegaſtis, qui pro vobis meum effudi ſanguinem. Totus vobis datus fui. Nam *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Pudeat vos, dato vobis, nihil dediſſe.

Volentes autem impij ſe excuſare reſpondebunt: *Quando te vidimus eſurientem, & non miniſtrauimus tibi?* &c. Ac ſi dicerent: Si ita te patientem vidiſſemus, libenter miniſtraſſemus. Et præter id quod Christus hic ſe reſponſurum promittit, adhuc in illorum contemptum, tunc
Iob.27. adimplebitur quod apud Iob ſcribitur. *Stringet ſuper eum manus ſuas, & ſibilabit ſuper illum, intuens locum eius.* Quod ad literam intelligitur de Domino exitium impij irridente in die Iudicij. Ait ergo Iob, Dominum manus ſuas ſtricturum, ac ex ſibilaturum ſuper impium. *Stringet manus ſuas.* Vidiſti aliquando hominem auarum, volentem munificum ac liberalem haberi, ac ſua munera iactantem, dicentem ſe plurima dediſſe, vel daturum? Tu autem qui ſcis illum adeò eſſe auaritiæ deditum, vt nihil dederit, nec dare voluerit, ſtringis manum, illúmque ironicè vocas liberalem; eſt enim manus ſtricta ſymbolum auaritiæ. Chriſtus igitur in Iudicio volens

oſtendere impios nihil ſibi, nec pauperibus dediſſe, nec dare voluiſſe, quidquid dicant, *ſtringet ſuper eos manus ſuas*, eorum indicando auaritiam.

Quid de fulminata in reprobos ſententia dicat Cyprianus, audi. Quanta illud edictum ſequentur lamenta? Illius vltimæ tubæ clamor quàm horribilis erit? Continuus erit & ſuperfluus lacrymarum decurſus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixæ libidines ebullient; & inter ſartagines flammeas miſera corpora cremabuntur: non miſerebitur vltrà Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Quis tam ſeueram vocem non expauet? Quis vel primum eius ſibilum poteſt ſuſtinere? Quicquid ſonat, eſt væ, & lamentationes: quicquid ſtridet, flagellum eſt, ignis eſt, ardénſque in æternum vorago, & non timebit creatura? Quæritur autem, an Chriſtus omnibus tam infidelibus quàm fidelibus dicturus ſit: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Reſpondent Gregorius, Euthymius & Origenes, hæc verba ſolis fidelibus dicenda. Infideles autem aliter ſunt increpandi, eiſque alia crimina obiicienda. Verùm ſi attendatur quænam ſit Chriſti eſuritio & ſitis, hæc verba omnibus etiam infidelibus dicenda eſſe, dicere non dubitamus. Nam hominis ſalutem eſurit & ſitit Chriſtus. Noſtram ſalutem eſuriuit in deſerto, ac ſic eſurientem tentauit diabolus, illámque ſitiuit in Cruce, dum dixit, *Sitio.* De illius eſuritione in deſerto ſic Ambroſius. Eſuriit non cibum hominum, ſed ſalutem. Chriſtum ſitientem in Cruce ſic

Serm. de Aſcenſ.

Serm. 36. de quadr.

deuotè interrogat Drogo de paſſ. illúmque inducit reſpondentem. Domine quid ſitis? veſtram fidem, veſtram ſalutem. Itaque ille Chriſto cibum ac potum denegat, qui in illum credere recuſat, ſicut infidelis. Ille etiam non dat ei manducare & bibere, qui negligit pœnitentiam
Serm. 71. in Cant. agere, veluti fidelis. Nam, teſte Bernardo, cibus Chriſti, pœnitentia mea. Niſi pœnitentiam egeritis, audietis, *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, &c.

Vt autem tanti Iudicij rigorem euitemus, noſtram hic conſcientiam examinemus, ac nos
Serm. 55. in Cant. ipſos iudicemus. Hoc conſulit Bernardus. Vnum eſt, ſi noſmetipſos diiudicauerimus, non vtìque iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi diſtricto, diuinóque iudicio ſubducit, & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viuẽtis: volo vultui iræ iudicatus præſentari, non iudicandus. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona; ſcrutabor vias meas, & ſtudia mea, vt is qui ſcrutaturus eſt Hieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me, ſiue indiſcuſſum inueniat.

FERIA

FERIA TERTIA
poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Cùm intraſſet IESVS *Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic?* Matth. 21.

EXISTENTE adhuc Chriſto in cunabulis, aduentantibus Magis in Hieruſalem, ibique quærentibus, vbinam eſſet qui natus erat Rex Iudæorum, *turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Si audita eius Matth. 2. nominis fama turbatur Hieroſolymitana ciuitas, quid mirum, ſi eiuſdem Chriſti præſentia, eadem commoueatur, quæ tantis criminibus replebatur? Nam circa muros habebat iniquitatem: in medio iniuſtitiam: in plateis vſuram & dolum. Sic eam deſcribit Propheta regius: *Vidi* Pſal. 54. *iniquitatem, & contradictionem in ciuitate: die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia, & non defecit de plateis eius vſura & dolus.* Inundantibus igitur his vitiis, atque ipſos muros excedentibus, ac

ac etiam iam in templo introductis, venit Chriſtus, tum ciuitatem, tum templum ingreſſurus, illúdque ab his vitiis purgaturus, & in eo vendentes & ementes eiecturus. Illo itaque intrante Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, multique dicebant:

Quis eſt hic? Sæpe proſilierunt Iudæi in has interrogationes. Olim de manna ſic quæritabant, *Manhu; quid eſt hoc?* Reſponſum eſt à Moyſe, hoc eſſe nutrimentum, habens in ſe omne delectamentum. De Dauide dictum eſt, *Quis eſt filius Iſai?* Paupere loquente aliqui dicebant, *Quis eſt hic?* Chriſto indulgentiam Magdalenæ concedente quidam dixerunt, *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Quærunt & hodie Iudæi, & dicunt:

Exod. 12. · 1. Reg. 15. · Eccl. 13. · Luc. 7.

Quis eſt hic? Petite à Patre cœleſti, & reſpondebit, *Hic eſt filius meus dilectus.*

Quis eſt hic? Petite à matre Eccleſia, & dicet, *Is eſt per quem majeſtatem Dei laudant Angeli; adorant dominationes; tremunt poteſtates,* &c.

Quis eſt hic? Ioannem Baptiſtam interrogate, & reſpondebit, *Ecce Agnus Dei: ecce qui tolit peccatum mundi.*

Ioan. 1.

Quis eſt hic? Quærite à Petro, & dicet, *Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt Iudex viuorum & mortuorum.*

Act. 7.

Quis eſt hic? Reſpondeat vobis Paulus, & dicat, *Eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris.*

Hebr. 1.

At Iudæi nolunt agnoſcere Patrem, nec Eccleſiam matrem: Ioannem decollauerunt: Petrum carceribus manciparunt: Paulum falsò accuſarunt, ac tandem vtrumque necarunt. Audiant ſaltem populum: nam vox populi, vox Dei.

Dei. *Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta a Nazareth Galilaa.* Non legimus, quòd principes inter Iudæos Chriſtum vocauerint hoc ſalutari nomine Ieſu: ſed aliquando appellabant eum dæmoniacũ, ſeductorem: aliquando Rabbi, ſeu Magiſtrum. Non quærebãt ſaluari per Ieſum: ideo nolebant nominare Ieſum. Sæuiebant in Ieſum, quia non ſperabant in Ieſum. Pia autem turba libenter Ieſum nominabat; quia ab eo ſalutem ſperabat. Dictum enim erat ab Angelo Ioſeph, *Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Dicat igitur populus ab eo ſaluandus. Matth. 1.

Hic eſt Ieſus. Non debebat hoc nomen taceri, quod omnibus debebat manifeſtari, ac per omnium ora volitare. Metuebant nationes, teſte Plutarcho, euulgationem nominis Dei tutelaris; Lib. probl. imò, quod diuiniſſimum eſt, ſanctiſſimum Dei nomen Iudæis ineffabile erat, nec apud illos nominari aut explicari licuit. Verùm poſtquam Dominus nomen Ieſu accepit, prædicari, nominari, & prætendi deſiderat. Hanc euulgationem nominis Ieſu nobis inuidebat Lucifer, etiam ante caſum ſuum, vt optimè meditatur Diuus Bernardus, illi accommodans hæc verba Serm. 16. in Cant. Iudæ, *vt quid perditio hæc?* Sic itaque ſcribit. Putáſne Lucifer, ille qui mane oriebatur, antequam verteretur in tenebras, generi noſtro inuiderit & ipſe olei effuſionem, vt per ſeipſum iam tunc muſſitaret, dicens indignabundus intra ſe; vt quid perditio? Verùm quid illi profuit? Nihilominus tamen tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, & dicit

populus acquiſitionis, *Oleum effuſum nomen tuum.* Proclament igitur turbæ, & dicant.

Hic eſt Ieſus. Iſti erant veluti agni qui hanc ouem agnoſcebant. Ouem enim dicit, qui Ieſum dicit. Nam Ieſus Græcè per anagramma idem eſt, quod *ouis*, vt patet ex hoc eius anagrammatiſmo; Ἰησοῦς, Ieſus, σὺ ἧ ὄϊς, id eſt, *tu es ouis.* vtrobique eædem ſunt literæ, ſed ordine commutato. Hunc anagrammatiſmum nouerat Pro-

Iſa. 53. pheta, dum dixit: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* In acri illa tonſione, qua non lana & veſtis, ſed pellis, caro, ſanguis & vita, flagellis, clauis & plagis detondebantur, non gemebat, non obſtrepebat, nec reſiſtebat; ſed mitiſſima patientia tacitus omnia perferebat. Vnde Tertullianus meritò inuehitur in Phariſæos, qui in hac tam ſingulari patientia Ieſum

Lib. de patient. cap 3. minimè agnouerunt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis, patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret. Qui itaque illum non agnouerant ciuitatem ingredientem; agnoſcere ſaltem debuerant extra ciuitatem patientem. Ad occiſionem ducebatur, & non comminabatur: libenter mortem perferebat, qui ſeipſum offerebat, opprobria audiebat, & obmuteſcebat, maledicebatur, & non querebatur. Mirum igitur quòd tanta pateretur, & ab impiis non agnoſceretur. Notandum eſt quod in victimis maximè obſeruarunt antiqui: nam ſi qua victima aliquo modo ſignificaret ſe inuitam trahi ad aram, vt ſi ab ara profugiſſet, aut nimis eſſet reluctata, aut percuſſa

ederet

ederet mugitus, triſte exiſtimabatur portentum, neque aris admouebatur, quia eiuſmodi victima ingrata eſſe Deo putabatur. Ita ſcribitur à Macrobio. Obſeruatum eſt à ſacrificantibus, vt ſi hoſtia quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementiùs reluctata, oſtendiſſétque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur; quia inuito Deo offerri eam putabant. Quæ verò ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant. Idipſum notauit Plutarchus. Hæc bellè conueniunt in Ieſum ouem noſtram: nam *oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Antè, inquam, ſe obtulit, & ſic contra diabolum victoriam retulit. Rex noſter, ait Auguſt. manſuetudine vicit diabolum. Sæuiebat ille, ſufferebat iſte. Victus eſt qui ſæuiebat; vicit qui ſufferebat. Et iſta ouis agnos ſuos miſit inter lupos: *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*; vt eam fortitudinem & patientiã quam ab ea hauſerant & ſuxerant, omnibus notam faciant. Ille huius ouis agnus habebitur, qui æquo animo quaſcumque ſibi illatas iniurias patietur. Audi quid dicant agni iſtius oues; *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.*

Lib 3. Saturn. c. 5. — Lib. 8. Sympoſ. cap. 8. — Iſa. 53. — In Pſal. 131. — Luc. 10. — 1. Cor 4.

Hic eſt Ieſus. Ieſum vocarunt & inuocarunt homines; imò & Angeli. Quando homines? poſtquam natus eſt. Quando Angeli? antequam conciperetur. Audi, *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.* Cur autem illi tardè, iſti citò Ieſum appellarunt, rationem aſſignat Bernardus his verbis. Angeli Saluator, & hominis: ſed hominis ab incarnatione; Angeli ab initio creaturæ

Luc. 4. — Serm. 1. de Circ.

turæ. Innotuit namque in hac Ieſu appellatione, differentia ſalutis allatæ hominibus & Angelis. Illis tardè & poſt mille caſus,& ideo Ieſum appellant non niſi poſtquam natum; his citò, feſtinanter,ab initio creaturæ, primo ſuæ creationis momento, quid nimirum ſi Ieſum compellarunt antequam in vtero cóciperetur? Cùm vterque, homo ſcilicet & Angelus, ſaluetur per Ieſum, conſentaneum eſt, vt vocent & inuocent Ieſum. Dicant ergo iſti populi.

Hic eſt Ieſus. Quaſi dicant, hic adeſt Ieſus, venit Saluator, poſt cuius aduentum debent homines audere ſupra omnem creaturam; tales vult Ieſus ſuos fideles, teſte Origene, qui ſic ſcribit. Vult Chriſtus fideles ſuos meliores eſſe omni humana natura, & erigi eos ſupra naturam. Videas nunc aliquos,audita Ieſu præſentia, præſtitiſſe,quæ vires, imò & naturam ipſam excedebant. Nam primò, *Acceſſerunt ad Deum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* Iſti accedunt, quibus & prohibitus & difficilis erat acceſſus: nam claudos & cæcos arcebat lex à templo. Deinde propter cæcitatem & claudicationem vix,aut difficilè poterant accedere. Verùm non obſtante quacumque difficultate, tum ex parte legis, tum ex infirmitate, accedunt, & ſupra vires audent, quia Ieſum præſentem ſentiunt. Præterea, pueri quibus nondum erat fandi facultas,*clamabant in templo.* Ita vt quibuſdam mirantibus dixerit Chriſtus: *Nunquam legiſtis,quia ex ore*, &c. Si itaque iſti præſente Domino moliuntur, quæ vires ſuas ſuperant: nónne ſaltem nobis præſtanda ſunt, quæ pro viribus poſſumus?

mus? Clamant lactanei, & tacent grandæui: laudant pueri, blaſphemant adulti: accedunt claudi, recedunt robuſti: infirmi ſurgunt, ſani quieſcunt. Iſti omnes pudefaciunt nos, qui nihil audemus, vt Chriſtum laudemus, illúmque nobis comparemus. Dicat igitur Auguſtinus. Tu non potes? quare ille poteſt? quare alter potuit? nunquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine? Idem nobis dici poteſt, quod eidem Auguſtino aliquando torpenti dictum eſt: Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? In Pſal. 119. Lib. 8. Conf. c. 11.

Hic eſt Ieſus. Miror cur aſcendente Chriſto in cœlum, Angeli diſcipulis aſpicientibus & obſtupeſcentibus dixerint: *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum*, &c. Miratur etiam & Auguſt. qui ſic quærit. Hic eſt Ieſus, quaſi illi non ſcirent, quia ipſe erat Ieſus. Paulo antè eum non viderant? ſecum loquentem non audierant: ipſi ergo neſciebant, quòd ipſe eſſet Ieſus? Reſpondet iſte Doctor, Angelum locutum fuiſſe diſcipulis, tanquam mente alienatis præ gaudio iubilationis. Quaſi dicerent, inquit: Si creditis illi, quo crucifixo nutauerunt vobis pedes, quo occiſo & ſepulto, ſpem vobis perdidiſſe putabatis, ecce ipſe eſt Ieſus; aſcendet ante vos, &c. Vocatus eſt Ieſus antequã deſcenderet de cœlo, & homo fieret; vocatus eſt Ieſus poſtquam homo factus eſt, & vocabitur Ieſus poſtquã aſcendit in cœlum; ſemper erit Ieſus, ſemper ſaluabit. Antequam moreretur erat Ieſus, ideo iſti clamant, *Hic eſt Ieſus.* Moriendo erat Ieſus: vnde titulus, *Ieſus Nazarenus.* Aſcendendo in cœlum erat Ieſus, *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt*, &c. Act. 1. In Pſal. 46.

Hic eſt Ieſus. Saulo adhuc ſpiranti minarum
Act. 9. & 22. dixit Ieſus, *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.*
Obſeruat Beda, Chriſtum non dixiſſe: *Ego ſum Deus*, vel *Dei filius*; ſed, *Ego ſum Ieſus*. Ieſum ſe nominat, vt ſeipſum excitet ad ignoſcendum perſequenti. Clamante Chriſto, *Saule, Saule quid me perſequeris?* cecidit Saulus. Si Chriſtus tunc ſe Ieſum nominaſſet, fortè Saulus non cecidiſſet: at poſtea, vbi Saulus audiuit, *Ego ſum Ieſus*, viribus vtcumque reſumptis, ſeipſum offerens dixit: *Domine, quid me vis facere?* Itaque, quia audito, *Saule*, &c. corruit Saulus, dicere poſſumus, Saulum proſtraſſe Saulum, & Ieſum ere-
Serm. 14. de Sanctis. xiſſe Paulum. Vnde Auguſt. Cadit Saulus, & ſurgit Paulus. Cadit, inquam, audito ſuo nomine: Saul enim interpretatur fouea in quam cadit; ſed non ſurgit, niſi per Ieſum Saluatorem. Meritò ergo Paulus ſæpe ſacrum iſtud nomen Ieſu ore promebat, corde gerebat, calamo ſcribebat. Nam in quatuordecim ſuis Epiſtolis illud ſacratiſſimum nomẽ repetit ducenties decies nouies. Ieſum prædicabat, & tamen pro Ieſu vapu-
2. Cor. 11. labat; ait enim, *ter virgis cæſus ſum.* Pro Ieſu patiebatur, & in Ieſu gloriabatur. Ieſum amore proſequebatur, & pro Ieſu alligabatur & morie-
Act. 21. batur. Audi quid dicat; *Non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.*

Verus fuit Iſraëlita hic Apoſtolus. Nam Iacob, qui poſtea Iſraël dictus eſt, à quo Iſraëlitæ, hoc benedictum nomen moribundus inuocauit, dum inter benedicendum filios, dixit,
Geneſ. 49. *Salutare tuum expectabo Domine:* vel, vt alij cum Procopio legunt, *Ieſum tuum expectabo Domine.*

Ieſum

Ieſum infirmus inuocabat, & filios ac poſteros erudiebat, vt ſuo exemplo inuocarent Ieſum, & in eum ſperarent. Vnde Gregor. Beati Iacob mens oſtenditur, quomodo Ieſu deſiderio ardebat, qui moriens expectare ſe perhibebat. Homil. 8. in Eze. h.

Hic eſt Ieſus. Hic eſt Saluator. Appoſitè Pilatus appoſuit ſupra caput Chriſti in Cruce hoc nomen Ieſu, quo, ſi qua in Chriſto tunc ira extitiſſet, mitigata fuiſſet per applicationem iſtius nominis: vnde Chriſtus quaſi compellente ſuo nomine Ieſu, ſtatim clamauit, *Pater ignoſce illis:* & ad latronē, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Conſultò igitur clamant iſti, *Hic eſt Ieſus*; quia ſic placatur Ieſus: fortè aliqui infirmi audito tunc nomine Ieſu, venerunt ad Ieſum, vt curarentur & ſaluarentur; ait enim ſacer textus: *Acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* Memor ergo ſui nominis Ieſu aduenerat. Non tam illic prophanantes templum puniturus, quàm illic infirmantes curaturus aduenerat. Dicamus igitur, & cum Auguſt. oremus: Ieſu propter nomen tuum dulce, fac mihi ſecundùm nomen tuum Ieſu: reſpice pie miſerum te inuocantem. Noli Domine, noli attendere ſic malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum: ô bone Domine Ieſu, etſi ego admiſi, vnde me damnare poſſis; tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles. De contr. cord. cap. 5.

Ieſus, vt ita dicam, facit ſtare & ſiſtere Ieſum, ne currat ad eam quam meremur pœnam. Reuerentur Ieſum mutæ creaturæ, & Ieſum non reuerebitur Ieſus? Audi huius rei figuram. Ieſus filius Naue diuino ductus ſpiritu, iuſſit Solem ſtare, *& ſtetit Sol.* Solem ſic ſtantem alloquitur Ioſue 1.

Diuus

Serm. de Transfig. Diuus Baſilius. Conſtitiſti Sol aliquando victoriam Hebræam ſpectans, reueritus es Ieſum ducem qui imperauerat, in conſeruo honorans Domini appellationem. Ruſus dimiſſa arca fœderis à Philiſtæis, conſtitit in viri cuiuſdam area, qui ſtrenui huius ducis nomini communicabat. Si quæras quomodo ibi conſtiterit. Reſpondet Iuſtinus, virtute huius nominis. Sol ſtetit iuſſu illius viri, cui nomen erat Ieſus, ſimiliter & arca conſtitit in area alterius viri eodem nomine inſigniti, ob illud nomen Ieſu, quod gerebant; & non ſtabunt cuncta nobis aduerſantia inuocato nomine Ieſu filij Dei? Imò ſiſtet & ipſe Ieſus.

Recordamini, auditores, quid inter alia viderit Stephanus dum lapidibus obrueretur. *Ecce*, Act. 7. inquit, *video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem.* Properabat Ieſus, vt illum vindicaret & lapidantes caſtigaret, quo cognito Stephanus dixit, ſe videre Ieſum. Audito itaque Ieſus ſuo nomine, ſtetit: ideo vidit illum ſtantem. Debuit Ieſus inuocari, vt deſineret vindicari: vix Ieſum Stephanus placaſſet, niſi Ieſum nominaſſet. Pergite ergo populi, decantate & dicite.

Hic eſt Ieſus. Obſeruate precor: intrauerat Chriſtus iratus Hieroſolymam, vendentes & ementes in templo caſtigaturus & eiecturus: at audito ſuo nomine Ieſu miteſcere cœpit. Nullum tunc fecit flagellum, ſicut aliàs feciſſe legimus, ſed tantùm *eyciebat omnes vendentes & ementes.* Vnde hæc manſuetudo, niſi ab inuocatione nominis Ieſu? Compellebatur enim quodammodo Chriſtus, vt ſui nominis Ieſu habita ratione,

ratione, ira omni depoſita, ſe mitem & manſuetum præberet, nullumque flagellum arriperet. Hoc non latebat immundum illum ſpiritum, qui videns Ieſum venire ad ſe, volebat eum per appellationē huius nominis aliquo modo præueniendo placare: dicebat enim. *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti ante tempus perdere nos?* Luc. 4. At Chriſtus increpando, ſilentium ei indidit; *Et increpauit eum Ieſus, dicens: Obmuteſce.* Nominabat dæmon Ieſum, ideo erat increpandus; quia per Ieſum non erat ſaluandus: debebat obmuteſcere, quem Ieſus volebat compeſcere. Non debebat Ieſum inuocare, quem Ieſus debuit caſtigare. *Obmuteſce.* Quaſi dicat: Non eſt dæmonis, ſed hominis Ieſum inuocare. Nam licèt tu inuoces me, non ceſſabo tamen expellere te. Inuocet me homo, & ſaluabitur homo.

Vis aliam ad noſtrum propoſitum huius increpationis, ac ſilentij impoſitionis cauſam? Audi Tertullianum. Increpauit illum Ieſus plane vt inuidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem, quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet; & non potiùs ad hominum ſalutem. Lib. 4. in Marc. cap. 7. Vult dicere iſte Doctor: Cùm Ieſus ſalutem ſonet, non perditionem, venerat potiùs Ieſus ſaluare homines, quàm damnare dæmones. Malè igitur conquerebatur iſte dæmon conclamando, *Quid veniſti ante tempus perdere nos?* O dæmon, non tam venit Ieſus ad tui perditionem, quàm ad hominis ſaluationem; eſt enim ſaluator, non perditor, perditio tua ex te; tu teipſum perdidiſti, quando in cœlo ei inuidiſti. Nam vidit & inui-

Bernard. dit, ait Bernardus. Neminem perdit Ieſus; ait

Ioan. 18. enim, *Non perdidi quemquam.* Increpetur igitur ille, & obmuteſcat, qui Chriſto Ieſu ſuam vult imputare perditionem. Nam

Hic eſt Ieſus Propheta: addúntque, *à Nazareth.* Quia Chriſtus in ciuitate Nazareth conceptus, educatus, ac multùm moratus fuerat, dicebatur Nazaræus, ſiue Nazarenus, aut Ieſus à Nazareth. Hæc prædixerat Propheta, & refertur ab Euangeliſta, *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Sed quis

Iſai. 11. ille Propheta? Iſaias qui dixit; *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Radix hæc eſt familia Dauidica: virga eſt Beatiſſima Virgo Maria, orta ex progenie & ſtirpe Dauid:

Lib. de bened. Patr. cap. 4. flos eſt Chriſtus. Ita Ambroſ. Radix familia Iudæorum: virga Maria: flos Mariæ, Chriſtus eſt qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, odorem vitæ æternæ infudit.

Sciendum eſt, quòd pro *flore*, in Hebræo eſt *netſer*; vnde Chriſtus dictus eſt Nazaræus, id eſt, floridus, ſecundùm Hieronymum, qui ſcribens ad Pammachium de optimo genere interpretandi Scripturas, vertit hic, *Et Nazaræus de radice eius creſcet.* Non fuiſſe autẽ Chriſtum vnum ex illis legalibus Nazaræis conſtat, quia præ-

Num. 6. ſcriptos Nazaræis ritus, de quibus in Numeris, non obſeruaſſe legimus: ſed ideo Propheta Nazaræum vocandum dixit à Nazareth ciuitate, quod nomen florem ſonat. Quò ergo vadis homo? vniuerſæ viæ mundi plenæ ſunt ſpinis: voluptas, deliciæ quas anhelas, ſpinæ ſunt animam cruentantes. Cur Ieſum floridum deſeris, in quo ſunt & flores & fructus, & quidquid

pro

pro ſalute tua deſiderare potes? Crede Bernardo. Dabit Ieſus ſalutem, quia ſalutaris eſt: dabit regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur, quia vnctus eſt: dabit Nazarenus delicias, quia florens eſt. Quid quæris amplius? Delicias, regnum & diuitias aſſequeris, ſi Ieſum ſequaris. Sed ille Ieſum ſequitur, qui cum Ieſu, & pro Ieſu patitur. Serm. de vite.

Multi quidem vellent Ieſum conſequi, non ſequi; hos deplorat idem Doctor his verbis. Quàm pauci poſt te, ô Domine Ieſu, ire volunt! cùm tamen ad te peruenire nemo ſit qui nolit, hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vſque in finem. Non curant quærere, quem tam deſiderant inuenire, cupientes conſequi; ſed non ſequi. Verùm illi Ieſu non potientur, qui cum Ieſu non patientur. Serm. 21. in Cant.

Vnde aduerte, quòd vix reperitur in Scriptura Ieſum nominari Nazarenum, quin ſtatim fiat aliqua mentio de paſſione eius, aut de aliquibus ad paſſionem ſpectantibus. Quando capitur in horto, milites dixerunt ſe quærere, *Ieſum Nazarenum.* Neganti illum Petro dictum eſt, *Et tu cum Ieſu Nazareno eras.* Eodem Chriſto Cruci affixo ſcriptum eſt, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Mulieribus ad eius ſepulchrum aduentantibus dixit Angelus, *Ieſum quæritis Nazarenum*, & ne ſileretur paſſio, adiunxit, *crucifixum.* Duo diſcipuli tendentes in Caſtellum Emaus, ac inuicem colloquentes de paſſione eius, interrogati de quo loquerentur, reſponderunt, *de Ieſu Nazareno.* Quando autem iſte populus clamabat, *Hic eſt Ieſus à Nazareth*, tunc immine- Marc. 14. Marc. 16. Luc. 24.

bat tempus paſſionis. Nam poſt quinque dies fuit captus,& in Crucem actus.

Vide quomodo noſter Nazarenus, ſiue floridus, aut flos, ſpinis paſſionis & perſecutionis circumdetur: eſt veluti lilium inter ſpinas, ſed iſtæ ſpinæ non pungunt, ſed vngunt; quia ſunt cum Chriſto,id eſt,vncto. Adeſt igitur Nazareno afflictio,aderit Nazarenus afflicto,ſi rite inuocetur. Propterea ſequamur conſilium eiuſdem Bernardi dicentis. Triſtatur aliquis veſtrûm? veniat in cor eius Ieſus,& inde ſaliat in os,&c. Semper tibi in ſinu ſit Ieſus, ſemper in manu, quò tui omnes in Ieſum & ſenſus dirigantur,& actus.

Serm. 15. in Cant.

Audientes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, &c. indignati ſunt. Mali bonis inuidere conſueuerunt. Iſti indignabantur,quia æmulabantur: dolent enim, quòd Chriſtus honorificè à populo excipiatur,& Ieſus,id eſt, Saluator publicè nominetur, & ab infantibus laudetur,eíque acclametur. Hoc non ferebat Phariſaica, & Scribarum inuidia. Væ illis, inquit Hieronymus, ad quos vitia Phariſæorum tranſierunt. Frater enim fratri inuidet, ſocius ſocio, vicinus vicino,amicus amico. Nihil tamen magis inuidia peruerſum & pernicioſum, quæ eſt interitus vitæ, peſtis naturæ, bonis omnibus aduerſa, & Deo contraria. Dolet enim de bonis, gaudet de malis; meretur igitur inuidus bonis priuari, malis repleri.

Inuidia dæmonem inſtigauit ad perdendum primum hominem: impulit Cain ad fratricidium: Saulem ad inſectandum Dauidem de ſe optimè meritum incitauit: Iudæos ad necem

Salua

Saluatoris inflammauit. *Sciebat enim Pilatus quòd per inuidiam tradidiſſent illum.* Et nunc Scribas & Phariſæos ad indignationem in laudantes Chriſtum prouocauit. Matth. 27.

Explodenda eſt igitur à nobis inuidia, propter malas illius conditiones & proprietates. Nam primò, ſimilis eſt ophthalmiæ, quæ rebus valdè ſplendidis offenditur, lucentibúſque læditur: ſic inuidia aliorum bonis, virtute, & gloria acerbatur & tabeſcit. Vnde Ariſtoteles rogatus, quid eſſet inuidia, reſpondit: eſt antagoniſta fortunatorum.

Themiſtocles, cùm eſſet adoleſcens, dicebat & dolebat, ſe nullum adhuc præclarum facinus feciſſe; quia, inquit, nemo adhuc mihi inuidet. Secundò, inuidia neminem lædit niſi inuidum. Sicut enim rubigo ferrum, ſic inuidia inuidentem conficit & conſumit. *Putredo oſſium inuidia.* Prou. 14. Hinc Anacharſis dixit, inuidiã eſſe ſerrã animæ: & Socrates, eſſe vlcus animæ. Hinc & Euagoras cẽſuit, inuidos eſſe aliis hominibus infœliciores, eíſque duplo miſeriores; eò quòd alij propriis tantùm malis crucientur, inuidi verò inſuper bonis alienis torquentur. Vnde Horatius:

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni Lib. 1. Epiſt. 1.
Tormentum maius.———

Tertiò, inuidus puſilli eſt animi, anguſti cordis, vilis atque abiecti: inuidendo namque oſtendit ſe illis minorem, & inferiorem eſſe, ſuámque paruitatem & paupertatem prodit: quod enim inuidet, hoc ipſum non habet, & vehementer concupiſcit; vnde, ideo paruulus ſemper dicitur: ſic illum vocat Iob, *Paruulum occidit inuidia.* Inui- Iob. 5.

debant filij Iacob fratri ſuo Ioſepho, non tantùm, quòd à patre Iacob plus cunctis diligeretur; ſed quòd vererentur ne præ illis altiùs promoueretur: idcirco illum vendere excogitarunt, ac ſeruum fecerunt Iſmaëlitarum. Sed vide quomodo quidquid aduerſus eum præſtiterunt, Gen.37. malè illis, & bene ipſi ceſſit, quia mutari Dei Homil.21. in Ezech. conſilium non valet. Hoc obſeruauit Gregorius. Quem ideo vendiderant ne adorarent, adorauerunt, quia vendiderunt. Idipſum dicimus de indignantibus hodie contra Ieſum, aut contra opera eius: nam licèt inuideant, indignentur, non minùs Chriſtus laudabitur à pueris, excipietur à populo, ſanabit cæcos & claudos, eiiciet ementes & vendentes in templo.

Cæterùm, quia maximum malum eſt inuidia, idcirco quædam aduerſus eam à Sanctis Docto-Serm. de inuid. ribus aſſignantur remedia. Diuus Baſilius efficaciſſimum cenſet eſſe remedium deſpicientiam bonorum omnium temporalium, vt perſuaſum ſibi quiſque habeat, eiuſmodi bona, nec magni pendenda eſſe, nec valdè expetenda: ſic enim ſcribit. Quid ergo nobis faciendum, vt hanc peſtem animi ab initio euitemus: aut ſi ea fortaſſe capti ſumus, longè à nobis repellamus? Si nihil rerum humanarum magnum, aut vehementer expetendum putemus, &c. Simile remedium aſſignat Gregor. Qui, inquiens, liuoris peſte omnino carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat: quæ & omnibus vna eſt, & ſingulis tota: quæ tantò largior eſſe oſtenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Im-

minutio ergo liuoris eſt effectus inſurgens internæ dulcedinis: & plena mors eius, eſt perfectus amor æternitatis.

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Similia hæreticis noſtri temporis obiicere poſſumus, qui loca ſancta & Eccleſias ſic labefactarunt, ſicque polluerunt, & in maceriam, ac ruinarum materiem ſic redegerunt, vt ibi potiùs latrones, tanquam in ſuis luſtris feræ, deliteſcere valeant, quàm homines ad orandum illò conuenire. Proh ſcelus! horret ánimus referre & recenſere quanta noſtri hæretici malignati ſunt in locis ſanctis. Templa Deo dicata ſolò æquarunt, ſacra altaria funditus demoliti ſunt, ſacras reliquias combuſſerunt, ſacra vaſa polluerunt, Sacerdotes occiderunt. Sed quo prætextu? Quia fortaſſis in nonnullis viris Eccleſiaſticis regnabant intolerandi abuſus, Simoniacæ nundinationes, beneficiorum auctiones, turpes quæſtus, & ſimilia. Finge ita eſſe. An ideo oportuit ſancta conculcare, Eccleſias ſubuertere, menſam altaris ſuffodere, diuinam liturgiam, ſiue Miſſam abrogare? Quo, vel quorum exemplo id agere attentarunt? Chriſti an Sanctorum? Sed Donatiſtarum, & ſicariorum, ſeu latronum ac prædonum. Liceat igitur mihi in illos inuehi, ſicut Optatus Mileuitanus inuehitur in impios Donaſtitas: Quid eſt, inquiens, tam ſacrilegum, quàm altaria Dei frangere? Quid eſt enim altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Hæc omnia furor veſter fregit. Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per certa mo- In Parm. Donat.

menta corpus & ſanguis habitabat? Hoc modo Iudæos eſtis imitati. Illi iniecerunt manus Chriſto in Cruce, à vobis percuſſus eſt in altari, de
3. Reg. 18. quibus Helias; *Domine, altaria tua confregerunt.* Dum dicit, *tua*, indicat quia res eſt Dei, vbi Deo aliquid à quocumque oblatum eſt. Deinde fregiſtis etiam calices Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas. Hæc & ſimilia ſunt noſtris hæreticis exprobranda, ad eorum nefandiſſima crimina comprobanda: fures enim ſunt & latrones.

Vos autem feciſtis ſpeluncam latronum. Per Iere-
Ierem. 7. miam ſic Deus olim conquerebatur: *Nunquid ſpeluncalatronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego, ego, ego vidi, dicit Dominus.* Sicuti latrones ſpeluncas habent pro refugio, nec tamen ibi deponunt furandi voluntatem, ſed excogitant, quò ſint ituri, vt occidant, & deprædentur: ſic Iudæi, qui poſtquam malè egerant, veniebant ad templum tanquam ad refugium, ibíque ex rapto offerebant ſacrificia, cum animo iterum ſua perpetrandi flagitia. Chriſtiani pariter, quoties accedunt ad Eccleſiam oraturi, veniámque à Domino poſtulaturi, cum animo ſemper redeundi ad priſtina crimina. Hæc patrantes, faciunt Eccleſiam Dei, ſpeluncam latronum, quia ibi more latronum ſe gerunt. Sed falluntur, quia ait Dominus: *Ego ſum, ego ſum, ego vidi.* Videt, quo animo tendas ad Eccleſiam; videt, quid illic peragas, cui & quid loquaris, quem vel quam reſpicias: hæc adnotat, vt puniat; & niſi hæc agere deſinas, & de præteritis pœnitentiam

agas,

agas, audies, *Ego, ego, ego vidi*. Ego Pater, ego Filius, ego Spiritus Sanctus vidi. Et non tantùm Deus vnus & trinus videt, quem nihil latere poteſt; verùm & ipſi Angeli, qui vt plurimùm Eccleſias incolunt. Legimus enim in Prato ſpirituali, Abbatem Leontium vidiſſe Angelum ſtantem ad dextrum cornu altaris, eíque dicentem: Ex quo ſanctificatum eſt altare iſtud, ego iugiter illi adſtare iuſſus ſum. Idem prorſus vidit & audiuit Barnabas Abbas. Ioannes Moſ. us in Prat. ſpirit. cap. 4.

Vide itaque quomodo te geras in domo in qua adſtant Angeli. Eccleſia, ait Chryſoſtomus, non eſt tonſtrina, aut vnguentaria taberna, aut officina forenſis; ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia Dei, cœlum ipſum. Hic nihil niſi ſancta ſonare decet. Illi etiam in Eccleſia Dei furantur, qui bonis eiuſdem ditati Domino non famulantur. Homil. 3. in 1. ad Cor.

FERIA QVARTA poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Magiſter, volumus à te ſignum videre,&c. Matth,12.

CHRISTO Domino de ſua morte aliquando verba facienti, ſtatim Petrum obieciſſe legimus: *Abſit à te Domine,non erit tibi hoc.* Quæ verba expendens Auguſtinus, ſuo pungit acumine hunc Apoſtolum,dicens.Dicis, abſit, & dicis Domine? vtique ſi Dominus eſt, poteſtate facit. Domino ſeruus leges præſcribere minimè debet: Chriſtus volebat mortem ſubire;Petrus autem nolebat illum mori. Quid Chriſtus Petro? *Vade*, inquit, *poſt me Satana.* Simili increpatione vſus eſt Chriſtus aduerſus diabolum volentem eius ſurripere diuinitatem, dum Chriſto dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Cui Chriſtus; *Vade Satana.* Sic Petro volenti ſuam, non Chriſti adimpleri voluntatem,reſpondit Dominus:*Vade poſt me Satana.* Quaſi dicat: Sicut illum vocaui Satanam,& reuera eſt, qui meam ſibi volebat arrogare diuinitatem,

Matth. 16.

In Pſal. 55.

nitatem, ita nunc voco te Satanam, quia meam vis impedire voluntatem. Vel ſic: illum tanquam Satanam & aduerſarium expuli, qui volebat vt eius adimplerem voluntatem, vertendo ſcilicet lapides in panes, & cadendo deorſum, illúmque etiam adorando: ſic nunc habeo te veluti Satanam, quia vis me ſequi tuam voluntatem, atque ita meam impedire paſſionem. Satan & aduerſarius Chriſto eſt, qui eius aduerſatur voluntati; vel qui ſuam, non Chriſti vult perfici voluntatem.

Quali & quanta ſunt increpatione digni Scribæ & Phariſæi, qui Satanico ſpiritu ducti, ſuam petunt fieri voluntatem, ac auſu temerario dicunt, *Magiſter, volumus?* Arguitur Petrus, quòd, cùm dixerit, *Domine*, addidit, *abſit*. Arguendi etiam & acriter increpandi ſunt iſti, qui cùm dicant, *Magiſter*, ſtatim ſubdūt, *volumus a te ſignum videre.* Simulatè loquuntur, dum dicunt, *Magiſter:* impudenter dum addunt, *volumus*; & curioſè, dicendo, *ſignum videre.* Sed quid ait Chriſtus?

Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ. Congruenter Chriſtus volens præcipuè impetum voluntatis eorum retundere, proponit eis Ionam. Quaſi dicat: Vultis veſtram ſequi voluntatem, dicētes, volumus. Reuocate primò in mētem, quid Ionæ acciderit, dum propriæ, non diuinæ voluntati ſatisfecerit. Iuſſerat Deus illum adire Niniuem: ipſe verò voluit nauigio tendere in Tarſim. Sed quid? inſurgunt venti, mare furit, tempeſtas vrget, periclitatur nauis, commouentur nautæ,

mittuntur ſortes, deprehenditur Ionas, ac tanquam reus apprehenditur, iudicio ſiſtitur, in
Lib. 6. Mor. c. 21. mare mittitur, à ceto voratur. Vnde Gregorius: Ecce, inquit, fugitiuum Dei tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit, & quia authori ſuo obedire renititur, ad locum quò miſſus fuerat ſuo reus carcere portatur.

Diſcite igitur diuinam, non propriam perficere voluntatem: procul à vobis illud verbum, *volumus*, pellatur, niſi voluntati diuinæ iungatur. Suſpectum nobis ſit, quicquid creata voluntas ſuo tantùm iudicio nitens poſtulat: nunquam enim aliud quærere ſciuit, quàm ſuiipſius perniciem. Vide quid elegerit lucifer ille, qui mane oriebatur, qui creatus erat in deliciis Dei ſui, qui ſummum Angelorum culmen attigerat, quídque, ſuæ volens ſatisfacere voluntati, dixerit & optauerit; *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in lateribus Aqui-*
Serm. 17. in Cant. *lonis.* Ad hæc vt acutè, ſic verè Diuus Bernardus illud, *in lateribus Aquilonis*, expendens ait. Tu tibi miſer ſedem collocas in Aquilone, plaga nebuloſa & frigida. Quaſi diceret: Vide miſer quid petas, animaduerte quod appetit tua voluntas. In ſplendoribus Sanctorum à Deo conſtitutus es, inacceſſibili diuinitatis lumini proximior crearis; & tu dignam ſanè tui ſedem petis nebuloſam, & caligine plenam Aquilonis plagam; damnum tuum nullum eſt aliud, niſi quòd petitio tua, & deſiderium tuum impletur: vnde iam non lucifer, ſed noctifer, aut etiam mortifer deprauata tua voluntate nuncupandus es.

Vide præterea quid florentiſſimæ ciuitatis Hieroſo

Hieroſolymitanæ ciuibus contigerit, quòd ſuæ voluntati ſatisfieri petierint. Nam hæc fuit eorum voluntas, hæc eorum ardens poſtulatio, vt Chriſto pacifico ad mortem damnato, Barabbam ſeditionum authorem ſibi dari poſtularint. Sed quid inde? Audi Rupertum. Propriis ſeditionibus diuiſos inſeruire permiſit eos Deus, & meritò, quia data ſibi optione, ſeditionis authorem dimitti ſibi petierunt: Regem autem ſuum pacificum occiderunt. Lib. 1. in Hiere. cap. 87.

Itaque Romano milite extrinſecus cincta illa inuictiſſima ciuitas; intrinſecus domeſtici ſeditioſi illam penitus diſſipabant. Nullus maius excidiũ miſeræ ciuitati potuiſſet excogitare, quàm id quod ipſa ſua ſibi præoptauit voluntate. Ignorabant, inquit Athanaſius, in expetendo Barabbam, & in occidendo Dominum, quòd ipſi vitam Barabbæ daturi eſſent; futurúmque eſſe, vt cædes ac ſeditiones inter ipſos magis ac magis increbreſcerent. Sibi Regem pacis habebant oblatum: at illi proprio ducti deſiderio, ſeditioſum & homicidam virum expoſtularunt. Ideo iuxta voluntatis ſuæ petitum ſeditionibus & diuiſionibus dilaniantur. Si iſti Phariſæi ſuam fieri voluntatem non poſtulaſſent, malæ & adulteræ generationis nomen ſibi non comparaſſent. Dicunt enim: De Paſſ.

Volumus. Ideo data eſt nobis voluntas, vt ea duntaxat velimus, quæ Deus vult: ſi aliud velis, tortuoſa eſt tua voluntas, atque corrupta; regulanda & corrigenda eſt, conformando illam voluntati diuinæ, quæ eſt vera regula. Notum eſt illud Senecæ dicterium; Niſi ad regulam, Epiſt. 11.

praua

praua non corriges. Illa regula, nempe voluntas diuina, ſemper eſt recta, & integra, nunquam tortuoſa: ſi illam ſequaris, recta & non tortuoſa ambulabis via. Quando autem non vis ſequi Dei voluntatem, ſed potiùs vis vt ipſe ſequatur tuam, tunc tortuoſam vis facere illius voluntatem, quod maximè cauendum eſt. Audi Auguſtinum. Quid volunt homines? Parum eſt, quia voluntatem ſuam tortuoſam habent; etiam volunt Dei voluntatem tortuoſam facere ſecundùm cor ſuum, vt hoc faciat Deus, quod ipſi volunt, cùm ipſi hoc debeant facere, quod Deus vult. Eiuſmodi erant iſti Scribæ & Phariſæi, ideo acriter increpandi.

In Pſal. 43.

Si contingat aliquando vt velit homo voluntatem Dei conformari ſuæ voluntati, non propterea diuina voluntas curuabitur; ſed maximè voluntas humana torquebitur, quia multa ei euenient iniucunda. Præter prædicta exempla, accipe adhuc iſta duo. Nolebat olim Deus dare filios Racheli; ipſa autem rogabat ſibi dari filios: dicebat enim, *Da mihi filios, alioquin moriar.* Certè veriùs dixiſſet; *Da mihi filium, vt ego moriar.* Nam datus eſt illi filius; conformauit Deus voluntatem ſuam voluntati iſtius mulieris, cui hoc malè ceſſit: mortua eſt enim pariendo filium.

Exiſtentibus filiis Iſraël in deſerto, miſit Dominus manna, illóque ſolo cibo volebat eos tunc paſcere: illi autem non hoc cibo contenti voluerunt adhuc & carnes, quas lacrymis poſtularunt: vnde Moyſes ad Dominum; *Flent,* ait, *coram me dicentes, da nobis carnes, vt comedamus.*

Num 11.

Contu

Contulit illis Deus quod volebant, & in tanta abundantia, vt dicat Dauid, *Pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata*, &c. *Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis.* Voluerunt ipſi carnes, Deus autem nolebat dare carnes; tandem importunis eiulatibus illas adepti ſunt: ſed non remanſit impunita illorum propria voluntas. Audi, *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus eſt in populum*, &c. Dicat igitur Auguſt. Sola voluntate miſer quiſque efficitur. Pſal.77. Num.11. Serm.18. de verb.Apoſt.

Volumus. Voluntas noſtra, ſecundùm Philoſophum, eſt potentia cæca: ſi illam ſequaris, cæcam ſequeris. Hoc tibi prohibet ipſe Plutarch. Neque, inquiens, cæcum ducem adhibeas. Cæci erant Phariſæi, dum ſuam cæcam ſequebantur voluntatem, vnde de illis Chriſtus alibi. *Cæci ſunt & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Meritò vocantur cæci: ideo ſecundùm Rabanum, meliùs feciſſent, ſi duntaxat & ſimpliciter Chriſto dixiſſent, *volumus videre*, quàm, *ſignum videre.* Poterant enim videre multa, eáque ſtupenda miracula quæ Chriſtus in terra patrabat, vitam ac ſalutem hominibus afferentia. Sed Phariſæi, ac ſi fuiſſent cæci non videbant, aut videre nolebant: indigebant ergo potiùs viſione, quàm miraculorũ operatione. Petebãt quidem à Chriſto, *vt ſignum de cœlo oſtendet eis*, vt ſcilicet Solem ſiſteret, aut Lunam frænaret, aut faceret mugire tonitrua, coruſcare fulgura, vel ſimilia. At Chriſtus nullum aliud ſignum illis dandum, præterquàm Ionæ, prudente raſſeuerat. Plut. Matth.15. Rab. in cap. 21. Matth. Matth.16.

Exiſti

Exiſtimabat ille Propheta ſe omnia pericula euaſurum propriam ſequendo voluntatem; verebatur enim, ne, ſi Niniuem pergeret, caperetur, incarceraretur, iudicio ſiſteretur, & tandem occideretur, aut ciuitate expelleretur: verùm, quia perduellis efficitur, his incommodis afficitur, & inuenit rebellis, quod euitaſſet fidelis. Timebat Niniuitarum commotionem, & inuenit nautarum interrogationem: fugiebat carcerem Regis, & includitur vtero piſcis: verebatur è ciuitate eiectionem, & ſentit è naui expulſionem. Sed de his fuſiùs, ſi Deus dederit, in noſtris Homiliis in Ionam. Nullus itaque ſibi perſuadeat ſe poſſe omnia diſcrimina euitare, ſi diuinæ reſiſtat voluntati.

Ion. 2.

Cæterùm omne cetarium genus alio piſce tanquam duce indigere refert Ælianus, eo quòd ob ingentem ſuperuacaneámque pinguedinem hebetantur illi oculi, vt etiam cæcutire videantur. Quid dicat ille audiamus. Omne ferè, inquit, cetarium genus duce ad ſibi moderandum eget. Is autem dux eſt, quemadmodum harum rerum periti teſtantur, longus piſcis, colore albo, capite prælongo, anguſta cauda: nam hic ſeparatim nunquam ab illo nauigat, ſed ante huius caput antecedens, ipſius dux, ac quaſi temo exiſtit. Etenim cuncta illi & prouidet & præſentit, caudáque extrema præmonſtrat ſingula, tum horribilia, formidoloſáque inhibet, tum cibaria conciliat, inſidiáſque à piſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtendit, atque quem locum propter magnitudinem illum adire non oporteat, præſignificat: ob nimiam enim pinguedinem

Lib. 2. cap. 13.

dinem ceti oculus efficitur ad videndũ ineptus: quòd ſi is piſciculus quo ad neceſſaria vtitur, perit, illi quoque pereundũ eſt. Hactenus Ælianus. Sicut igitur ceto nimia pinguedine cæcutienti pereundum eſt, ſi ſuo careat ductore, aut ſi illum ſequi renuat: ita iſti Phariſæi ſua malitia cæci, (imò omnis voluntas humana tanquam potentia cæca, niſi diuinam voluntatem omnia videntem ſequatur) peribunt. Meritò itaque illa quæ Ionæ obuenerunt, eis conſideranda proponuntur.

Exiſtens autem Ionas in ventre ceti, hunc piſciculum ductorem ſuum ſequentis, potuit ediſcere quantum detrimenti ſibi comparet homo, qui diuina voluntate relicta propriam exequi contendit. Si enim ipſe Propheta ſuam non fuiſſet ſecutus voluntatem, in illius belluæ ventrem non cecidiſſet. Et quia huiuſmodi venter fuit ſepulchri Domini figura, meritò iſti Phariſæi tanquam ad Chriſti miracula cæci, & noua de cœlo poſtulantes, ad hanc figuram conſiderandam remittuntur, fiúntque hoc pacto ſimiles huic Philoſopho ſurſum ſpectanti, aſtráque meditanti, & in foueam quam non videbat cadenti. Quærentes enim ſigna de ſurſum, facit eos Dominus incidere in illã ſepulchri ſui conſiderationem. Et ſanè dicentibus, *volumus videre*, aut volumus facere, volumus ædificare, diuitias comparare, volumus de inimicis vindicari, aut ſimilia, proponenda eſt mors & ſepultura, vt à ſuo impio velle recedant.

Præterea, non ſine myſterio Ionas, aut illius hiſtoria Iudæis proponitur. Quaſi diceret Chri-

ſtus: Si, ô Iudæi, erga me ita vos geratis tempore meæ paſſionis, ſicut nautæ erga Ionam tempore ſuæ ſubmerſionis, non peccabitis, nec peribitis, me crucifigendo; ſicut nec illi peccarunt Ionam in mare demergẽdo. Attendite ergo, quomodo ſe geſſerint nautæ. Iona ſorte deprehenſo, iuridicè interrogato, ac omnibus formalitatibus iuſtitiæ ſeruatis, noluerunt propterea nautæ illum condemnare, ſed mentibus anxij, & animis perplexi conſultant non ſolùm inter ſe, ſed & in conſilium adhibito ipſo Iona, quid in tanto omnium diſcrimine opus ſit facto, quóve remedio poſſit ira Dei placari, dicúnt-
Ion. 1. que ei: *Quid faciemus tibi?* Ipſe autem reſpondit; *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis.* Non propterea voluerunt illum ſubitò in mare præcipitem dare; ſed *remigabant viri, vt reuerterentur in aridam*, fugiebant diſcrimen, ne ſanguinem funderent, magis volentes perire, quàm perdere; atque ita proprium periculum negligentes, de aliena ſalute ſoliciti erant, & clamantes ad Dominum ſic deprecabantur, ſimúlque conteſtabantur: *Quæſumus Domine, ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem, quia tu Domine, ſicut voluiſti, feciſti.* Quaſi dicant: Per ſacra omnia rogamus, ne homicidij ac necis huius hominis, quem mox in pelagum ſumus demerſuri, reos facias, & iudices in conſpectu tuo, quandoquidem multis argumentis compertum habemus, tuam eſſe voluntatem, tuam ſententiam, tuum decretum, vt à nobis in mare mittatur. Conteſtan-
In Ion. 1. tur, inquit Hieronymus, vt quodcumque facturi

cturi ſunt, non ſibi imputetur, & quodammodo dicunt: Nolumus interficere Prophetam tuum. Et tandem, vt Dei, & ipſius Ionæ voluntati ſatisfacerent, *tulerunt eum, & miſerunt in mare.* Dixerat ipſe: *Tollite me, & mittite in mare.* Ipſi nihil ſententiæ addentes, aut minuentes, illam ſunt ſimpliciter executi, *tulerunt, & miſerunt.* Non furiosè in eum irruerunt, non conuitiis, aut plagis affecerunt, aut violenter pertractum deturbauerunt; ſed placidè & humaniter acceptum manibus extulerunt. Mare autem quaſi antea auidè & importunè hominem expetiuiſſet, eo accepto, *ſtetit à feruore ſuo.*

Mirum quid hoc loco refert Arias Montanus in commentariis ſuis ex R. Eleazaro vetuſtiſſimo Hebræo, nimirum nautas quinquies periculum feciſſe, quò diuinum de ſubmergendo Iona conſilium diligentiùs exquirerent: toties enim cum in mare collo tenus demittentes, rurſúmque in nauim ad ſeſe recipientes, eueniſſe, vt quoties demiſſus eſſet, rurſum fremere & intumeſcere ſentiretur. Quo ſigno diuinæ voluntatis certiores ſæpiùs facti, tandem in mare coniectum penitus demiſerunt.

Exclamet nunc Hieronymus. O rerum quanta mutatio! Non ſic impij, non ſic, non ſic inquam ſe habuerunt Iudęi Chriſtum crucifigentes, ſicut nautæ Ionam in mare demergentes: iſti enim duntaxat intendebant mare ſedare, non Ionam perdere; non illum accuſarunt, nec condemnarunt, ſed illius tantùm ſententiam non ſine animi mœſtitia, nec ſine præuia proteſtatione executioni mandarunt. At verò Iudæi, furore, Ibidem.

odio & inuidia ducti Chriſtum ſunt perſecuti, falsò accuſarunt, iniuriis laceſſiuerunt, colaphis, virgis affecerunt, reum mortis proclamarunt, opprobriis ſaturauerunt, impium Barabbam illi prætulerunt, ſpinis coronarunt, tandem morte turpiſſima condemnarunt, non zelo iuſtitiæ, ſed iniuriæ & inuidiæ cupidine: non vt Patrem diuinum placarent, ſed vt eius filium perderent.

Erat autem Pater cœleſtis in genus humanum propter peccatum primi parentis iuſtè iratus: reconciliandi eramus ei per mortem & paſſionem

Rom. 5. Chriſti: vnde clamat Paulus. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Verùm Iudæi nihil minùs intendebant, quàm Deum Patrem placare: ſed totus illorum animus ferebatur ad Chriſtum de medio tollendum, & ad eius memoriam eradicandam: ecce eorum cla-

Iere. 11. mitationes. *Eradamus illum de terra, & nomen eius non memoretur amplius.* Quærebat eum Pilatus liberare, *ſciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent illum.* At illi clamabant, *Tolle, tolle, crucifige eum.*

Lib. 2. de ſum. bono. Exclamet igitur Auguſt. O munde immunde, tunc vis Chriſtum perdere, quando ille te diſpoſuit liberare. Proprio vitæ periculo nautæ libenter Ionam liberaſſent; è contrà Iudæi proprio conſcientiæ periculo libenter, ſi fieri poſſet, Chriſtum perdidiſſent. Et tamen, *ecce pluſquàm Ionas hic.* Clamabant nautæ, *Ne des ſanguinem innocentem ſuper nos.* Clamarunt Iudæi, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Quid mirum igitur ſi Iudæi Chriſtum crucifigendo tam graue peccatum commiſerint, cùm illum

illum vſque ad mortem tanto odio perſecuti fuerint? Ordinata quidem fuit Chriſti paſſio pro noſtra redemptione, ſed non ordinata fuit Iudæorum culpa pro Chriſti paſſione. Non enim ordinauit peccare, qui peccatum voluit curare, ait idem Doctor. Eant itaque Phariſæi ad Ionam, vel ad eius hiſtoriam, & percontentur, quomodo circa eum nautæ ſe geſſerint, illúmque tuta conſcientia in mare demerſerint, & erubeſcent, quòd, cùm aliorum hominum ſalutem procurauerint, ſeipſos odio & inuidia perdiderint. Lib. de vera & falſa pœn. c. 16.

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Reuera *ſignum non non dabitur ei.* Quia iam data ſunt ſigna & miracula, quibus Chriſtus ſe eſſe Deum & hominem ſatis ſupérque comprobauit; vnum tantùm reſtabat, quod erat tanquam epilogus, ſcilicet reſurrectio, cuius Ionas vtero ceti triduo incluſus, & inde eiectus figura fuit. Hæc autem reſurrectio vocatur ab Auguſt. ſignum ſignorum. Et Chriſti ſepulchrum prædicat illum eſſe Deum & hominem: Deum, quia propria virtute ſurrexit, hominem, quia in eo fuerat ſepultus. Quid magis diuinum quàm ſeipſum ſuſcitare, & magis humanum quàm mori & ſepeliri? Vnde Hieron. Iudæos clamantes, *Si filius Dei eſt, deſcendat de Cruce*; ſic arguit & ridet. Surgit de ſepulchro, & non creditis, nec ſi de Cruce deſcenderet, crederetis. Facilius erat Chriſto viuenti de Cruce deſcendere, quàm mortuo de ſepulchro.

Quæretur, quomodo hic Propheta in ventre ceti per illud triduum figura extiterit Chriſti. Reſpondeo. Sicut Ionas quandiu manſit in naui fuit agitatus, nam à ſomno eſt excitatus, interrogatus, iudicatus, & tandem in mare demerſus; ſed à piſce voratus, ab omnibus fuit periculis liberatus, & in portum illæſus delatus: ita vt dicat Zeno; fœlix magis ſepulchro, quàm naui. Quia, ſecundùm Chryſoſtomum, nautæ illum mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo. Sic Chriſtus dum inter homines verſabatur, ab hominibus impetebatur, *& mundus eum non cognouit.* Tandem multis iniuriis affectum, morti tradiderunt, & mortuum etiam lancea transfixerunt. At in ſepulchro cœpit quieſcere: vnde vbi noſtra verſio habet, *& erit ſepulchrum eius glorioſum;* Septuaginta vertunt, *& erit requies eius honor.* Quia locus in quo per triduum quieuit magno erat afficiendus honore: quocirca D. Chryſoſtomus diſertè docet, quòd Chriſti paſſio, Crux, ſepulchrum, omnéſque ignominiæ poſt requiem, id eſt, mortem, in gloriam & triumphum ſunt verſæ. Et D. Auguſt. oſtendit, huiuſmodi honorem ſepulchro Chriſti, imò & ipſi Chriſto poſt eius reſurrectionem exhibitum fuiſſe inſolubile ſignum diuinitatis.

Serm. de Chriſti timore.

Hom. 5. ad pop.

Iſai. 11.

Hom. quòd Chriſtus ſit Deus.

Lib. 1. de conſenſu Euãg. c. 31.

Quæritur item, quomodo dicatur Chriſtus fuiſſe tribus diebus, & tribus noctibus in ſepulchro, ſicut Ionas in ventre ceti, cùm ex hac mortali vita exceſſerit hora tertia poſt meridiem feriæ ſextæ, & ſepultus fuerit circa horam quintam poſt meridianam eiuſdem diei; & circa horam tertiam à media nocte diei Dominicæ ſequentis,

quentis,vel, vt ait Ignatius,illuceſcente Dominica die ſurrexerit. Reſpondetur,hoc eſſe intelligendum per ſynecdochen, qua pars pro toto ſumitur. Ita interpretatur D.Hieronymus, qui ſic ſcribit. Per ſynecdochen totum ex parte intelligitur; non quòd omnes tres dies, & totidem noctes Dominus in ſepulchro ſteterit, ſed quòd in parte paraſceues, & Dominicæ diei, & tota die Sabbati tres dies,& totidem noctes intelligantur. In Matt.12.

Cur non remanſit Chriſtus in ſepulcho tribus intregris diebus, & tribus integris noctibus? Reſpondet D.Leo: Ne,inquiens,turbatos diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum ſecundum diem,id eſt,Sabbatum,pars primi nouiſſima, id eſt, feriæ ſextæ, & pars tertij, id eſt, Dominicæ diei concurrit, & aliquantulum temporis paſſio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Igitur ad noſtram & diſcipulorum conſolationem, ſuam Dominus accelerauit reſurrectionem: veluti Rex ſi donum aliquod poſt tres dies elapſos ſe nobis daturum promitteret, magis ac magis nos ſibi deuinciret, ſi nondum elapſo & completo triduo donum largiretur. Serm. 1. de Reſurre.

Huius etiam præproperæ reſurrectionis alia poteſt aſſignari cauſa. Præuiderat Chriſtus pias quaſdam fœminas ad ſuum ſepulchrum nondum expleto triduo venturas cum aromatibus ad vngendum corpus ſuum: noluit igitur expectare illarum aduentum, ne reciperet obſequium,vt quod ſibi volebant impendere,in vſus

Serm. 12. in Cant. reſeruaretur pauperum. Audi Bernardum. Prouidè ob hoc Dominus Ieſus paratam ſibi confectionem expendi noluit in ſuo corpore mortuo, vt ſeruaret viuo; cùm anticipans horam & accelerans gloriam, mulierum deuotioni non eluſit; ſed inſtruxit, non recuſans obſequium, ſed reſeruans proficuum. In iſto ergo pepercit magiſter pietatis vnguentis optimis, quæ membris ſuis indigentibus cuperet exhiberi. Inſtruebat, inquam, Dominus, quibus impendendum erat obſequium à fidelibus, nimirum membris viuis, egenis, paupertate preſſis. Hora itaque reſurrectionis acceleratur, vt pauperibus ſubueniatur.

Orat. 3. de reſurrect. Hinc Diuus Gregorius Nyſſenus vocat Domini reſurrectionem, *nutricem pauperum*, vtpote quæ docuit ſibi impendendam ſubſtantiam pauperibus reſeruari: ſic enim ſcribit. Chriſtus reſurgens afflictos, oppreſſos & conſtrictos non dimittet? pauperes amplectimini veſtram nutricem. Ideo, inquam, maturata eſt reſurrectio, non vt obſequium Dominus refugeret piarum mulierum, ſed vt neceſſitati prouideretur pauperum. Vnde, qui in propria accelerata reſurrectione miſericordiam pauperibus impendendam commendauit, in generali hominum reſurrectione denegatam exprobrabit. Non immeritò igitur ſic hortatur Hilarius. Reſurrectionis celebrantes triumphum, miſericordiam in pauperes faciamus. Ne ſcilicet in Iudicio reſurgentes audiamus: *Quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Sed de his ſatis, nunc ad Niniuitas.

Hom. 6. de Paſ.

Matth. 25.

Viri

Viri Niniuitæ ſurgent in Iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Condemnabunt non ſententiæ poteſtate, ſed comparationis exemplo, inquit Hieronymus. Condemnabunt ergo Niniuitæ Iudæos,non ex thronis,& ſedibus ſententiam ferentes,ſed iudicio quodam comparationis;& ſecundùm aliquos condemnabunt eos etiam iudicio accuſationis, ideo *ſurgent* tanquam Iudæos accuſantes, quòd Chriſto veritati non crediderint, cùm ipſi Ionæ illius figuræ fidem adhibuerint, & ipſius verbo pœnitentiam egerint.

Surgent inſuper, & multorum Chriſtianorum condemnabunt vecordiam, eorum præcipuè,qui ſeram egerunt pœnitentiam. Audierant Niniuitæ ſe poſt 40. dies ſubuertendos: illi autem,non expectata decima,aut vigeſima,vel trigeſima die, ſe ad pœnitentiam ſubitò accinxerunt.Qui ne quidem de craſtino certi ſumus, in craſtinum non differamus pœnitentiam. Certius, & ſatius eſt imitari Niniuitas quàm pium latronem, qui furandi arte rapuit à Saluatore vitam. Caueamus ne illas anguſtias & extremitates expectemus, ne nos ad illud tempus ſeruemus, nec ſperemus nos ſeruili modo furaturos ſalutem.Rationem aſſignat Nazianzenus: Neque, inquiens, furto ſæpiùs circumueniri Chriſtus amat, tametſi clemens & mirè facilis ſit. Nam in illa temporis anguſtia, niſi furtim, quis ſaluari nequit; hoc autem periculoſum eſt. Fallor,niſi huc reſpexerit Athanaſius,dum ait. Vides latrones;ſed non ambo in eiſdem. Alter regnum hæreditauit, alter in gehennam dimiſſus

Orat. in S.Bapt.

Athan.

eſt.Quaſi dicat,ſi in procraſtinatione certa eſſet ſalus, ambo latrones ſalui fierent. Niniuitæ autem quia maturè pœnituerunt,ieiunauerunt, ſe ſacco induerunt, illorum omnium miſertus eſt Deus: ſi enim diſtuliſſent, ſimul omnes periiſſent.Illorum itaque ſequamur exemplum,ſi nolimus eorum ſubire iudicium.

Hinc collige quantum diſpliceant Deo peccata hominum,quando non niſi tam graui,ſeráque pœnitentia placari poteſt; aut certè horum authores horribili ſubuerſione, ac morte ad
Hom.27. æterna ſupplicia deturbat. Vnde B. Cæſarius: Non tranſitoria, ait, opus eſt ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus.Si volumus intelligere, quàm graues apud ſe faciat Iudex noſter hominum culpas, reſpiciamus ad pœnas. Vide inquam quid Sodomæ conciuibus contigerit ob nefanda eorum ſcelera: vide quid hominibus tempore Noë ob illorum effrænatam libidinem. Quòd ſi qui ſimilia crimina commiſerint, & tamen ſimiles pœnas euaſerint,ſcito illos tantam egiſſe pœnitentiam, quæ aut crimina æquabat,aut excedebat.Debuit ſaltem Niniuitarum pœnitentia æquare culpam, alioquin non euaſiſſent pœnam,quam Ionas comminatus illis fuerat.

Surgent ſuos exhibentes ſaccos, quibus fuerunt induti; dicitur enim quòd *induti ſunt ſaccis.* Nota, quòd nullus Niniuitarum à ſacco induendo eximebatur, quia nullus ab agenda pœnitentia excuſabatur. Saccus enim cùm ſit veſtis rudis & aſpera, ſæpe in Scripturis ſacris ſumitur pro pœnitentia & pœnalibus operibus,
vt

vt apud Ioëlem; *Cubate in ſacco.* & apud Iſaiam, Ioël. 1.
Vocauit Dominus ad fletum, ad planctum, & ad cingulum ſacci. Eſt autem ſaccus notæ ſignificationis; quippe qui non modò apud Hebræos, Græcos, Latinos, verùm etiam apud Gallos, Hiſpanos, Flandros, Italos, Germanos, multarúmque aliarum linguarum homines eodem nomine dicatur, aliqua duntaxat in terminatione differentia reperta. Nam Hebraicè *ſack*, Græcè *σάκκος*, Gallicè *ſac*, Italicè, & Hiſpanicè *ſacco*, Germanicè *ſact*, Anglicè *a ſack* dicitur. Quod non ſine diuina prouidentia factum eſt. Nam quia pœnitentia neceſſaria eſt, & debet eſſe communis omnibus gentibus, & nationibus, neceſſe fuit, vt etiam ab omnibus nationibus illud, quo pœnitentia repræſentatur & ſignificatur, communi nomine vocaretur. Iſai. 22.

Qui litigant & proceſſus habent apud forum contentioſum, ſolent habere ſaccos, eóſque munire chartis & monimentis, quibus ſe protegere, & ius ſuum conſeruare valeant. Defectu enim vnius chartæ neceſſariæ, quis cauſa cadet, proceſſúmque amittet. *Il ne faut qu'vne piece neceſſaire qui manque dans vn ſac pour perdre le procez.* Audierunt Niniuitæ ſibi intimari à Propheta ſubuerſionis & mortis ſententiam: appellauerunt, ideo ſe ſaccis munierunt. *Veſtiti ſunt ſaccis*, quos ieiunio, lacrymis, vitæ conuerſione, aliiſque bonis operibus impleuerunt, id eſt, omnia ad pœnitentiam requiſita præſtiterunt, atque ita veniam obtinuerunt.

Cùm igitur ſaccus ſit ſymbolum pœnitentiæ, curet vnuſquiſque, ne huic ſacco aliquid deſit,

deſit, id eſt, ſtudeat perfectam agere pœnitentiam, ne deficiente aliqua parte, aut circunſtantia ad pœnitentiam neceſſaria, cauſa cadat, & condemnetur, ſimúlque damnetur. Suum ſaccum habuit olim Achab; egit, inquam, pœnitentiam. *Sciditveſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, dormiuitque in ſacco*, &c. Verùm non bene munitus fuit ille ſaccus, imperfecta fuit eius pœnitentia: nam vineam quam à Naboth per vim abſtulerat, non reſtituit. Deficiente itaque reſtitutione, cauſa cecidit, mortíque æternæ adiudicatus fuit: adeò enim eſt reſtitutio rei ablatæ neceſſaria, vt ſine ipſa nulla ſit pœnitentia. *La reſtitution eſt vne piece fort neceſſaire pour munir le ſac de penitence.*

3. Reg. 21.

Iudas pariter ſuum accepit ſaccum, quando fuit *pœnitentia ductus*. Sed huic ſacco pœnitentiæ aliquid defuit. Confeſſus quidem eſt, ſed non quibus debebat; nam coram Phariſæis dixit, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Cui reſponderunt: *Quid ad nos?* Quaſi dicerent: nobis non ſunt confitenda peccata, cùm non habeamus facultatem remittendi peccata. Ad ſuos ſocios Apoſtolos recurrere debuit, quibus dictum fuerat; *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlis, & quæcumque ſolueritis, erunt ſoluta*, &c. Audi Aug. Iudas pœnitens iuit ad Phariſæos, reliquit Apoſtolos; nihil inuenit auxilij, ſed augmẽtum deſperationis; dixerunt enim: Quid ad nos? Si peccaſti, tibi ſit, non tibi ſuccurrimus, non comportanda promittimus; non qualiter deponas onus docemus. Iuit ad diuiſos, & diuiſus periit. Ex parte etiam reſtitutionis fuit imperfecta

Lib. 6. de vera & falſa pœn. c. 12.

perfecta eius pœnitentia; illis enim quibus debuit, argenteos non reſtituit. Si quis peccata confiteatur, cum animo reuertendi iterum ad ea, aut cum animo non reſtituendi ablata, huius non eſt bene munitus ſaccus, aliquid deeſt pœnitentiæ, idcirco hic à Deo condemnabitur, & in Iudicio etiam à Niniuitis; *Surgent enim viri Niniuitæ in Iudicio, & condemnabunt vos.* Producent illi ſaccos ſuos, quibus nihil ex neceſſariis defuit, & condemnabunt eos qui non curarunt ſuos vt decet munire ſaccos, id eſt, perfectam neglexerunt agere pœnitentiam.

Surgent igitur Niniuitæ in Iudicio, plurimorum etiam condemnantes mollitiem, qui ſuam carnem rebellantem minimè macerarunt. Timebat, ni fallor, Apoſtolus horum Niniuitarum condemnationem, dum ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Vnde Ambroſius: Audio, inquit, homines, qui dicunt delirare eos qui caſtigant carnem ſuam, vt menti ſubditam faciant; quod numquam feciſſet, nec ſcripſiſſet Paulus, ſi deliramentum putaſſet. Notent hoc Nouantes noſtri, qui corporis caſtigationem condemnantes, ſunt ab iſtis Niniuitis condemnandi. Neceſſe eſt, vt poſtquam peccauimus, aut nos ipſos puniamus, aut nos puniat Deus. Audi Auguſt. Prorſus aut punis, aut punit Deus; vis non puniat? puni tu. Nam cùm peccaſti, illud feciſti, quod impunitum eſſe non poteſt. Non ille inueniat, quod puniat; quia cùm tu punis iniquitatem, facis æquitatem, & ideo tui miſerebitur Deus. Punierunt Niniui-

1 Cor. 9. Epiſt. ad Eccleſ. Vercellenſ.

Niniuitæ ſeipſos, idcirco Deus cùm non inueniret quod puniret, miſertus eſt; miſerebitur & noſtri, ſi nihil reperiat puniendum in nobis.

FERIA QVINTA poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Egreſſus IESVS *ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce, mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine,* &c. Matth. 15.

Prou. 31. QVÆREBAT olim Sapiens, *Mulierem fortem quis inueniet?* Placent nonnullorum diuerſæ verſiones. Aliqui enim, vt Luyſius, ſic vertunt, *Mulierem induſtriam quis inueniet?* Alij, vt Rodolphus, ſic, *Mulierem audacem*, &c. Deſineret fortè hanc fortem mulierem quærere, ſi hanc Chananæam ad Chriſtum aduentantem cerneret, quæ verè fuit *fortis*, verè *induſtria*, verè *audax*.

Fortis; quia Deum fortem viuum adoritur, illúm

illúmque, vt ita dicam, ſuis precibus ſuperaſſe videtur. Nam illum ſilentem loqui fecit: relu-ctantem ſibi reddidit propitium: ſpernentem fecit ſuæ fidei laudatorem; *O mulier, magna eſt fides tua:* ac tandem ab eo filiæ obtinuit denegatam ſanitatem; & qui priùs pro ea nihil facere volebat, omnia deinde ad eius beneplacitum fieri ſibi concedebat. *Fiat tibi, ſicut vis.* O mulierem fortem!

Induſtria; nam induſtriè ſe geſſit ad obtinendam filiæ curationem. Modò enim ſe humiliabat: modò paſſa repulſam reuertebatur, iterúmque interpellabat; & aliquando diſcipulos ſibi patronos adhibebat: & tanta eſt induſtria, vt illam mercatricem, aut negotiatricem iuxta nomen ſuum appellare non dubitem; Chanaam enim Hebraicè, idem eſt, quod mercator Latinè. Vnde idem Sapiens de eadem muliere forti, *Cingulum*, ait, *tradidit Chananæo*, vel, vt alij exponendo vertunt, *Cingulum vendidit mercatori.* Mercabatur igitur hæc Chananæa, ac fide, & humilitate, patientia, atque orandi aſſiduitate & perſeuerantia ſalutem filiæ magna cum induſtria negotiabatur. Hanc mercaturam neglexerant Iudæi, paruíque pendebant: ſed huic iam Chananæi ſe dare incipiebant. Huc ſpectat illa Origenis exclamatio. O mira res, & mirabile negotium! Iudæi fugiunt, Chananæa ſequitur: domeſtici derelinquunt, alienigenæ appropinquant.

Ibidem. Homil. in diuerſ.

Audax; nam audacter ſe habuit hæc mulier, cùm ad Chriſtum acceſſit. Vide eius audaciam: *Domine, adiuua me.* Tacentem rogat, repellentem

com

Ibidem. compellit. Illam miratur idem Origenes, atque loquentem inducit. Ecce, quanta huius mulieris fiducia: illum in cuius conſpectu tremunt Cherubim in cœlo, hæc mulier non formidat, cùm in terra clamat; Miſerere mei, quia miſericordiam quæro; dolorem ſuffero, quia filiam à dæmonio vexatam habeo: noli ſpernere me peccatricem, quia quid faciam, neſcio; quò fugiam, ignoro. Tu ſolus conſolator & adiutor in tribulationibus: ideóque obſecro Domine, aſpice me, & exaudi me, &c.

Vis adhuc videre illius audaciam? Narrat Marcus, Chriſtum intraſſe in aliquam domum, voluiſſéque omnes latere: quia, ſecundùm Euthymium, quieſcendi gratia illuc intrauerat. Marc. 7. *Statim autem, vt hæc mulier audiuit de eo, intrauit, & procidit ad pedes eius, & rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius.* O miram mulieris audaciam! Nullus alius auſus eſt intrare, niſi hæc mulier, quæ latentem Dominum quæſiuit, quieſcentem inuenit, & excitauit, renuentem rogauit: & quem iam intra domum rogauerat, iterum ſecedentem in partes Tyri, & Sidonis, immemor repulſæ ſequitur, & à finibus illis egreſſa aggreditur. Audiamus Matthæum.

Ecce mulier Chananæa de finibus illis egreſſa clamauit, &c. Hæc mulier tantò eſt laudabilior ob ſua egregia facta, quantò erat contemptibilior ob gentem, vnde originem trahebat: erat enim ex Chananæis, qui in terra illa, vnde exibat, remanſerant. Audi Chryſoſtomum. In hunc locum. Cùm audieris Chananæam, non poteris non meminiſſe iniquiſſimarum illarum gentium, apud quas leges

ipſius

ipſius naturæ euerſæ fuerant. Quod cùm memoria repetiueris, virtutem quoque aduentus Chriſti diligentiùs cogita: qui enim eiecti ſunt, ne Iudæos peruerterent, hi adeò ipſis Iudæis meliores fuere, vt terminis ſuis relictis ad Chriſtum accederent, cùm Iudæi ad ipſos venientem extruſerunt. Hæc mulier pudefaciebat Iudæos nolentes intra ſuos fines recipere, quem vt Chananæa rogaret, proprios fines egreditur.

Pudefacit etiam nonnullos Chriſtianos, qui ſemper intra ſuos fines, id eſt, occaſiones peccatorum morantes, ſæpe peccatis irretiuntur. Fugiat igitur peccandi occaſionem, qui Chriſtum vult adire, illúmque orare, & ab eo exaudiri. Fugiendi occaſiones docebant olim Angeli iuſtum illum Loth, quando ei dicebant; *Salua animam tuam.* Quomodo illam ſaluabit? Audi. *Noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circà regione.* Qui vult ſaluare animam ſuam, non reſpiciat poſt tergum ſuum. Non tantùm debuit Loth egredi Sodoma, ſed & à finibus illius. Sic non ſatis eſt homini relinquere peccatum, niſi fugiat & peccandi occaſionem. Gen. 19.

Diuus Petrus manens cum miniſtris Pontificis, Chriſtum negauit: *at egreſſus foras fleuit amarè.* Si ſemper cum eis manſiſſet, nunquam fleuiſſet, imò ſemper negaſſet: ſed occaſione relicta, agnouit & fleuit peccatũ, & in illud non eſt amplius lapſus. Hoc obſeruauit Diuus Paſchaſius: Petrus, inquiens, in atrio Pontificis ſedens non poterat ſtare in fide, nec pœnitentiam agere. Neceſſe fuit et vt egrederetur, ne iterum tranſgrederetur: nam in illo atrio nihil niſi de In Mat. 2?.

Chriſto negando, & malè tractando agebatur. Eſt peccatum in occaſione, ſiue in loco, vbi patratur, tanquam in centro: vnumquodque autem in ſuo centro maiores habet vires, quàm extra illud: fugere igitur ab occaſione peccandi,
Gen. 39. recedere eſt à centro peccati. Maluit caſtus Ioſeph relicto ſuo pallio domo exire, quàm eo retento cum domina ſua manere: agnoſcebat enim quantam vim haberet tunc peccatum in ſuo centro, & non tantùm peccatum, ſed & ea quæ eum ad ſtuprum inducebat, quæ tanti fuit roboris, vt pallium apud ſe retinuerit. Ergo bene ſibi conſuluit iſte iuuenis, dum veſtem dimiſit, quia ſic occaſionem vitauit. Bene etiam fecit Petrus exeundo foras. Bene quoque hæc mulier egrediens à finibus illis.

Non caret myſterio, quòd Chriſtus commendet nobis ſerpentis prudentiam, *Eſtote prudentes*
Lib. de pœnit. *ſicut ſerpentes.* Tertullianus indicat, in quo præcipuè conſiſtat ſerpentis prudentia, dum ait. Serpens locum mutat, ne cutem videat. Quando ſerpens ſeneſcit quærit mutare pellem: relicto igitur inter petras ſuo exuuio, mutat locum, & aliò fugit, ne pellem priſtinam & veterem videat: ſerpens, inquam, ne ſe exponat periculo videndi ſuam pellem, ſtatim locum mutat, & procul abit. In hoc ſaltem debemus imitari ſerpentem, vt ſcilicet exuentes veterem hominem, illum non amplius induamus; quod vt perficiamus, fugiendæ nobis ſunt peccandi occaſiones. Fœlix hæc mulier, quæ ne Chananæorum more viueret, egreditur, non tantùm à terra Chanaan, ſed & à finibus illis.

Notum

Notum eſt illud ſalutare Sapientis conſilium; *Quaſi a facie colubri fuge peccatum.* Non dixit, à facie leonis, vrſi, vel tauri: nam cùm, verbi gratia, leo adhuc leunculus eſt, & taurus vitulus, nocere nemini poteſt. At verò coluber, & cætera animalia venenata, licèt ſint paruula; tamen præ ſe ferunt ſemper aliquod venenum, ideo eſt ab eis fugiendum. Sic fugiendæ ſunt vel minimæ peccatorum occaſiones, tanquam à facie colubri. Sic faciebat Iob, qui dicebat; *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Alij ad noſtrum propoſitum ſic legunt, *ne cogitarem quid de virgine parua.* Bonum duxit hic bonus vir, etiam in paruulam virginem oculos non coniicere: quia ſi nimis attentè reſpiciatur, periculum erit, ne aliqua praua cogitatio inde oriatur. Nã ſecundùm gloſſam ordinariã, viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinẽ neceſſitas, neceſſitatẽ deſperatio, deſperationem damnatio. Noli igitur reſpicere, ſi non vis concupiſcere: fuge non tantùm mulierem, ſed & aſpectum mulieris, quamuis ſit paruula: egredere inquam ex finibus, id eſt, ex occaſione peccati; occaſio enim facit caſum.

Eccl. 21. Iob. 31. Gloſ. ord in hunc locũ.

Miſerere mei Domine, fili Dauid. Age, mulier, obſecra opportunè, importunè, ne ceſſes orare, vt petita valeas impetrare. Chriſtum enim rogas, qui aliquando dæmones illum deprecantes exaudiuit, quantò magis homines, ſi à dæmonibus vexentur? Vis autem videre, quando exaudierit dæmones? Narrat Matthæus, quòd ve- Matth. 8.

niente Ieſu *in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia*, &c. *Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis; Ite.* Marcus ait, *& conceſſit eis ſtatim Ieſus.* Lucas verò, *permiſit eis.* Nolebant illi maligni ſpiritus tam citò in abyſſum præcipitari, optabántque potiùs in porcos intrare. Fuit igitur exaudita dæmonum poſtulatio; & non exaudietur hominum deprecatio?

Iob.41. Olim Dominus apud Iob de dæmone decreuerat, atque hæc ſtatuerat; *Nõ parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis.* Statuerat Dominus dæmonum petitionibus, etiam ad modum deprecationum compoſitis non acquieſcere, & tamen nunc conclamantibus & deprecantibus conceſſit, quod petebant, vt innueret ſe libenter exauditurum eos, quibus dixerat; *Petite, & accipietis*, cùm tam facilè eorum exaudiatur deprecatio, quibus nulla facta eſt exaudiendi promiſſio. Hoc adnotat Diuus Antiochus, vt habetur in Bibliotheca Patrum. Dæmones ipſi, ne in abyſſum præcipitarentur, cùm Dominum obſecrarunt, ſua petitione fraudati non ſunt: quantò dignius eſt, eum exaudiri, qui Chriſtum per fidem induit, ſuppliciter deprecantem?

Homil.17. tom.2. Bib. Patr.

Cæterùm, non eſt ſilentio prætereundum, quod huic gregi porcorum, ingreſſis in eos dæmonibus, accidit. Narrat enim Marcus, quòd *exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare.* Verè dicuntur, & ſunt *immundi ſpiritus*, qui tantam immunditiam præ ſe ferunt, vt ipſi porci, inter immun

Marc.5.

immunditias alioqui conuerſantes, cœnóque volutantes, ac luto & fœtore delectantes, eam ferre non potuerint. Et vt ab illis immundis ſpiritibus liberarentur, in vicinum mare præcipitati ſunt; maluerunt enim ſuffocari fluctibus marinis, quàm fœdari ſpiritibus malignis, *& ſuffocati ſunt in mari.* Hoc obſeruauit Diuus Chryſologus ſic ſcribens. Demergi in mari, & fluctibus perire grex maluit, quam dæmonis immunditiam pati, & putredinem tolerare. Serm. 17.

Deus bone! fieríne poterit, vt homo Chriſtianus dæmonis immunditiam per menſes, & aliquando per annos ferat, quam ipſi porci per horam ferre noluerunt? Notat enim Euangeliſta, eos abiiſſe in mare *magno impetu.* Eritne porcis ſordidior, aut ad ſe lauandum tardior? Fiet autem huiuſmodi, ſi peccato (quod peius eſt dæmone) ſordeſcat, & ab eo mundari Sacramento pœnitentiæ negligat. Quòd peccatum peius ſit dæmone, affirmat Chryſoſtomus. Peccatum peius eſt dæmone. Dæmon ſiquidem non omnino ſpoliat regno cœlorum: peccatum verò omnino excludit. Et idem alibi. Non ita magnum eſt, à dæmone liberari, vt à peccato. Eſt igitur peccatum peius, & grauius dæmone. Quod malum eſt, nempe dæmonem porci ferre nolunt, & tu, quod peius eſt, nempe peccatum tolerabis? Moriuntur, ne dæmonibus fœdentur; & tu viuis, vt peccati ſpurcitia fœderis? Pudeat te. Nouerat Chananæa dæmonis immunditiam, à qua vt eius filia mundaretur, & liberaretur, rogare non ceſſat. Ibidem. Hom. 18. in Epiſt. ad Rom. Hom. 41. in Act.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Quare hæc

mulier addit, *male?* Nunquid bene poteſt aliquis à dæmone vexari? Reſpondeo, illos malè vexari à dæmone, qui ab eo vexati vincuntur: illos verò bene vexari, qui illum vexantẽ vincunt. Vexatus eſt olim Iob à dæmonio, ſed bene, nam victor euaſit. Vexatus eſt Iudas, ſed malè, quia victus eſt, ſuadente enim dæmone ſuſpendio ſe necauit. Bene itaq; vexatur, qui vexatione nõ ſuperatur: malè verò, qui ea vincitur. Huc ſpectabat Auguſt. dum diceba. Homo, & diabolus, & quęlibet dæmonia, non niſi accepta poteſtate nocẽt; ſed proficientibus non nocent. Malis ita ſunt, tanquam ignis fœno: bonis ita ſunt, tanquam ignis auro.

In Pſal. 103.

Nam ſicut igne comburitur fœnum, & eodem igne purgatur aurum: ſic mali vexationibus dæmonum, aut hominum ſuperantur, atque ita igne tartareo comburi merentur: boni verò iiſdem vexationibus purgantur, quia illas forti animo patiuntur. Mali igitur malè: boni verò bene vexantur. Idem Doctor docet, manere diſſimilitudinem paſſorum in ſimilitudine paſſionum. Sicut, inquit, ſub bono igne aurum rutilat, palea fumat; & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: ita vna eadémque vis irruens bonos probat & purificat: malos damnat & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum deteſtantur atque blaſphemant: boni autem precantur & laudant. Tantùm intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum. Hoc patet in duobus illis latronibus cum Chriſto crucifixis. Ambo pari ſupplicio afficiebantur,

Lib. de ciuit. Dei. cap. 8.

bantur, ſed iidem, aut ſimiles non efficiebantur. Vterque cruciabatur; ſed eadem vterque non loquebatur. Vnus ſuauiter fragrans dicebat. *Nos digna factis recipimus*, &c. &, *Memento mei Domine*, &c. Alter tanquam cœnum horribiliter exhalans dicebat; *Si filius Dei es, ſalua temetipſum & nos.* Vnde vnus e cruce ad paradiſum: alter e cruce ad infernum conuolauit. Premebatur Chananæa filiæ vexatione, ſed ſuauiter exhalauit, quando ſic humiliter orauit.

Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Male filia vexabatur à dæmonio, & bene mater loquebatur Domino: ô fœlix vexatio, qua fit ad Deum deprecatio! De Phrygibus ſic olim dicebatur, *Phryx non niſi plagis emendatur.* Ita, ſunt nonnulli, qui nunquam ad Deum conuerterentur, niſi aduerſitate premerentur. Veruntamen boni, vt diximus, tribulatione proficiunt; mali deficiunt. Monet Bernardus. Bene pungeris, ſi compungeris. Bene puncta eſt hæc mulier vexatione filiæ, dum compuncta recurrit ad Dei filium. Quomodo autem erga eam ſe habuerit Dei filius, videamus. Serm. 48. in Cant.

Non reſpondit ei verbum. Domine non reſpondes? Illam traxiſti, & non reſpondiſti? Hoc ſilentium miratur Origenes ſic exclamando. O mirum, & inauditum negotium! hæc flebilis mater petit & obſecrat, & lamentum ſuum producit in clamorem; & conſolator omnium lugentium non reſpondit ei verbum: latet fons vitæ, ſummus medicus occultat medicinam. Quare? vt tempore ſuo daret. Expende (*vt tempore ſuo daret.*) Omnia tempus habent. Nouit In diuerſis.

Deus quando ſis exaudiendus, qui tibi ſemper eſt orandus. Eſt quidem ſemper tempus Deum orandi; ſed datur tempus accipiendi quod oramus.

Hom. 44. in Gen. Aſſignant alij Patres alias rationes huius ſilentij. Exiſtimat Chryſoſtomus, ideo Dominum ſiluiſſe, vt magis huius mulieris virtus eluceſceret. Sciebat, inquit, Dominus reconditam margaritam, quam latere nos nolebat: idcirco diſſerebat, & reſpondere non dignabatur, vt omnibus poſteris mulieris ſedulitas manifeſtaretur. Si Chriſtus protinus reſpondiſſet, ac petita conceſſiſſet, illius mulieris in orando perſeuerantia, & eius fides non innotuiſſet. Quando Deus differt dare quod petimus, non negat, ſed commendat: non exaudit ad votum, vt exaudiat ad meritum. Audi Auguſtinum. Cùm aliquando Dominus tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulciùs obtinentur: citò autem data vileſcunt. Pete, quære, inſta. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare: vt & tu diſcas magna magnè deſiderare.

Serm. 17. de verbis Domini.

In hunc locum. Diuus Euthymius ait non reſpondiſſe, vt oſtenderet, quanti Iudæos faceret, quorum infirmos interdum non rogatus curabat; de infidelium verò infirmis non curabat, aut non curare videbatur. Altè, inquit, clamabat fœmina, Chriſtus ſilebat ſuſtinens: vt Iudæis oſtenderet, qualem erga eos gereret affectum, cùm eorum infirmos ſemel tantùm rogatus; imò neque ſemel quidem, ſtatim curabat: Gentilium verò non ita.

In Matt. 15. Diuus Hieronymus ideo Chriſtum ſiluiſſe ait,

ait, ne daret anſam Iudæis murmurandi, quòd ad Gentiles diuerteret. Siluit prætereà, ſecundùm Chryſoſtomum, vt daret Apoſtolis occaſionem orandi pro ea. Diſcipuli, ait, acceſſerunt, & obſecrabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Quòd autem pro ea rogauerint, patet ex Chriſti reſponſione, *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël*, vt mox dicemus. Vnde ſic infert Bernardus. Si hic mortales exiſtentes pro peccatoribus orauerunt; quantò magis nunc cum immortales ſint? quia beatitudo in patria charitatem non minuit, ſed auget. Hom. 38. in Gen.

Prætereà voluit Dominus ſilere, vt fides Chananææ creſceret & matureſceret. Sicut enim arbor primò folia, deinde flores, tandem fructum profert, qui ad debitam maturitatem perueniens, colligitur: ſic voluit Dominus fidem huius mulieris creſcere, antequam illam colligeret. Vis ſcire, quando huiuſmodi fides creuerit, eámque Chriſtus collegerit? quando illam magnificauit, & eam laudando exclamauit, *O mulier, magna eſt fides tua.* Ideo non fuit tunc tempus reſpondendi; quia nondum venerat tempus colligendi. Simile.

Denique, *non reſpondit ei verbum*: vt ipſa diceret alia verba, quæ non dixiſſet, ſi illam Chriſtus citò exaudiſſet: illámque voluit tantò altiùs clamare, quantò minùs ipſe loquebatur. Quemadmodum; qui præclaram nouit citharæ chordam, eam diſtendit amplius, atque amplius, vt altiorem reddat ſonuum. Si dicas ei: Vide, ne, ſi nimiùm eam diſtenderis, frangatur. Reſpon- Simile.

debit: Sine, ego noui hanc chordam eſſe fortem, ac magis poſſe diſtendi; illam non diſtenderem, ſi debilem agnoſcerem. Sic nouerat Dominus animum iſtius mulieris, præuiderat illius in orando perſeuerantiam: idcirco illam diſtendebat, quando ei non reſpondebat, & eam quaſi conuitiando repellebat. Sed ipſa eò altius vociferabatur, quò plus diſtendebatur. Itaque ſi in principio Chriſtus huic mulieri petita conceſſiſſet, ipſa non dixiſſet, *Domine, adiuua me.* Et, ſi tunc illam iuuiſſet, eiúſque filiam à dæmonio eripuiſſet, ipſa ſe canem, Iudæóſque filios non agnouiſſet. Clamauit igitur hæc mulier, quando dixit, *Miſerere mei Domine, fili Dauid*, &c. Sed altiùs clamauit, quando ait, *Domine, adiuua me.* Altiſſime verò, quando reſpondit, *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Debuit itaque Chriſti ſilentio altiùs extolli mulieris vox, & deprecatio, ſimul & probari ac manifeſtari eius fides, humilitas, & patientia, vt magis à Chriſto prædicaretur, quò tardiùs exaudiretur. Nullus ergo miretur, ſi Chriſtus quæ ſequuntur diſcipulis reſponderit.

Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Pro intelligentia illorum verborum, obſeruandum eſt, Dei filium deſcendiſſe in terram, vt ſaluaret, prædicaret, miracula patraret, & infirmos curaret. Primum munus omnibus competit: venit enim Dominus omnes tam Gentiles, quàm Iudæos ſaluaturus. Reliqua vero erat Iudæis, vel apud Iudæos per ſeipſum operaturus: gentibus autem per diſcipulos. Iſta autem

mulier

mulier rogabat, vt dignaretur Chriſtus filiam à dæmone eripere: tum Chriſtus ad diſcipulos, *Non ſum*, inquit, *miſſus, niſi ad oues*, &c. Quaſi dicat: Non veni, vt perſonaliter infirmos Gentilium, ſed Iudæorum curarem. Hæc autem *erat mulier Gentilis*, ait Marcus. Tamen precibus & diſcipulorum, & huius mulieris inclinatus, donauit tandem, quod non decreuerat: vt oſtenderet quantæ ſit virtutis aſſidua deprecatio, qua à Deo impetramus, quæ vel omnino, vel non tam citò, vel per ſeipſum dare nolebat. Dicat igitur Baſilius. Etſi menſis præteriit, etſi annus, etſi triennium, & quadriennium, etſi anni complures; acriter perſeuerato tamen, donec impetres. Sed poſtula cum fide, &c. Quia tandem impetrabis: ſicut & tandem hæc mulier impetrauit filiæ ſanitatem: licèt videretur Chriſtus eam nolle, ſaltem per ſeipſum, impertiri. Marc. 7. In Conſt. Monaſt. cap. 2.

Cur autem potiùs, aut priùs Iudæis, quàm gentibus Chriſtus prædicauerit, eorúmque infirmos perſonaliter curauerit, & inter eos miracula ediderit, rationem aſſignat Chryſoſtomus; vt ſcilicet oſtenderet ſe iniuriarum, quas ab eis acceperat, accipiebat, & accepturus erat, non meminiſſe. Illi enim ſunt qui eum vexauerunt, iniuriis affecerunt, ac tandem crucifixerunt. Oues quidem vocãtur nunc Iudæi à Chriſto: ſed oues ſunt, quæ ſuum dilaniarunt paſtorem. De illis ſic Chryſologus. Oues luporum contagione iam rabidæ, & ipſis beſtiis propria feritate ſæuiores, laniare & violare ſuum ſemper voluere paſtorem. Serm. 100.

Non

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Non tantùm oues, ſed & filij vocantur Iudæi, quia Dominus, non ſolùm vt paſtor, ſed & vt Pater ſe habebat erga illos. Interim hæc mulier, quæ priùs fuerat repulſa Chriſti ſilentio, videtur nunc quaſi repelli conuitio; nam canis vocatur, cui panis denegatur, & quæ canem ſe eſſe fatebatur; *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Quaſi dicat: Concedo Domine, non eſſe bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus: tamen licet catellis comedere micas, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Quos vocas filios, agnoſco Dominos; illis ſit panis, nobis veluti catellis ſint micæ.

Etiam Domine. Ego ſum canis, cui non debetur panis: permitte tamen me gerere ad modum canis. Quænam autem geſſerit hæc mulier, quæ cani conueniant, videamus. Diuus Baſilius ait, canes naturalem quamdam callere dialecticam in inſectandis feris: ſic enim ſcribit. Rationis quidem expers eſt canis, æquiualentem tamen rationi ſenſum habet: quæ enim per multæ vitæ otium deſidentes mundi ſapientes vix inuenerunt, ſyllogiſmorum, inquam, plexus, ea ſe à natura edoctum oſtendit canis. Veſtigium enim feræ perſcrutans, vbi inuenerit ipſum multiformiter fixum, digreſſiones quocumque diuertentes ſingulatim rimatus, tantùm non ſyllogiſticam vocem per ea quæ facit, edit; aut hac, inquit, fera diuertit, aut illac, aut in hanc partem. Atqui neque hac, neque illac: reliquum igitur ipſam hac digreſſam eſſe, & ſic per diſtractionem

Hom. 9. in Exam.

nem

nem falſorum, verum inuenit. Hæc ille, quibus oſtendit in cane quædam eſſe quæ ſapiunt ſyllogizantem.

Cùm itaque hæc mulier canis vocitetur, & veluti talis habeatur, audiamus illam ſic ſyllogizantem. Iſte ad quem accedo, & quem rogo, eſt filius Dauid: Ergo ſicut & pater libenter miſericordiam impertietur; fuit Dauid miſericors, non erit hic degener filius. Ergo, ait, *Miſere mei fili Dauid.* Obſeruandum eſt, Dauidem quoſdam compoſuiſſe pſalmos, qui ſic inchoantur, *Miſerere mei*, &c. Ita igitur mulier ratiocinabatur: Cùm iſte ſit filius Dauidis, libenter audiet, quæ Dauid compoſuit; compoſuit autem hæc verba: Ergo iiſdem verbis meam inchoabo orationem, *Miſerere mei Domine*, addámque, *fili Dauid*, vt tam patris, quàm eorum quæ compoſuit, meminiſſe, & reſpectu eorum me exaudire dignetur. Chriſtus aliquando ſic Iudæos interrogabat. *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Dixit eis Ieſus: Quomodo ergo Dauid vocat eũ Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo*, &c. *Si ergo vocat eum Dominum ſuum, quomodo filius eius eſt?* Reſpondeant ad hoc Iudæi. Non poſſunt. Vnde ſubdit Euangeliſta: *Nemo poterat ei reſpondere verbum.* Neſcierunt Iudæi hoc argumentum diſſoluere, quia nolebant vtramque naturam in Chriſto diſcernere. Reuera, ſi hæc mulier tunc hic adfuiſſet, diſtinguendo bene reſpondiſſet. Illam ergo interrogemus: O mulier, *quid tibi videtur de Chriſto, cuius filius eſt?* Diſtinguo, inquit. Secundùm diuinitatem, eſt filius Dei: ſecundùm humanitatem, eſt filius Dauidis. Hanc doctrinam

Matth. 22.

nam profiteor, illum agnoſco Deum: vnde dico, *Miſerere mei Domine.* Illúmque agnoſco hominem, dum dico, *fili Dauid.* Dominum voco, quia Deus; filium verò Dauid, quia homo eſt. O mulier, non tantùm eſt magna fides tua, ſed & ſublimis dialectica tua.

Vis adhuc videre hanc mulierem ſyllogizantem? Audiuit ſe vocari à Chriſto canem, & ait apud ſe: Qui me canem vocat, paſtor eſt: ſic enim de ſe loquitur, *Ego ſum paſtor bonus.* Hic habet oues, ſcilicet Iſraëlitas, quos nunc oues appellauit. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Cùm ſit paſtor, & habeat oues, debet ergo habere canes: nullus eſt enim paſtor, nullum ouile ſine cane. Ergo admittet me, ſaltem tanquam canem: concedam igitur ei me eſſe canem, *Etiam Domine*, &c. O canem pulchrè ſyllogizantem!

Canis, ſi ex vna parte eiiciatur vertit ſe ad aliam. Reiecerat hanc mulierem diuina Iuſtitia, ob nimia peccata: ſed veluti canis ad alterum latus, nimirum ad miſericordiam, ſe contulit, dicens, *Miſerere mei Domine*, &c. Quaſi dicat: In illa terra ego sū, quæ tua miſericordia plena eſt. Hoc didici à patre tuo Dauide, *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Eſt illa miſericordia veluti inſigne tuum, *armoiries.* Solent Domini, & diuites huius ſæculi apponere ſua inſignia in domibus, ſupellectilibus ſuis, & in aliis rebus, quæ ad ipſos pertinent. Iſta tua inſignia miſericordiæ tuæ reperiuntur in omnibus rebus huius mundi, in cœlo, in luminaribus cœli, in terra, in mari, & in omnibus aliis creaturis. Ita nos docet

idem

idem pater tuus Dauid, quando de te ſic loquitur. *Facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius. Qui firmauit terram ſuper aquas; quoniam in æternum miſericordia eius. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia eius. Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia eius. Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia eius*, &c. Noli me Domine excludere ab illa tua miſericordia, qua inſignitur, quicquid in mundo eſt. Ergo *Miſerere mei Domine.* Pſal. 135.

Etiam Domine. Concedo, quòd ego canis ſum. Sicut enim canis, ſi domo expellatur, ante oſtium latrare & clamare non ceſſat, donec ei aperiatur. Audio Domine te eſſe oſtium: tu enim dixiſti, *Ego ſum oſtium.* Video nunc oſtium mihi eſſe clauſum; nihil mihi roganti reſpondiſti; & dum os tuum aperuiſti, me tanquam canem repuliſti, dicens non eſſe bonum mittere canibus panem filiorum: veruntamen ad inſtar canis domo eiecti non deſinam clamare ad oſtium, *Adiuua me.*

Præterea, quandiu canis ſentit fures in domo, latrare non ceſſat. Sic ego orare non deſinam, donec fur animarum noſtrarum, nempe diabolus, egrediatur è corpore filiæ meæ. Canis, inquit Chryſologus, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, vt curam releuet, & ſolicitudinem ſeruulorum. Non potui impedire ingreſſum iſtius latronis dæmonis in meam filiam. Opto ſaltem egreſſum, *Adiuua me.* Serm. 100.

Tandem, ſicut, dum cani denegatur panis, recurrit ad micas: ſic Chananæa audiens panem

non

non eſſe catulorum: ſed filiorum, ad micas recurrit, probátque ſibi non eſſe denegandas. *Nam*, inquit, *& catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Micæ canibus non mittuntur, ſed à canibus colliguntur: ſunt enim micæ catulorum amicæ.

Obſeruandum eſt, quòd aliæ ſunt micæ, quæ cadunt de menſa Domini: & aliæ ſunt quæ cadunt de menſa Dominorum huius mundi. Illæ ſatiant: iſtæ verò minimè. Illas appetebat hæc mulier: iſtas olim Lazarus; erat enim *cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis.* Dic Lazare: quomodo poteris micis impleri diuitis, cùm ipſe non potuerit ſaturari panibus, multíſque ferculis, & variis cibariis? Ideo quotidie epulabatur, quia nunquam ſatiabatur. Petis micas, quæ non tantùm non poterunt ſatiare, ſed nec eas poteris impetrare. *Nemo ei dabat.* Quare? quia ſunt micæ quæ cadunt de menſa Dominorum huius mũdi. Meliùs conſuluit hæc mulier, quæ petit micas de menſa Domini, quarum vna poteſt ſatiare appetitum hominis. De
Vict. Ant. hac Chananæa ita poſtulante ſic Victor Antiochenus: Minimam, inquit, virtutis illius partem: hoc enim micæ nomine ſignificabatur, præſtandam ſanitatem arbitrata eſt. Vel fortè per micam intelligebat hæc mulier verbulum vnum Chriſti, quo ſanaretur eius filia.

Prætcrea, licitum eſt canibus comedere panẽ à filiis derelictum, & conculcatum. Domine,
Ioan. 6. tu dixiſti, *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi.* Tu es panis, & ego canis: ſed tu es panis, quem Iudæi filij faſtidiunt & contemnunt; liceat ergo mihi

cani,

cani, te appetere panem, aut ſaltem micam. Pulchre idem Chryſologus. Iudæi oblatum panem conculcare ad ſcelus, non ad vitam ſumere ſunt conati, & tamen comminutum, & conculcatum à filiis, canis tota fide, toto deſiderio lambere feſtinauit. Vnde audire meruit. Ibidem.

O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Quaſi dicat Chriſtus: Quia feciſti, ſicut ego volo, fiat tibi, ſicut tu vis. Volo enim homines, qui in me credunt, eſſe humiles, patientes, in oratione perſeuerantes: volo, inquam, vt non ceſſent me rogare, licèt videar petita denegare: talis autem tu fuiſti; voluntatem meam adimpleuiſti, tuam modò adimplebo, *fiat tibi, ſicut vis.* Vis ſanitatem filiæ? *fiat.* Vis miſericordiam? *fiat.* Vis eſſe filia, non canis? *fias.* Vis ſalutem æternam? *fiat.* Quodcumque tibi vis, *fiat tibi, ſicut vis.* Vnde de illa idem Doctor. Meritò, quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem cómutatur: meritò adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili, & prouida humilitate deiecit. Ibidem in fine.

Nullus nunc deſpondeat animum: nullus de miſericordia Dei deſperet, cùm videat mulierem peccatricẽ, Chananæam & infidelem exaudiri: ſed ſtudeat exemplo illius in oratione perſeuerare, ſi optet aliquid à Domino impetrare. Si ipſa, ſilente Chriſto, aut concedere renuente, imò eam tanquam canem repellente, ceſſaſſet deprecari; certè ſicut canis acceſſiſſet, & vt canis receſſiſſet, & vacua remanſiſſet. Refert Diuus Ambroſius piſcem eſſe in mari, qui oborta tempeſtate, ne ea obruatur, ſeſe rupi adiungit,

& adhæret, quouſque ceſſet tempeſtas. Tempeſtate hæc mulier agitabatur, quando eius filia à dæmone vexabatur: verùm ita per orationem Domino, tanquam ſaxo firmiſſimo adhæſit, vt eum nunquam dimiſerit, donec dæmon filiam eius vexare deſtiterit. Fac & tu ſimiliter, ſi huius mundi procellis agiteris, ac tribulationum tempeſtatibus quatiaris: Deo per orationem adhæ-
Lib. 10. reas, eique dic cum Auguſtino. Cùm inhæſero
Conf. c. 28. tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor & la-
Pſalm. 72. bor, &c. Dices poſtmodum cum Pſalmiſta, *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.*

Epiſt. 31. Vocat Diuus Paulinus orationem, *naufragorum tabulam.* Sicut enim in naufragio tabula reperta non relinquitur, donec ad portum perueniatur: ita, cùm tanta in huius mundi pelago fiant naufragia, hanc orationis tabulam nunquam dimittamus, donec ad portum cœleſtem perueniamus. Dices: perſeueranter orarem, ſi tandem, ſicut hæc mulier, audirem, *fiat tibi, ſicut*
In Ioan. *vis.* Reſpondet Auguſtinus. Si non fit, quod vis;
Serm. 29. fit tamen quod tibi expedit. Dummodo habeas, quod tibi expediat, quid aliud curas? Non ſineret, nec præciperet Dominus orare, ſi nollet ero-
Serm. de gare. O quàm negare noluit, inquit Chryſolo-
orat. gus, qui ſibi etiam neganti qualiter extorqueretur oſtendit!

FERIA

FERIA SEXTA
poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, &c. Ioan. 5.

SCITVM eſt illud Tertulliani: Nunquam ſine aqua Chriſtus. Initium ſignorum Chriſti fuit in aqua, quam in vinum conuertit. Chriſtus ex mari nonnullos vocauit Apoſtolos. Iuxta aquam conuertit Samaritanam. In Iordane baptizatur Chriſtus. Vt vitam conſequamur æternam, vult Chriſtus nos regenerari ex aqua & Spiritu Sancto. Aqua ſuorum diſcipulorum lauit pedes. In ipſum credentibus promittũtur flumina aquæ viuæ. Aperto Chriſti latere, continuò exiuit ſanguis & aqua. Ergo nunquam ſine aqua Chriſtus. Vnde pergit idem Doctor. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias, aqua auſpicatur. Cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquam ſuam inuitat ſempiternam. Cùm de Agape docet, aquæ calicem Patri oblatum inter opera dilectionis

Lib. de Baptiſ.

Ioan. 2.

Ioan. 7.

probat. Apud puteum vires reſumit: ſuper aquam incedit libenter, & transfretat. Non mirum igitur, ſi veniens Hieroſolymam, aſcenderit ad piſcinam, vt qui non erat ſine aqua, infirmum curaret iuxta aquam. Quid de illa piſcina dicat Euangeliſta, inquiramus.

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina. Aliqui iuxta Græcos codices ſic legunt; *Eſt autem Hieroſolymis in probatica piſcina.* Volunt enim fuiſſe Hieroſolymis vnum locum, ſiue forum, aut plateam, quæ probatica, ſiue pecuaria dicebatur: quia in eam ducebantur, & ibi vendebantur oues. Quaſi diceret Euangeliſta: In platea probatica, aut in foro pecuario erat piſcina quædam, quæ Hebraicè dicitur Betheſda. Placeret quidem hæc ſententia, ſi probaretur aliquam Hieroſolymis extitiſſe plateam, quæ probatica vocaretur: ſed nullum eius rei inuenitur veſtigium.

Igitur intelligendum potiùs erit de porta. Nam erat quædam vrbis porta, quæ Græcè πύλη προβατικὴ, id eſt, *porta pecuaria* vocabatur, ſiue quòd ea porta oues immolandæ inferrentur, quòd templo vicina eſſet; ſiue quòd per eam ex vrbe oues emitterentur in paſtum. Oues enim Græcè πρόβατα dicuntur. De illa porta ſic Borchardus. Non longè ab area templi contra Aquilonem, minùs quàm iactus eſt lapidis, extra portam vallis; per eam enim erat deſcenſus in vallem Ioſaphat. Dicitur & porta gregis, quoniam per eam introducebantur greges immolandi in templo. Et de piſcina ſic idem terræ ſanctæ explorator. Intrantibus portam gregis ad

Borchar.

ſiniſtram, iuxta aream templi occurrit piſcina probatica,&c. Erat ergo piſcina probatica iuxta portam probaticam, à qua potuit nomen accipere.

Angelus autem Domini ſecundùm tempus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua. Euthymius exiſtimat,incertum fuiſſe tempus deſcenſus Angeli,& ſæpe ſingulis annis deſcendiſſe. Deſcendebat igitur Angelus certis temporibus,ignotis hominibus,notis Deo. Nam quo tempore Deus iudicabat expedire, vt aliquis ſanaretur, mittebat Angelum.Cur autem non ſemper deſcenderet, & cur non niſi poſt motionem aquæ quis ſanaretur,rationem hanc reddit Chryſoſtomus, ne,ſi ſemper id fieret, naturali aquæ vi curationes fieri viderentur.

Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ,ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Cur vnus tantùm, & vnus quidem is, qui primus in motam aquam deſcendiſſet, ſanabatur? Voluit, opinor,Deus ea re docere,etiam in percipiendis diuinis donis, quæ gratis, & ſine vllo noſtro merito nobis dantur,multùm valere noſtram diligentiam, vt infrà dicemus;diuinam enim gratiam gratis quidem dari, alioqui gratia non eſſet;ſed non niſi volentibus,non niſi quærentibus,non niſi conantibus dari. Quando autem hæc virtus inchoauerit,& quando deſierit, dicunt nonnulli cœpiſſe à Chriſti natiuitate, & deſiiſſe paulò poſt eius mortem.

Cur huiuſmodi miracula in hac piſcina Deus olim efficiebat? Reſpondet Theophylactus hoc pacto.Multi, inquit,opinantur, quòd ſola ablu-

tione inteſtinorum ſacrificalium, virtutem quã-dam diuiniorem acciperet aqua, & propterea Angelus ad aquam, vt electam accederet, & mi-raculum operaretur. Alij apud Magiſtrum hiſto-riæ, effecta illa miracula in piſcina aiunt, quòd ex ea lignum illud enatarit, ex quo Crux fabri-cata totius fons ſalutis.

In hiſt. Euang. c. 81.

Nonnulli, vt ſcribit Adrichomius, putarunt in loco piſcinæ fuiſſe olim locum, vbi ſacrum ignem quondam recondiderunt Sacerdotes, quem cùm requireret reuerſus Nehemias, eius loco reperit aquam craſſam.

In deſcript. Hieruſ. num. 62.

2. Mach. 1.

Denique incerta eſt alia cauſa miraculi. Hæc tamen vna fuit. Deus baptiſmi tempore propin-quante, ſanitatem per aquam conferre voluit; vt eam ſanitatem, quæ per baptiſmum confertur, indicaret. Vnde Theophylactus: Videbatur, ait, diuina ſapientia à longè viam facere Iudæis ad fidem in Chriſtum, præordinando miracu-lum piſcinæ, quod duceret eos ad ſuſceptionem baptiſmatis. Idem ſentit Chryſoſtomus: Hoc factum eſt, inquiens, vt qui in aqua corporis morbos ſanari poſſe didiciſſent, in eo aliquan-diu exerciti, animæ morbos per aquam curari poſſe faciliùs crederent.

In hũc locum.

Hom. 35. in Ioan.

Præcedat igitur virtus huic aquæ à Deo col-lata, vt noſcat Iudæus Dominum poſſe per aquam baptiſmalem ſanare animam à quocum-que peccato, ſicut per hanc piſcinam ſanabat corpus à quacumque infirmitate. Dedit autem Chriſtus aquæ virtutem in baptiſmo, quando ipſe in Iordane baptizatus eſt. Ita ſentiunt om-nes Patres, inter quos Auguſtinus, qui ſic ſcri-bit.

Serm. 1. de Epiph.

bit. Omnibus aquis benedictionem dedit Chriſtus, quando in Iordanis alueum deſcendit. Sicut mota ab Angelo huius piſcinæ aqua, ſanabatur qui primus in ea lauabatur, à quacumque detineretur infirmitate: ita, lota à Domino aqua Iordanis, facta fuit omnis aqua naturalis, materia baptiſmi, eíque conceſſa eſt vis abluendi animam. Quòd baptiſmo Chriſti lota ſit aqua, affirmat idem Doctor. In baptiſmo Chriſti, non tam lauit vnda, quàm lota eſt; purgantur potiùs fluenta, quàm purgant. Ex quo Saluator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorúmque fontium venas, myſterio baptiſmatis conſecrauit. Ierem. 36. de temp.

Vt autem quis in hac piſcina curaretur, quædam erant neceſſaria ex parte ſui, quæ etiam requiruntur ad ſalutem animæ comparandam. Primò enim requirebatur voluntas infirmi: vnde Dominus ait huic paralytico, *Vis ſanus fieri?* Ita multi ſunt animo ægroti, qui tamen ſanari nolunt; hi potiſſimùm, qui voluptatibus inſeruiunt: viri enim carnales nolunt curari à morbo concupiſcentiæ. Diuus Auguſtinus fatetur, ſe aliquando ante conuerſionem ſuam hoc morbo laboraſſe, & noluiſſe ab illo tam citò curari: ſic enim ſuam infirmitatem patefaciens, Deum alloquitur. Petieram à te caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem & continentiam; ſed noli modò: timebam enim, ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri, quàm extingui. Lib 8. Cōf. c. 7.

Vis ſanus fieri? Æquum eſt, vt voluntate homo ad Deum reuertatur, à quo voluntate ſeparatur:

volendo receſſit, volendo accedat, *Vis ſanus fieri?* Miror, quòd homini ſanitas offeratur; cùm ipſe potiùs deberet ſe Domino offerre, vt ſanetur, ac
Pſal. 6. dicere cum Dauide, *Miſerere mei Domine, quo-*
Ierem. 17. *niam infirmus ſum.* Aut cum Ieremia, *Sana me Do-*
Aug. *mine, & ſanabor.* Aut ſanè cum eodem Auguſtino, qui optimè conuenire affirmat, vt pauper diuitem quærat, infirmus medicum: ſic enim precatur. Tu Domine medicus es, & ego æger ſum: tu miſericors, & ego miſer: ſana ergo Domine, & miſerere. Hæc optime conueniunt: pauper enim diuitem quærit, infirmus medicum, miſer potentem, & non ſecus. Interim videmus hic medicum conuenire infirmum, eique offerre ſanitatem, *Vis ſanus fieri?* Voluit igitur Dominus hominem interrogare, vt ipſe ſuum conſenſum manifeſtaret, & manifeſtando curaretur.

Vis ſanus fieri? Quomodo ſe habeat peccator, pulchrè oſtendit Sapiens ſub nomine pigri;
Prou. 13. *Piger vult, & non vult.* Vnde Hieronymus: Rectè, inquit, pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo. Delectant præmia, cùm pollicentur; deterrent certamina, cùm ſubeuntur: hoc pacto *vult, & non vult.* Pete, verbi gratia, ab auaro, an velit ſanus fieri, & ſaluari, reſpondebit, *volo.* Sed reſtituenda ſunt quæ illicite poſſides; reſpondet, *nolo.* Vides quomodo *vult, & non vult.* Dic luxurioſo, *Vis ſanus fieri?* vis vitam æternam? Reſpondet, *volo.* At tibi deſerenda eſt mulier, quam deperis. Tibi voluptati renunciandum eſt: nónne illud vis? Dicit, *nolo.* Ergo *vult, & non vult.* Vult quidem finem, ſed

non

non media ad finem: vult ſaluari, ſed non à peccato curari.

Rurſus, *Piger vult, & non vult.* Quia, cùm variis affectibus ducatur, nunc aliquid affectat, nunc detrectat. Hos autem contrarios affectus & motus viri peccatoris, eruditè deſcribit idem Doctor, pigritiam cum auaritia in vito ſocorde confligentem inducens. Habes, inquit, cum auaritia alterum onus pigritiæ; & iſta duo nequiſſima onera, ſecúmque pugnantia premunt te, & dilaniant te: non enim paria imperant, non ſimilia iubent. Pigritia dicit; dormi. Auaritia dicit; ſurge. Pigritia dicit; noli pati frigidos dies. Auaritia dicit; tolera in mari etiam tempeſtates. Illa dicit; quieſce. Iſta non ſinit quieſcere. Itaque, ſi quis ſit piger, & auarus, *vult, & non vult.* Vt auarus, vult laborare: vt piger, non vult laborare. Si quis auarus, & guloſus ſit; quia guloſus, vult opiparè viuere: quia auarus, non vult. Serm. 22. de verb. Apoſt.

Præterea, ad ſanitatem animi comparandam neceſſaria eſt in piſcinam pœnitentiæ celeritas illa, quæ in eo cernebatur qui in piſcina probatica mergebatur: in eam enim *qui prior deſcendiſſet, ſanus fiebat.* Quis ad ſanitatem non feſtinat? quis non currit? vbi primùm quiſpiam in morbum corporis incidit, protinus medicum acceſſit. Heu, vt miſer hic paralyticus per multos dies, ne per multos dicam annos, in lecto peccati deſidia quadam miſerandi permulti iacent. Audiamus eũdem Sapientem etiam ſub nomine pigri illos deſcribentem. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo.* Vides oſtium, quod manu alicuius, aut vento clauditur, vel Prou. 26.

aperitur; ſed à ſuo cardine non diuellitur: mouetur quidem, ſed nõ amouetur: in cardine vertitur, ſed ab eo non diuertitur.

Simili modo videbis aliquem in lecto ſuo pigreſcentem, ac vſque ad horam decimam dormitantem: accedis ad lectum, excitas eum; cur tandiu dormiat, interrogas, eúmque increpas: ipſe autem reſpondet verba ſomnolenta, dicens ſe velle ſurgere: quærit quota ſit hora, & an dies luceſcat, an tempus ſit ſerenum, aut nubilum, an frigeat: iubet ſibi parari veſtimenta, & parumper feneſtram adaperiri, & ait: Surgam modò, nec propterea ſurgit; imò ſi deſeratur, vertet ſe ad aliam partem, & iterum dormitabit.

Sicut igitur rectè oſtio in cardine comparatur piger in lecto: ita pigreſcenti & in lecto ſe vertenti, & non è lecto ſurgenti comparatur peccator, dum in ſuis vitiis volutatur. Vertitur quidem, ſed non conuertitur: vertitur, inquam, bona aliqua agendo; audit enim Miſſam, prædicationi intereſt, Eccleſiam adit, ſed ſemper in peccatis iacet; quia illa non confitetur, nec deſerit. Et, ſi aliquando diuinis inſpirationibus, aut concionibus, vel afflictionibus excitetur, reſpondet quaſi verba ſomnolenta, quærens an propè ſit Paſcha, vt confiteatur; vbinam poterit idoneum reperire confeſſarium: interim nunquam à peccatis recedit, nunquam illa confiteri dignatur; ſed in eis volutatur & vertitur, ſicut piger in lecto, & oſtium in cardine ſuo. Vis videre in lecto ſeſe huc illuc vertentem? attende Auguſtinum ſic Domino loquentem. Non erat quod tibi reſponderem dicenti mihi: Surge qui dormis,

Lib. 8. Conf. c. 5.

dormis,niſi tantum verba lenta,& ſomnolenta: modò,& ecce modò; ſine paululum. Sed modò & modò non habebant modum ; & ſine paululum,ibat in longum.

Præterea , piger ſiue peccator meritò ianuæ in cardine ſuo vertenti comparatur. Ianua enim in cardine ſuo conuerſa ſtridorem aliquem reddit : ita pigrum,vel peccatorem ſequitur ſemper ſtridula quædam ſubmurmuratio , & querimonia.Vnde Beatus Ephrem,Piger aſſiduò obmurmurat,& ſeipſum deplorat.Idem dicit alibi , vbi pulchrè pigrum depingit. Pigritia murmurationi coniunctiſſima eſt. Si quò enim piger mittatuit,dicit:Leo eſt in via.Pigro ſemper excuſatiónes in promptu ſunt: ſi quod ei opus iniungitur,obmurmurat , & alios mox etiam peruertit dicens;& quorſum hæc?Cur iſtud,vel illud?non expedit,inquiens,iſtud fieri.Si aliquò mittatur, damnum,inquit,ex illo itinere proueniet. Si ad pſalmos decantandos excitetur , iraſcitur : ſi ad vigilias, ſtomachi, vel capitis dolores prætexet. Si ipſum admoneas;teipſum,inquit,admone, de me erit ſicut Deo placuerit. Iſte infirmus fuit quodammodo figura peccatoris : nam interrogatus,an vellet ſanari , reſpondit , *Hominem non habeo.* Quæ quidem verba ſunt quaſi hominis obmurmurantis. Quaſi dicat : Opto & quæro ſanari,ſed non poſſum , quia hominem non habeo , vt cùm mota eſt aqua , mittat me in piſcinam : ſi enim, vt multi alij, hominem haberem qui mei curam gereret , lauarer , & citò curarer.

In Paræneſi. cap. 22. & lib. de virt. & vit.

Ad hanc piſcinam Hieroſolymitanam non

diuitiis

diuitiis abundantes, aut honoribus fulgentes, ſed accelerantes; & feſtinantes curabantur. Itaque certatim ægroti ad illam accedebant; vnuſquiſque alios omnes celeritate ſuperare nitebatur. Quid moramur? cur ad piſcinam
Eccl. 5. pœnitentiæ non feſtinamus? Audi hortantem, *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius.* Præueni quod ſubitò venit. Quis ſcit an poteris cras, quod hodie præſtare recuſas?

Quid, & quomodo de regno cœlorum lo-
Matt. 11. quatur Dominus, obſerua: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Expende (*rapiunt.*) Si aurum rapiendum proiiciatur, raptorum quiſque primus eſſe conatur. Rapiendum nobis regnum cœlorum proponitur: quiſque igitur primus eſſe contendat. Hæc ſimi-
Hom. 53. in Ioan. litudo eſt Diui Chryſoſtomi, ſic ſcribentis. Raptores præoccupare nituntur: illud ſolùm curant, vt cæteros præcurrant. Bonum eſt rapere, non ea quæ pereunt, ſed regnum cœlorum, quippe quod vim patitur, neque deſidia acquiri poteſt, ſed cura & diligentia. Idcirco pœnitentia in craſtinum non differatur,
Hom. 22. in Epiſt. 2. ad Cor. 10. ne dilatione auferatur. Nam, ſecundùm eumdem Doctorem, neſcis quid paritura ſit ſuperuentura dies. Periculum, & metus eſt in differendo; ſalus verò ſecura, ſi nulla ſit dilatio.

Non debemus cunctari, ſi cupimus ſaluari, nihil proderit incepiſſe, niſi contingat perfeciſſe. In via ſalutis nunquam eſt immorandum, ſed ſemper eundum. De parentibus Ioan-

nis Baptiſtæ ſic ait Scriptura. *Ambo iuſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis.* Quæ verba expendens Chryſologus ſic ſcribit. Incedentes dixit, vt eos oſtenderet virtutibus non ſtetiſſe, ſed ambulaſſe in via iuſtitiæ: nec remanſiſſe in itinere mandatorum, ſed ad mandatorum plenitudinem perueniſſe. Luc. 1. Serm. 81.

Hinc mirari deſinam vocem illam Chriſti apud Matth. *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quid in paruulis reperitur ſine quo ad regnum cœlorum non peruenitur? Sanè hoc naturaliſſimum habent paruuli, quòd omni tempore, ſiue dormiant, ſiue vigilent, ſiue ludant, ſiue otientur, ſemper tacitis augmentis corporis accreſcunt & proficiunt. Horum igitur eſt regnum cœlorum, qui ſemper virtutum & bonorum operum augmento & accretioni ſtudent, qui nunquam ceſſant bene agere. Hæc excogitatio eſt Tertulliani dicentis. Ecce Chriſtus diligit paruulos, tales eſſe docens debere, qui ſemper maiores eſſe velint. Non qui incipit & ceſſat; ſed qui nunquam à profectu deſiſtit, is cœlorum regnum adipiſcetur. Matth. 18. Lib. 4. contr. Marc.

Hic omnes contendamus, hic pugnemus vniuerſos antecedere, id eſt, omni diligentia vtamur ad ſalutem noſtram conſequendam. Non permittamus, vt alius accipiat coronam noſtram, brauium noſtrum; ſcriptum eſt enim: *Caue ne alius accipiat coronam tuam.* Hoc ſanè cauebat Abraham, quando in ipſo feruore diei excubabat ad oſtium tabernaculi, vt peregrinos tranſeuntes ſuo inferret hoſpitio. Quorum tribus viſis, *cucurrit obuiam illis.* Et cur cucurrit? ne Apoc. 3. Gen. 18.

ſibi

ſibi hoſpitantis fructus ab aliquo alio præri-
In Gen. peretur. Illum meritò D. Chryſoſtomus comparat homini theſaurum, vel aliquod aliud pretioſum inuenienti, dum ſic ſcribit. Currit & volat ſenex: vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocauit famulos, quaſi diceret: Magnus theſaurus eſt, magna negotiatio, per meipſum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.

An qui in ſtadio currunt, expectant ſeſe? an non ſinguli eò ſpectant, vt cæteros anteuertant, & brauium præripiant? Et hi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, ſic curramus, vt comprehendamus. Si iſte infirmus potuiſſet ſe mouere, & in piſcinam deſcendere, cæteros ſtuduiſſet præcedere. Tu autem potes adire lauacrum pœnitentiæ, cur permittis vt alij accipiant coronam tuam? Cur, inquam, cæteris bene operantibus, ſolus cun-
Lib.1.cap.5. ctaris, ſolus pigreſcis? Diſce, inquit D. Ambroſius, quàm impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet. Idcirco malè iſte infirmus ſibi conſulebat, quando hominem cupiebat, vt illum mitteret in piſcinam. Fortè non illum, ſed ſeipſum homo ille lauiſſet, ſi piſcina indiguiſſet. Dicebat igitur:

Hominem non habeo. Non vult Deus vt in humano auxilio ſpem figamus. Dauid grauiſſimas dedit pœnas, quòd nimiam ſpem poſuerit in humana fortitudine, quam vt exploraret, fecit populum ſuum annumerari. Deus illi opem tulerat: ipſe autem voluit ſcire numerum ſuorum militum,

militum, ac omnium ſibi ſubditorum; in quorum auxilio plurimùm confidebat. Idcirco illum Deus caſtigauit, quia in illo non ſperauit: puniuit, inquam, Dauidem ſubditos huiuſmodi minuendo, quia peccauerat illos numerando, & in eis confidendo. Vnde ipſe expertus, quantùm diſpliceat Deo in homines ſperare, ita conſulit. *Nolite confidere in Principibus, neque in filÿs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Et alibi. *Bonum eſt confidere in Domino quàm confidere in homine.* Ad hæc verba Diuus Chryſoſt. nos reddit attentos: Audiant, inquiens, hoc conſilium, & hanc admonitionem, qui fixis oculis, & ore hianti intuentur, admirantes præfecturas humanas, & Magiſtratus, qui ſunt corrupti, & in quos mox cadit interitus, nec propria quidem ſalus eſt in eorum poteſtate, nec ſe poſſunt defendere.

Pſal. 145. 3. Pſal. 117. 8. Chryſoſt.

Quod D. Auguſt. de ſua ætate teſtatur, hoc experimur in noſtra. Modò, neſcio qua infirmitate humana, anima quando fuerit tribulata, hic deſperat de Domino, & vult præſumere de homine. Dicatur homini in afflictione aliqua conſtituto: Eſt quidam homo, per quem poſſis liberari; arridet, gaudet, erigitur. Quòd ſi dicatur illi: Liberet te Deus, quaſi deſperatione frigeſcit. O homo, quid tibi cum homine, cùm, teſte Homero, nihil ſit miſerius homine? Vis adhuc ſcire, quid ſit homini homo? Audi Plautum, *Lupus eſt homo homini, non homo.* Fugiat igitur homo hominem, ſicut ouis lupum. Nam quærit idem Plautus. *Pernicies hominum quæ maxima? Solus homo alter.* Eſt & aliquando homo homi

Serm. 82. de Temp. In Aſin. Ibidem.

Abac. 1. homini piſcis. Vnde Propheta; *Facies hominis ſicut piſces maris*. Sunt in mari piſces, qui alios piſces deuorant: ita ſunt in terra homines, quaſi alios homines deuorantes & conculcantes. Fera peſſima Ioſephum non deuorauerat, & tamen
Gen. 37. de illo ſcribitur, *Fera peſſima comedit eum*, quia fratres eius fuerunt ei peiores & crudeliores feris.

Miratus ſum aliquando, cur Dominus, qui dedit Petro claues regni cœlorum, eidem mortis & inferni claues non commiſerit, ſed ſibi
Apoc. 1. ipſi reſeruauerit, dicens; *Habeo claues mortis & inferni*. Verùm mirari deſino, dum Petrum hominem eſſe memoror. Noluit igitur Deus committere vlli homini claues inferni, ne fortè homo homini aperiret portas inferni. Non itaque doleat homo, quòd non habeat hominem: ſed gaudeat, quia tantò magis erit Domini, quantò minus erit hominis.

Gen. 40. Obfuit Ioſepho ſuum ad pincernam, *Memento mei*: & profuit pio latroni ſuum ad Chriſtum, *Memento mei*. Statim huic promittitur locus cum Domino, quia ſperauit in Domino, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Ille verò adhuc biennio manſit in carcere, quia per hominem ſperauit liberari à carcere, nec illius recordatus eſt pincerna; quod iuſto Dei iudicio factum eſſe
Serm. 82. de Temp. oſtendit Auguſtinus, dum ſic ſcribit. Sine vlla dubitatione credendum eſt, quòd pro caſtigatione Sancti Ioſeph, non permiſit Deus magiſtrum pincernarum recordari eorũ quæ Ioſeph exeunti ipſi de carcere ſupplicauerat.

Si itaque Ioſeph, qui aliàs iuſtus erat, caſtigatus

gatus fuit, quòd plus nimio promiſſis & beneuolentiæ vnius hominis confiſus fuerit; quid mirum ſi paralyticus iſte peccatis oneratus tandiu relinquatur in ſua infirmitate, quandiu ſperauit in homine?

Apud Ieremiam maledictione percutitur, qui homini innititur; *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius: erit enim quaſi myrica in deſerto, & nō videbit cū venerit bonū: ſed habitabit in ſiccitate*, &c. Carpit hic Propheta eos qui in homine tanquam in Deo, aut magis quàm in Deo, aut ita vt non in Deo, confidebant. Vel dicimus illos maledici, qui in homine tanquam in homine confidunt: ſed illi non maledicuntur qui confidunt in hominibus tanquam Dei amicis, ſicuti in Sanctis, ad quos licitum eſt confugere. Sed tantùm reprehenduntur illi qui de Deo non curantes, ad homines confugiunt, quòd videant eos diuites, potentes. Ierem. 17.

Et tales maledictione feriuntur, quia *ponunt carnem*, id eſt, hominem carnalem, *brachium ſuum*, vt ſcilicet eo quaſi brachio potenter ſe tueantur. Quaſi dicat: homo caro eſt, omnis autem caro fœnum. Audi clamantem: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri*, &c. *exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos*. Qui homini fidit, fœno exſiccando, & flori caſuro fidit: potentia enim hominis carnea eſt, & ſimilis flori vernanti, qui mox æſtuante Sole marceſcit, areſcit & defluit. Reuera, inquit Hieronymus, ſi quis fragilitatem carnis reſpiciat, & quòd horarum momentis creſcimus, atque decreſcimus, non Iſai. 40. Hieron. in hunc locū.

dubitat carnem fœnum dicere, & gloriam eius quaſi florem agri. Vnde Poëta:

Carpe nouos flores, dum flos nouus & noua pubes:
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Qui modò floret, marceſcet, qui modò audit, ſurdeſcet, qui videt, cæcutiet, qui viget, putreſcet, qui viuit, morietur. Qui itaque in huiuſmodi confidit, *erit quaſi myrica in deſerto, habitabit in ſiccitate.* Meritò herbæ ſterili ille aſſimilabitur, cuius ſpes in mortali homine collocabitur.

Eſt enim myrica herba ſylueſtris, & humilis, iuxta illud,

Virg. eclog. 4. *Non omnes arbuſta iuuant, humileſque myricæ.*

Hæc dicitur maledicta, &, vt ait Plinius, infœlix & religione damnata; quia ſterilis eſt, in ſolitudine naſcitur, vilis, depreſſa & abiecta. Meritò igitur ſicut herba iſta efficietur, qui humano fauore afficietur. Vnde Diuus Auguſt. malè precatur recedenti à Deo, qui ſolus eſt requies. (Lib. 6. Cōfeſ. c. 16.) Væ animæ audaci, quæ ſperauit ſi à te receſſerit, ſe aliquid melius habituram. Verſa & reuerſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia. Et tu ſolus requies es Domine.

Itaque iſte infirmus non doleat, ſi hominem non habeat, cùm homo parum valeat. Audi dicentem: (Senec. in Herc. furēt. act. 2.) *Quemcumque miſerum videris, hominem ſcias.* Et Homerum: *Nihil eſt miſerius homine.* Si hominem haberes, vis ſcire quid haberes? Pete ab Ariſtotele. (Ariſtoteles.) Quidnam eſt homo? Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, inuidiæ & calamitatis

mitatis trutina; reliquum verò pituita & bilis. Pete & à Plauto. *Pernicies hominum quæ maxima? Solus homo alter.* Quid tibi igitur cum altero homine, qui ſæpe impedit aditum ad Deum? Plaut. in Aſin.

Hominem non habeo, &c. Interrogatus fuit à Chriſto, *Vis ſanus fieri?* Non reſpondit, *volo*, ſed dixit ſe non habere hominem: tandem acceſſit ad eum Deus homo, de quo,

Ille poteſt, tantùm quò velit ipſe velis.

Non debebat iſte infirmus optare curari à ſua infirmitate, niſi volente Deo: non enim debent viri Chriſtiani optare liberari ab afflictionibus, donec ipſe velit; aut ſaltem donec conſtet Deum ita velle. Tres illi adoleſcentes apud Danielem in ardentem fornacem miſſi, & ab Dan. 3. igne blanditer accepti, conſumptis vinculis, inter medias flammas illæſi deambulabant. Liberi ſunt in fornace, ibíque Deum laudantes degunt, nec egredi tentant, donec egrediendi præceptum accipiant. Tunc accedens Nabuchodonoſor, ait: *Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſerui Dei excelſi, egredimini, & venite; ſtatimque egreſſi ſunt.* Dices, fortè ante iuſſionem Regis non poterant egredi; eſto, hoc ſaltem habes, quòd illius ſolùm iuſſu ſunt egreſſi, cuius mandato fuerant proiecti.

Diuus Paulus in carcere agens, vinculis præpeditus media nocte ſenſit vincula confringi, Act. 16 portaſque carceris diuina virtute aperiri. Quid tunc? Non feſtinauit egredi; imò ibi quietus perſeuerauit, donec carcerarius accedens, *& tremefactus procidit Paulo & Silæ, & producens eos foras, ait*, &c. Hæc ponderans Diuus Chryſoſto-

Homil. 8. in Epiſt. ad Eph. mus ſic ſcribit. Quemadmodum carcerem Paulus non egrediebatur, licèt potuiſſet, donec qui illum coniecerat, ipſum euocaret & educeret: ita, neque hi tres pueri de camino egreſſi ſunt, donec qui iniecerat, egredi quoque iuſſiſſet. Quid hic docemur? Ne videlicet in afflictionibus liberari anxiè feſtinemus. Non feſtines tuam liberationem ab infirmitatibus & à calamitatibus, ſed in omnibus longanimis expectes finem à Deo præſcriptum; vti fecit iſte paralyticus, qui triginta & octo annos habens in infirmitate ſua viſus eſt à Chriſto, à quo tandem eſt liberatus. Nondum venerat tempus ſuæ curationis: ab eo debuit curari, qui voluit illum tandiu infirmari.

Tertiò, vt quis ſanitatem animæ comparet, neceſſe eſt vt iuſſis Chriſti obtemperet. Hoc præſtitit iſte paralyticus, cui dixit Chriſtus: *Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Quorſum? Nimirum vt oſtenderet perfectam ſanitatem, adeptúmque robur. Tu quoque ſi ſanus es, ſanitatem præ te ferto: tolle lectum, id eſt, mandatorum Chriſti iugum. Iugum quidem eſt, ſed lectus etiam eſt. Iugum eſt, quia cohibet, & onerat; lectus eſt, quia quietis locus eſt. Audi Chriſtum dicentem: *Tollite iugum meum ſuper vos*, &c. *& inuenietis requiem animabus veſtris.* Quia tollitur, iugum eſt: quia in eo animæ requieſcunt, lectus eſt. Et non tantùm iugum mandatorum Dei lectus eſt, ſed ſuauis eſt. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* De hoc
Pſal. 40. lecto ſic Pſalmiſta: *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Vertendo lectum, aut culcitram,

tram, mollior efficitur, atque ita infirmus molliùs cubat,& quietè dormit. Id in iugo ſuo præſtat Deus; verſat hunc lectum, mollem efficit ac ſuauem, vt & vita & mors ſuauis ſit. Qui itaque Chriſti iugum tollit, lectum tollit, in quo, tum in vita, tum in morte, iucundè conquieſcat.

Porrò, obſerua quòd reſtituta ſanitate huic paralytico dicitur, *Tolle grabatum tuum.* Quaſi dicat: Cui confero beneficium,impono iugum, quod præcipio tollatur, ipſum gratiarum & bonorum operum actione volo perſoluatur. Vnde Bernardus. Onerat nos Deus, cùm exonerat; onerat beneficiò, cùm exonerat peccato. Si ab aliquo morbo curatis, ſi à peccato abſolueris, tibi tacitè dicitur, *Tolle grabatum tuum*, id eſt, *Tolle iugum meum.* Noli eſſe ingratus; eſto tanti beneficij memor perpetuus. In Pſal.90.

Verùm, ſi lectum ſuum, id eſt, Dei iugum quis humeris imponat, protinus impedimenta occurrent. Non deerunt, qui vt deponas, ſuadeant, ſicut nonnulli ægrè ferebant, quòd iſte ferret grabatum ſuum; dicebant enim, *Non licet tibi tollere grabatum.* Iacente illo in ſuo grabato, nemo murmurabat; tollenti grabatum dicitur, *Non licet tibi*, &c. Idem nobis contingit; ſi ſecundùm mundum viuamus, nullus obmurmurat: ſi verò pietati ſtudeamus, & iugum Domini feramus, multi detrectant. At quantumcumque canes oblatrent, noli iugum Domini abiicere: nam qui ſanum te fecit, id eſt, qui te hominem & Chriſtianum fecit, ille dixit, *Tollite iugum meum ſuper vos.* Audi iuben-

tem, & non latrantem. Audi promittentem, *Et ego reficiam vos.* Illum igitur ſequaris, vt illo fruaris.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Matth. 17.

VNvs & idem Chriſtus pro noſtra vtilitate multus, vt ita dicam, fit, id eſt, varias induit formas, & figuras, vt nos reformet & figuret. Hoc me docuit D. Cyrillus Hieroſolymitanus: Vnicuique, inquiens, varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea. Qui opus habent vt ingrediantur, his conſtituitur oſtium: & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, ſummúſque Sacerdos. Rurſus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipſis mactetur. Et omnibus fit omnia, ipſe idem natura permanens, qui eſt. Tandem ſeruili forma diſſimulata, filij Dei imaginem ſplendentem externis corporis lineamentis ante diſcipulos in Thabor ſubit, vt transfiguratus ipſe nos homines in filios Dei formet & transfiguret. Hoc ſe ſperare ſcribit

Catech. 10.

ſcribit Apoſtolus, *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum*, ſiue, vt Ambroſio placet, iuxta lectionem Græcam (*transfiguratum*) *corpori claritatis ſuæ.* Ad Philip. 3.

Chriſtus enim transfigurabit, id eſt, in aliam figuram, non eſſentialem, ſed accidentalem commutabit, vt ſcilicet ex corruptibili faciat corpus incorruptibile, ex paſſibili impaſſibile, ex terreſti cœleſte. Quaſi dicat: Corpus hoc noſtrum, quod æquè ac corpus Chriſti hic atteritur, friget, æſtuat, infirmatur, verberatur, flagellatur, laniatur; fiet per has paſſiones in reſurrectione glorioſum, & ſimile corpori Chriſti glorioſo, quod admirans Chryſoſtomus ſic exclamat. Illine, qui ad dexteram Patris ſedet, conforme fiet hoc corpus? illi, qui adoratur ab Angelis? illi, cui aſtant incorporales illæ virtutes? illi, qui eſt ſuper omnem principatum, poteſtatem, & virtutem, illi conforme fiet? Si ergo totus orbis lacrymis ſumptis eos defleret, qui ab iſta ſpe deciderunt, num dignè collacrymaretur, quòd cùm promiſſio nobis ſit facta, corpus noſtrum futurum ita glorioſo Chriſti corpori conforme, illi cum dæmonibus abeunt? Væ illis, qui malè viuendo futuri ſunt dæmonibus ſimiles, qui potuerant habere corpus conforme corpori Chriſti. Quale autem, ſi piè viuamus in hoc ſæculo, futurum ſit corpus noſtrum in reſurrectione, oſtendit Chriſtus modò in transfiguratione. Ideo *aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum & Ioannem.* Cur Chriſtus omnes diſcipulos non aſſumpſerit, quærit Damaſce-

D. Chryſoſt. in hunc locum.

Serm. de transfig.

nus; videbatur enim rationi conſentaneum, vt omnes qui futuri erant ſocij paſſionum, eſſent etiam participes conſolationum. Reſpondet ille Doctor, Chriſtum propter vnum Iudam cæteris dimiſſis tres tantùm aſſumpſiſſe: non enim debuit illam intueri gloriam, qui pro illa nullam paſſurus erat ignominiam. Præterea voluit Dominus vtilitati & honori illius conſulere: vtilitati, quia maximo fuiſſet ei tormento, ſi illam vidiſſet gloriam qua frui non ſperabat: honori, quia fuiſſet ei dedecori, ſi illo ſolo relicto, alij aſſumpti fuiſſent.

Hinc diſcamus malorum vitare conſortia. Propter eumdem parum abfuit, quin iidem Apoſtoli in mari naufragium fecerint, vt narrat Matth.8. Matthæus. Quòd illius periculi Iudas cauſa fuerit, Ambr. teſtatur Ambroſius his verbis. Hæc eſt cauſa periculi, erat ibi Simon Petrus, ſed erat pariter & proditor Iudas: quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen perfidia eam conturbabat. Tranquillitas eſt vbi Petrus nauigat, tempeſtas vbi Iudas adiungitur. Licèt eſſet Petrus firmus ſuis meritis, tamen perturbatur criminibus alienis: vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur. Ille itaque potuit reliquos ſocios tantis priuare comitiis, qui omnes expoſuerat periculis. Vnde cócludit idem Doctor. Fugiamus proditorem, ne per vnum omnes fluctuemus. Propter furtum vnius Achan dictum Ioſue 7. eſt, *Peccauit Iſraël*; vnus peccauerat, & omnes cenſentur peccaſſe.

Transfiguratus eſt ante eos. Quandiu durauerit hæc gloria non conſtat: parum tamen duraſſe

manu

manifeſtum eſt. Vnde exclamat mellifluus Bernard. Dulce commercium, ſed breue momentum. Et de hac gloria ſic Auguſt. Nihil tam iucundum, niſi eſſet tam modicum. Diuina prouidentia fit, vt omnia ſint modica & momentanea, quæ dantur in hac vita, etiam gaudia cœleſtia, quæ in terris dantur. De quibus quoque Hugo Victorinus. Habent amatores ſpiritus corruptione corporis diſtenti, crebram de Dei viſione lætitiam, ſed nullam copiam, dum nec plena eſſe ſinitur, nec moroſa. Hoc fuit obumbratum in illa nube lucida, quæ obumbrauit eos. Quid enim nube fugacius? quid leuius? citò venit, citò perit; hæc nubes abſtulit à diſcipulis videndi voluptatem, ac ibi manendi voluntatem. Sicut nubes quæ formatur ex modica re, ſolares impedit radios: ita voluptas ex rebus caducis, cœleſti priuat gloria. Si vis eſſe beatus, eſto immaculatus, ait Auguſtinus.

Serm. 86. in Cant.

In Manual.

Lib. de gratia cat. cap. 2.

In Pſalm. 118.

Transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol. Expende (*ante eos.*) Quaſi dicat: Nunc Chriſtus transfiguratur ante iſtos; aliàs transfigurabitur ante alios. Ante quos? ante capientes illum in horto. Huiuſmodi excogitatio & obſeruatio eſt Origenis, qui ait tantam fuiſſe Chriſti lætitiam, accedentibus miniſtris Iudæorum ad ipſum capiendum, vt quodammodo præ gaudio quo afficiebatur eius anima, transfiguraretur. Vnde illi milites, ait ille Doctor, non cognouerunt eum propter transfigurationem. Ita vt opus fuerit ad illum indicandum oſculo Iudæ. Et ſicut transfiguratione in monte Thabor, *ceciderunt diſcipuli in faciem ſuam*: ita iſti

Hom. 35. in Matth.

milites transfiguratione in horto abierunt retrorſum.

In horto contendebant moriendi gaudium & deſiderium; propter gaudium ſplendeſcebat eius facies, quæ milites terrebat: deſiderium autem moriendi occultabat illam gloriam in faciem redundantem, vt ſine impedimento moreretur. Itaque gaudio moriendi quodammodo transfigurabatur eius facies; & deſiderio etiam moriendi occultabatur gloria in eadem facie: verùm non tam occultabatur, quin vel tantillùm manifeſtaretur. Quia, inquit D. Paſchaſius, erat in facie Ieſu nonnunquam quædam diuinitatis eius conſperſio. Ex qua quidem conſperſione volunt aliqui Iudam ipſum oſculando agnouiſſe, atque inde dixiſſe; *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Quia ipſum non attentè aſpexerat, ideo non bene agnoſcebat. Si enim Iudas priuſquàm Chriſtum traderet, bene aſpexiſſet, illum cognouiſſet; ſi cognouiſſet, non tradidiſſet.

In Matth. 26.

Notat Tertullianus, Pilatum animaduertiſſe in Chriſti facie tantum ſplendorem, ac tam miram pulchritudinem, vt tanquam munus regium miſerit ad Herodem: Et vinctum eum ducunt xenium Regi. Eſt autem xenium munus hoſpitibus, vel amicis qui inuiſuntur, dari ſolitum, vulgò *eſtraine.* Quod fortè cauſa fuit reconciliationis & pacis inter ipſos.

Non eſt prætereundum, quod prætereundo factum eſt Chriſto in Cruce pendente; aliqui præteribant, & prætereuntes blaſphemabant. Audi Euangeliſtã: *Prætereuntes autem blaſphemabãt*

Matth. 27.

mouentes

mouentes capita ſua. Si Chriſti faciē reſpexiſſent, non deſpexiſſent, nec blaſphemaſſent; ſed non reſpexerūt, quia tranſierunt. Hoc obſeruauit D. Ambroſ. Pulchrè autem ait Euangeliſta, quia In Pſal. 61. tranſeuntes mouebant capita ſua, tranſeuntes, non ſtantes. Nam ſi ſtetiſſent, & attentè illum conſideraſſent, vidiſſent ſacram illam faciem, inter tot opprobria coruſcantem & radiantem; atque inde eius diuinitatem agnouiſſent. Sic illum agnouerunt *mulieres quæ à longè ſtabant.* Sic agnouit, qui exclamauit, *Verè filius Dei erat iſte.* Chriſti itaque facies reſplenduit in Thabor, & in Caluario: in Thabor, quando transfiguratus eſt ante eos: in Caluario, quando paſſus eſt pro eis. Et ſicut in paſſione aliquo modo Chriſtus transfiguratus eſt: ita in transfiguratione de ſua paſſione locutus eſt. Nam

Apparuerunt Moyſes & Elias loquentes cum Ieſu. De quo loquebantur? Reſpondet Lucas: *Dicebant* Luc. 9. *exceſſum eius, quem completurus erat in Hieruſalem.* Tunc Matthæus Petrum reſpondiſſe ſcribit; *Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, &c. Cui reſpondit Petrus, cùm non legamus fuiſſe interrogatum? omnis enim reſponſio præſupponit interrogationem. Ad hoc vt reſpondeamus, notandum eſt, vt dicimus, Moyſem & Eliam cum Chriſto fuiſſe locutos de exceſſu, id eſt, de morte eius. Eſt autem veriſimile, Chriſtum his duobus, imò & tribus diſcipulis manifeſtaſſe ea omnia, quæ pro redemptione generis humani paſſurus erat, eiſque dixiſſe: Profuſurus meum ſanguinem pro genere humano, ad villam Gethſemani me recipiam,

ibique

ibíque coram tribus his quos hic videtis Apoſtolis tædere incipiam,& poſtquam Patrem orauero, totus in terram vſque ſudabo cruore: admiſſo oſculo Iudæ, miniſtri Iudæorum manus in me iniicient, & me ligatum ducent ad quatuor Iudices,ſcilicet ad Annam,Caïpham, Pilatum & Herodem, apud quos illudendus ſum, percutiendus, flagellandus, ſpinis coronandus, ac tandem morte condemnandus, & in Caluario crucifigendus. Quid vobis videtur,ô Moyſes & Elia? Ipſi verò reſpondebant,*& dicebant exceſſum*,ac ſi dicerent: Domine exceſſiſti, & adhuc vis excedere.

Exceſſiſti,quando de cœlo deſcendiſti:exceſſiſti,dum natus in ſtabulo, in præſepio reclinatus fuiſti: exceſſiſti, dum in Ægyptum fugiſti: exceſſiſti,dũ parentibus te ſubdidiſti: exceſſiſti, dum teipſum humiliaſti: exceſſiſti,quia miniſtrare, non miniſtrari veniſti: exceſſiſti, quia nos nimiùm dilexiſti: exceſſiſti, dum aquam in vinum conuertiſti: exceſſiſti, dum ſurdos audire, & mutos loqui feciſti, cæcos illuminaſti, & mortuos ſuſcitaſti, & alia miracula patraſti: exceſſiſti, dum peccatoribus peperciſti: exceſſiſti, quando huc te contuliſti: exceſſiſti, quando nos conuocaſti,& hos diſcipulos aſſumpſiſti: exceſſiſti, dum hac vice ſolummodò te transfiguraſti: exceſſiſti, dum hanc gloriam ne in corpus redundaret retinuiſti. Exclamat igitur pius ille Doctor. Exceſſiſti Domine, exceſſiſti omnes iuſtitiæ metas, & dum nimiùm videri vis iuſtus, plus iuſto factus es iuſtus: quæ enim iuſtitia exigit,vt Deus moriatur pro homine,iuſtus pro iniuſtis,

Thom. à Villa noua Serm de Natiuit.

iuſtis,omnipotens pro vermiculo?&c.

Et adhuc vis excedere? Excedes, quando diſcipulorum lauabis pedes: excedes, quando in cibum corpus tuum trades: excedes, quando Iudas ad te oſculandum accedet: excedes,quando Petrus negando à te recedet: excedes,quando te Pilatus cædet: excedes, quando Crucem aſcendes: excedes, quando ex hac vita diſcedes:excedes,quando ad inferos deſcendes:excedes,quando in cœlum aſcendes.

Deinde interrogatis duobus iſtis, eſt etiam veriſimile, Chriſtum Dominum ad iſtos tres diſcipulos ſe conuertiſſe, eíſque ſimilia propoſuiſſe,ac ſimili modo locutum fuiſſe,& Petrum, ſicut narrat Matthæus, reſpondiſſe, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Suam opinionem attulerant Moyſes & Elias, dixerántque paſſionem Chriſti verè eſſe exceſſum.Petrus verò non attendens ad illum, quem de paſſione Dominus miſcebat ſermonem, ſolùm illud gloriæ ſpectaculum adſtupebat, malebátque Chriſtum in Thabor cernere transfiguratum, quàm in Caluario crucifixum; idcirco *reſpondens ait*: *Domine,bonum eſt nos hic eſſe.*

Dic Petre,quomodo bonum erat ibi eſſe, vbi cadebas?Notat enim Euangeliſta, quòd *iſti diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam.* In quo apparet, quòd hic non poteſt quis paratam à Deo gloriam ſuſtentare.. Excedit magnitudo præmij vires humanas. Hoc agnouit D.Gregorius, dum ſic ſcribebat. Videbat Petrus, & quia videndo cadebat, ſignificat, quòd ad id non poterat attingere, quod merebatur videre. Idcirco non erat

In lib.1. Reg.c.16.

erat bonum ibi eſſe, vbi tanta gloria non poteſt ſuſtineri, neque tanta quanta in cœlis poſſunt haberi. Nam ibi, ait Auguſt. erit gaudium infinitum, lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, vita ſine labore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo, vbi iuuentus nunquam ſeneſcit, vbi vita terminum neſcit, vbi decor nunquam palleſcit, vbi amor nunquam tepeſcit, vbi ſanitas nunquam marceſcit, vbi gaudium nunquam decreſcit, vbi dolor nunquam ſentitur, vbi gemitus nunquam auditur, vbi triſte nihil videtur, vbi lætitia ſemper habetur, vbi nullum malum timetur, quia ibi ſummum bonum poſſidetur.

Lib. Solil. cap. 35.

Bonum quidem eſt hic eſſe cum Chriſto, ſed melius alibi, ſcilicet in cœlo. Bonum eſt hic eſſe cum Chriſto ſplendente, ſed melius cum Chriſto patiente. Bonum, inquam, erat eſſe cum Chriſto in Thabor, ſed melius cum illo in Caluario, & optimum cum illo in cœlo. Bonum erat eſſe cum Chriſto; ſed non hic frui Chriſto. Hic enim non eſt locus perfectè fruendi Chriſto, vel Deum videndi ſicuti eſt.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Cur petit Petrus hic immorari, & non ad cœlum potiùs conuolare? Omiſſis aliis rationibus, dicerem ego, ideò fortè optaſſe in terra remanere, quia exiſtimabat ſe hic maiorem futurum quàm in cœlo. Nam ſecundùm Chryſoſtomum, Petrus in terra Angelus, in cœlo homo. Ratione enim Pótificatus, vel Chriſti vicariatus videbatur Petrus maiorem dignitatem poſſidere in terra, quàm nunc in cœlo: habebat hic plenariam poteſtatem: erat hic

In vno Serm. de S. Petro.

hic perſona publica, in cœlo verò tanquam Sanctus particularis; hic Angelus, in cœlo homo. Itaque optaſſet potiùs eſſe Angelus in terra, quam homo in cœlo.

Verùm, vt notant Marcus & Lucas, *neſciebat Petrus quid diceret.* Nam ſatius eſt in cœlo infimum locum tenere, quàm ſupremum in terra. Neſciebat, inquam, quid diceret, quia in terra debebat incarcerari, in cœlo autem coronari: in terra crucifigi, in cœlo crucifixo potiri: in terra lacrymari, in cœlo munerari: hic debebat ambulare ſuper aquas, quæ ſuper terram ſunt, at ſurſum regnare ſuper aquas, quæ ſuper cœlos ſunt: in terra erat Chriſtum negaturus, & in cœlo cum Chriſto regnaturus: in terra ducendus erat quò nolebat, in cœlum autem perducendus quod optabat: in terra ſemel debebat mori, in cœlo in æternum viuere: in terra ligare & ſoluere, in cœlo ſoluta & ligata cernere: in terra, ipſo teſte, argento & auro priuabatur, in cœlo merces magna ei reſeruabatur. Marc. 9. Luc. 9.

Neſciebat Petrus quid diceret. Multis de cauſis: quia iam illa volebat potiri gloria, quam nondum meruerat; illúdque poſſidere regnum, quod nondum emerat. Quære, inquit Auguſt. vis peruenire delicatus ad eam rem, ad quam non perducit, niſi labor? Et Æſchylus apud Clementem Alexandrinum appellat gloriam *filiam laboris.* Sed, nónne Petrus omnia quæ poſſidebat, iam propter Chriſtum reliquerat? Nónne ipſum ſecutus fuerat? *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, &c. Quid igitur illi amplius præſtandum erat? Audi: in æterna beatitudine datur Serm. 5. de verb. Domini. Lib. 4. Strom.

vita

vita ſine morte, gaudium ſine dolore, requies ſine labore, diuitiæ ſine paupertate: vt igitur quis huiuſmodi beatitudine fruatur, neceſſe eſt hic paupertate prematur, dolore afficiatur, ac labores & mortem patiatur. Petrus quidem omnia reliquerat, Chriſtum ſecutus fuerat; ſed nondum labores & dolores, carceres & mortem ſubierat. In illa autem beatitudine ſicut non datur vnum ſine alio, id eſt, non dantur diuitiæ ſine vita, ſine gaudio, ſine requie, & ſimilibus: ita in hac vita ad illa omnia comparanda non ſufficit fuiſſe pauperem, ſed adhuc neceſſe eſt, vt labores, ærumnas, dolores, perſecutiones, ac tandem mortem ſubeamus. Audite precor Chriſtum, quem D. Auguſt. inducit loquentem, illúmque interrogat. Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo pretio? Paupertate regnum: dolore gaudium: labore requies: morte vita.

In Pſal. 93.

Si itaque Deus nobis immittat paupertatem, dolorem, laborem, certè nobis dat vnde emamus illud regnum. Quis vnquam mercator dedit pecunias alicui, vt ſuas merces emat? hoc tamen præſtat Deus. Qui igitur non vult talia pati, recuſat pretium quo cœlorum venditur regnum. Quomodo quis poterit ſibi illud promittere regnum, qui nihil horum adhuc tribuerit? Quædam tribuerat Petrus, ſed quia nondum omnia, idcirco *neſciebat quid diceret.*

Neſcit quid dicat, qui in terra gloria & quiete vult perfrui. Non eſt hic beatitudinis locus. Terra ſtadium eſt in quo currimus, campus eſt in quo certamus, in cœlo curſus & certaminis præmia

præmia dantur. Non eodem loco Romani olim certabant & triumphabant: certabant in Gallia, Hiſpania, Aſia, Affrica; triumphabant Romæ. Alius erat locus belli, alius triumphi. Similiter Chriſtiani in terra belligerant, in cœlo triumphant. Audi Chryſoſtomum. Surſum poſita eſt palma. Vide quantum ſit ſpatium percurrendum, &c. infrà voluit Deus te certare, ſuprà verò vult te coronare: in cœlo accipies palmam, &c. Qui igitur vult triumphare vbi debet militare; & coronari vbi debet perpeti, neſcit quid dicat. Homil. 12. in Epiſt. ad Philip.

Neſciebat quid diceret. Quia non ſolida Chriſti gloria, ſed gloriæ guſtus animam Petri ſic adimplet, vt præ hoc præſenti guſtu immenſas cœleſtium glorias vel relinquat, vel non meminerit. Heu, quot ſunt hodie qui non guſtu rerum cœleſtium, ſicut Petrus, ſed terrenarum & pereuntium guſtu duntaxat delectantur & contenti ſunt? Quicquid eſt in hoc mundo, guſtatur tantùm, vel probatur, non implet, nec ſatiat. Vide quid dicat ille ruſticus apud Lucam, *Iuga boum emi quinque, & eo probare ea.* Luc. 14. Pulchrè Diuus Auguſt. expendit illud *(eo probare ea.)* Non dixit, vado paſcere ea, ſed probare, nec illa paſcebat, nec eis paſcebatur, ſed ea probabat. Quid eſt probare, niſi guſtare? Nihil enim eſt in cunctis huius mundi bonis & deliciis, niſi boni guſtus. Pudeat ergo te præ vnius boni, vel voluptatis guſtu, dapiferas cœlitum menſas relinquere.

Dices, multi ſatiantur bonis terrenis. Falleris: quomodo poterit quis ſatiari bonis tempo-

ralibus, cùm videas hic Chriſti gloriam non dari mortalibus ad ſatietatem? Illam tantùm Chriſtus Apoſtolis prębuit guſtandam,& arguitur Petrus quòd propter guſtum, vel ad illam guſtandam voluerit in illo monte manere, cùm potuerit illa in cœlo perpetuò ſatiari. Dei igitur dona dum in terra communicantur, ſolùm tibi conceduntur vt guſtes. Illis autem ſatiaberis in regno cœleſti, de quo ſic Cyprianus. Ibi non guſtabunt quàm ſuauis ſit Dominus; ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine. Infœlix qui guttulis his terrenorum bonorum captus, torrentem illum ſummæ voluptatis obliuiſcetur. Itaque non bene petit Petrus, dum diuinam gloriam hic ſibi darì procurat: non ea eſt magnitudo cœleſtium bonorum, quæ hic ſuſtineri poſſit, ideò meliùs reſeruatur in futurum.

Serm. de Aſcen.

Ingentium bonorum promiſſionem factam priſcis Patribus inde exaggerat Apoſtolus, quòd minimè hic conceſſa ſit illis, dum ait; *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes.* Commendat Paulus ſanctiſſimorum Patrum ſortes, quòd ex hac vita migrauerint, non accipientes hic repromiſſionem. Sed, nónne melius eſſet, ſi accepiſſent? Non, quia parua ſunt quæcumque hic accipi poſſunt. Vnde, quibus parantur, vel debentur magna & ingentia, non hic dantur: in futura ſæcula reſeruantur. Accipe hanc ſimilitudinem. Qui in humanis ſtadiis victor eſt, ſimul præmium accipit & fert ſecum, quando nimirum præmium, vel annuli circulo clauditur, vel aliquod vas eſt, aut aliquid ſimile

Hebr. 11.

Simile.

parui

parui ponderis. Quòd ſi accideret præmium eſſe ingens aliquod pondus auri, vel argenti, quod ab vno homine ferri non poſſit, niſi binis vel ternis boum iugis adhibitis, tunc non ſtatim ferretur, ſed abiret victor vacuus, vt poſt aliquod tempus domi præmium accipiat. Vides, vt magnitudo præmij neceſſariam dilationem inferat? Rectè ergo Paulus gratulatur his, qui hic non potuerunt recipere repromiſſiones, quando dilatio hæc præmij magnitudinem indicat infinitam.

Quærit D. Chryſoſtomus, cur hic quibuſdam obueniant ſimul victoriæ & coronæ, aliis verò non. Huius rei aſſignat rationem, en eius verba. Cur externis quidem ac prophanis athletis ſimul obueniunt & victoriæ & coronæ, pietatis autem athletis non ſimul & victoriæ & coronæ, ſed tantùm poſt temporis interuallum? Quòd maioribus eos ornare honoribus vellet, munus diſtulit: non enim vitæ præſentis natura magnitudinem honoris illius capit; caducum eſt præſens tempus ac breue, infinitum illud, immortale & æternum. Malè ergo nouit magnitudinem cœleſtium bonorum, qui illa modò in præſenti obtinere amat. Sed longè peiùs agit, qui præ illis cœleſtibus, de his quæ in terra haberi poſſunt procurat impleri paruitatibus. Quàm paruis poculis plenus Petrus dicebat, *Bonum eſt nos hic eſſe?* Parua ſunt quæ in hoc mundo poſſidere poſſumus: maiora nos manent in cœlo: idcirco non debemus optare hic immorari, cùm hic nō poſſimus beari. Cœlum locus eſt æternæ fœlicitatis, non terra, vbi omnia ſunt peritura. Orat. in S. Iulian.

Neſciebat Petrus quid diceret. Obſerua tres adfuiſſe hic diſcipulos, quorum vnus modò *neſciebat quid diceret.* Alij duo, ſcilicet Iacobus & Ioannes, aliquando neſcierunt quid peterent, illis Matth.20. enim dictum fuit; *Neſcitis quid petatis.* Domine, neſcientes aſſumis? Ideo tales accipit, vt diſcant, & nos ex eis diſcamus. Reuera neſciebat ille quid diceret, neque iſti quid peterent, quando ſibi ſolis dona diuina tribui poſtulabant: non enim vni ſoli, aut tantùm duobus, vel tribus, ſed multis conſueuit & vult Dominus benefacere.

Poſtulanti Samaritanæ aquam viuam, cámque Ioan 6. enixè exoranti, dixit Chriſtus: *Vade, voca virum tuum.* Abire iubetur fœmina in ciuitatem virum vocatura, & ad Chriſtum iuncta viro reuerſura. Chryſoſt. Cur ita? Reſpondet Chryſoſt. Ne ſola ſpiritualium horum donorum gratiam accipiat. Adeunte enim illa ciuitatem, & Chriſtum annunciante, venerunt multi ex ciuibus, qui & ipſi participes facti ſunt beneficiorum Dei. Cupit Deus multis, non vni tantùm, ſuam conferre gratiam. Hoc calluit Moyſes, dum Deum in gentem ſuam vehementer iratum ſic alloquebatur: *Aut dimitte illi hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Quaſi diceret, ſi omnes trucidandi ſunt, & ego cum illis trucider. Poterat Moyſes vni ſibi ſperare promiſſiones factas Iſraëlitis, ſed noluit ſibi ſoli Serm.12. in Cant. tanta bona tribui. Hoc expendit Bernard. Nec Moyſes vult ſolus introduci in gaudiũ Domini ſui. Poterat igitur Petrus in monte Thabor à Moyſe increpari; & fortè illum, vti Euangeliſta, tanquam neſcientem quid diceret, increpauit.

Abraham

Abraham de excidio Sodomitico commonefactus, ſtatim vniuerſam vrbem precibus contendit flammis eripere, & pro omnibus ciuibus exorare; ex notis ſolum ſuum habebat nepotem Loth: veruntamen pro illo ſolo noluit exorare, ſed pro omnibus. Communes, inquit Chryſoſt. pro omnibus fecit preces, volens cum aliis & hunc liberare. Pro omnibus itaque ille eſt exorandus, qui pro omnibus mortuus eſt, qui vult etiam omnes ſaluos fieri, dummodo ipſi velint. Neſciebat ergo Petrus quid diceret, quando ſibi & ſociis tantùm, & non omni populo hanc exoptabat gloriam. Chryſoſt.

Petrus igitur neſciebat quid diceret, quia viſa Dei majeſtate, commune bonum intra priuatum ſuum viſus eſt contuliſſe, & quo omnes debebant, ipſe ſolus frui curabat. Hinc meritò Rupertus inuehitur in Iudam, qui Chriſtum vendendo, totius mundi pretium ſibi vni vſurpabat. O magnifica ſupplantatoris peruerſitas, qui vniuerſalem noſtræ ſalutis hoſtiam faciens ſuam, ſic quaſi ſuum peculium poſſeſſorem mundi venalem propoſuit! Heu, quàm ſibi nocet, qui totum cupit vni ſibi! Vnde de iſtis duobus diſcipulis, aut de illorum matre ſic fatur Ambroſius. Meritò reprehenditur hæc mulier, quæ ſpeciali quodam priuilegio ab eo Domino poſtulauit ea quæ Sanctis iudicauit eſſe donanda, non duobus Apoſtolis, ſed omnibus diſcipulis. In Ioan. lib. 11. Lib. 5. de fide. c. 2.

Neſciebat quid diceret, quando clamauit, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Nam illic non eſt bonum eſſe, vbi quis non poteſt in æternum eſſe. Quæ-

runt nonnulli, cur Deus ſpecialiter vocetur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Hanc
Ad Hebr. 11. vnam rationem aſſignat Apoſt. *Fide Abraham demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus, &c. Ideo nõ confunditur Deus vocari Deus eorũ: parauit enim illis ciuitatem.* Illorum igitur ſpeciali iure vocatur Deus, qui nullum ſpeciale ius, ſiue nullam curant habere in hoc mundo habitationem. Ad cœlum tendat homo, cùm cœlo natus ſit homo; non quærat commorari in terra, cùm ſit illi migrandum è terra: fiat huius mundi contemptor, qui cœli futurus eſt habitator: viuat hic ſicut peregrinus, qui morti ſemper eſt vicinus. Ceſſet in nobis conſtruendi hic & acquirendi deſiderium, cùm cœleſte ſperemus patrimonium: terrena ſpernamus tabernacula, vt ſempiterna mereamur habitacula: terræ nullo modo inhæreamus, vt cœlũ perpetuò poſſideamus.
De Gen. ad lit. Quærit D. Aug. cur Deus in exordio mundi plantis non benedixerit, ſicut & animantibus. Reſpondet: quia per fimbrias & radices in lateribus terræ inhærent. Non quærit terræ adhærere, qui partem in cœlo cupit habere.

Notat Gregorius, quòd Cain, cùm fuerit primus cœlorum contemptor, primus etiam extitit ciuitatum ædificator. Non curabat de cœlis, qui conſtruebat in terris; quale autem illi fuerit
Lib. 6. Moral. c. 3. iudicium, indicat ille Doctor. Vt apertè monſtraretur, qui primus in terra fundamentum poſuit, à ſoliditate cœleſtis patriæ alienus fuit.

Neſciebat

Neſciebat igitur Petrus quid diceret, dum hic etiam cum Chriſto habitare & tabernacula ædificare quæreret. Quomodo arguendi ſunt qui optant ſemper hic non cum Chriſto, ſed cum voluptatibus, cum concubinis, cum nebulonibus viuere?

Faciamus hic tria tabernacula, &c. Petrus piſcator erat, fabricator non erat, conficere retia & reficere nouerat, ſed non conſtruere tabernacula. Audite Chriſtum Dominum apud Timotheum Antiochenum. Quid tibi in mentem venit Petre? quæ non didiciſti facere aggrederis. Retia didiciſti contexere, num etiam tabernacula ædificare? Tibíne parebo, an mundum ſaluabo? Hiccine maneam? Quis mundum redimet? Tuíne ſolius curam geris, an non totius mundi? Malè ſibi & omnibus Petrus conſulebat, dum ad fabrilia opera tranſilire cupiebat. Orat. de Cruce & transf.

Diuus quoque Ephrem inducit Dominum Petro, hac ſplendenti gloriola capto, reſpondentem. Si hic manſerimus, quæ dixi tibi, quomodo fient? Quem ligabis? Quem ſolues? Ceſſabunt omnia. Præterea, non ſunt hic aut in hoc mundo tabernacula conſtruenda, cùm tandem ſint deſtruenda: quia quod hodie conſtruimus, cras demolimur. Audi laborantem; *Deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo.* Vult deſtruere minora, & conſtruere maiora. Sed ſi abundet frumentum, quod ab iſtis maioribus capi non poſſit, deſtruenda erunt hæc maiora horrea, vt alia maiora conſtruantur, atque ita creſcente copia frumenti, creſcet conſtruendi labor. Hunc pungit Baſilius his verbis. At ſi hoc impleueris, nun- Orat. de transf. Luc. 12. D. Baſ.

quid deſtrues illud? Quid ſtultius, quam in infinitum laborare. Nihil miſerius, quam laborare, & laborando nihil proficere, & à Deo deficere. Certè Petrus quid diceret neſciebat, quia dum ſe offert ad conſtruenda tabernacula, à Chriſto deficiebat.

Veruntamen excuſandus videtur Petrus, qui etſi ignoranter, tamen animosè ſeſe offert labori, vt Chriſti lucrum faciat, eiúſque gloria potiatur; ait enim, *Faciamus hic tria tabernacula*, &c.
In cap. 9. Hoc meditatur D. Ambroſius in hunc locum: Ad exædificanda, inquiens, tabernacula tria, impiger operarius communis obſequij miniſterium pollicetur, & quamuis neſciret quid diceret; tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. O quàm ſtrenuè & generosè amabat, qui nulli parcit labori, vt Chriſtum acquirat! Non ſic impij & mundiales homines, qui vel minimum laborem ſumere negligunt, vt Chriſtum ſibi comparent.

Excuſari etiam poterat Petrus, qui adeò magiſtri ſocietate delectabatur, vt ab eo nullo modo diuelli voluiſſet, & quem, præter ipſum, nihil ſatiare poterat. Piſcantibus diſcipulis *ſtetit*
Ioan. 21. *Ieſus in littore maris*: illum vidit Ioannes, & ait, *Dominus eſt*. Petrus autem maximo ductus deſiderio eundi ad Dominum, & manendi cum eo, *cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare.* Maximam cęperant multitudinem piſcium, ſed his omnibus omiſſis de ſolo magiſtro curabat, ſolum magiſtrum optabat, quia nec piſcibus, nec cæteris rebus omnibus huiuſce-

huiuſce mundi contentus erat, ſi Domino ſuo carebat. Bonum igitur erat ei, dum ſui Domini præſentia frui licebat. Animæ piæ nulla re præterquàm Deo ſunt contentæ, & reuera non poteſt anima ſatiari niſi Deo. Audi Auguſt. Omnino me non ſatiaret Deus, niſi promitteret mihi ſeipſum Deum. Offert mundus pulchra, offert fortia, offert iucunda, ſed hæc omnia non placent animæ deuotæ. Non placebant eidem Auguſt. qui ideo ſic clamabat. Arrideat mundus multis rebus pulchris, fortibus, variis; pulchrior eſt ille qui fecit, fortior, ſuauior, &c. Væ amanti pulchra, & negligenti facientem pulchra, & cui bonum eſt ad tempus eſſe cum creaturis, & non quærit viuere in æternum cum creatore. Aug.

Idem Auguſt. Petrum excuſat apud Chriſtum, dum eum ſic alloquitur. Tua dulcedo, Domine, Stephano lapides torrentis dulcorauit; Beato Laurentio craticulam dulcem fecit; pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Hanc verò vt guſtauit Petrus omnium inferiorum oblitus, clamauit quaſi ebrius dicens; *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, &c.* Hic moriamur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus: ſufficit nobis videre te: ſufficit tanta dulcedine ſatiari. Vnam ſtillam dulcedinis ille guſtauit, & omnem aliam faſtidiuit dulcedinem. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis tuæ diuinitatis guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te?. In Solil. cap. 22.

Dices, cur tam paucis Chriſtus manifeſtauerit gloriam ſuam. Multis de cauſis, ſed cæteris

omiſſis, hæc vna ſufficiat, vt ſcilicet innueret, quòd licèt eſſent pauci boni; imò verò, quamuis vnus duntaxat daretur, qui vellet eum ſequi ad ardua, eiúſque ſeruare mandata, non minùs pro illo vno, quàm pro omnibus ſudaret, pateretur, mortem ſubiret, ac tandem illum ad æternum regnum promoueret. Valdè perpendit D. Chryſoſt. ſeminis diuini ruinam in parabola de ſeminante illo, cuius aliud cecidit inter ſpinas, aliud in petroſa, aliud ſecus viam, aliud verò in terram bonam: ſic enim ſcribit. Tres partes perierunt, & vna ſeruata eſt, nec ab agricultura deſtitit; ſed quia vna conſeruata eſt, agrum colere non ceſſauit. Tanti æſtimat Deus viros iuſtos, vt paucorum, imò vnius gratia immenſos labores ſubeat, ſuóſque prętioſiſſimos theſauros patefaciat.

Homil. de terræmotu.

FERIA

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM ſecundam.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ioan. 8.

NIHIL miſerius poteſt homini accidere, quàm dum cogit Deum à ſe recedere. Hoc agnouit qui ita orauit: *Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus.* Adeò eſt exitioſum derelinqui à Deo, vt Sanctus Dauid non vereatur in iſtis verbis quater repetere exceptiuam particulam (*ne, ne, ne, ne.*) Qui enim ardenter aliquid cupiunt, nullum optandi, deprecandíque finem faciunt, ſoléntque cauere quidquid poteſt nocere & obſtare. Replicatio igitur illius particulæ, magnum arguit deſiderium quo tenebatur Dauid Deum ſecum habendi, quod quidem deſiderium magis innuitur illis verbis, *ne declines in ira à ſeruo tuo.* O diuinum timorem, quo Deum etiam iratum à ſe declinare metuebat! Vnde ad ipſum Dauidem ſic D. Auguſt. Quid

Pſal. 16.

Aug.

Quid times, inquit, ne declinet in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit: ſi incurras in illum iratum, vindicabit in te. Opta ergo potiùs vt declinet à te in ira, non accedat: quid nouit enim? quid deſiderat? Ira eius non eſt, niſi auerſio eius. Satius illi erat Deum poſſidere iratum, quàm ſimpliciter non poſſidere; ideo magis optabat Deum punientem, quàm abſentem.

Equidem dum adeſt Deus, non debet eſſe timori etiam diuina ira: vnum ſolum formidandum & deplorandum malum, ne Deus abſit, ne ab eius præſentia excidamus. Hinc dæmones apud Lucam de tormentis ſilent, & de abſentia Ieſu miſerè queruntur. *Quid nobis, & tibi Ieſu?* Notanter dicunt, *Quid nobis*, deinde addunt, *& tibi*, quaſi ſuum neceſſarium exilium, vaſtiſſimámque intercapedinem à Ieſu, lacrymentur. Quòd acutè obſeruat Tertullianus, dum ait. Non dixit dæmon, *Quid tibi, & nobis?* Sed, *quid nobis, & tibi?* ſe explorans, & ſorti ſuæ exprobrans. Nimirum ſorti ſuæ exprobrat, cuius erat nullum cum Ieſu habere conſortium, ab illóque longiſſimè abeſſe. Ipſi dæmones agnoſcunt, quantum detrimentum eis obueniat, quòd Ieſus ab eis recedat. Homini magis cauendum eſt, ne audiat:

Luc. 4.

Lib. 4. in Marc.

Ego vado, &c. Omnium periculoſiſſima eſt hæc comminatio, & maximè à nobis pertimeſcenda; ſi enim Deus recedat à nobis, omne bonum elongabitur à nobis. *Væ eis, cùm receſſero ab eis.* Quid contingit corpori dum ab eo recedit anima? corrumpitur, fœtet, non audit, non loquitur,

Oſee 9.

loquitur, non videt, non ſentit, vermes illud corrodunt, & homines ab eo recedunt: idem contingit animæ, ſi ab ea Deus recedat. Nam ſecundùm Auguſt. Sicut corporis vita anima eſt, ita vita animæ Deus eſt. Si Deus animã propter peccata deſerat, ipſa eſt quaſi mortua, illam contemnunt Angeli, dæmones concupiſcunt: è contrà ſi homo Deum habeat, cuncta bona poſſidet, nihil pertimeſcit. *Et ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 1.

Volens Deus ſecurum reddere Ieremiam, ſic eum alloquitur, *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, ſuper omnem terram, Regibus Iuda*, &c. *Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum.* Vides hominem adeò fortem, vt munitæ ciuitati, columnæ ferreæ, & muro æneo aſſimiletur. Huius fortitudinis cauſam quærens Hieronymus, ſic inquirit. Quæ eſt tantæ fortitudinis cauſa, vt nec Reges, nec Principes, aduerſus vnum præualeant? reſpondet. Quia ego tecum ſum: Domino auxiliante, iuſtus omnia ſuperabit. Diuus Petrus dixerat aliquando Chriſto, *Recede à me Domine:* veruntamen aduertens Chriſti receſſum plurimùm obeſſe, ſic poſtea ei proteſtabatur; *Paratus ſum tecum in carcerem, & in mortem ire.* Quaſi dicat: Satius mihi erit eſſe tecum in carcere, quàm ſine te extra carcerêm. De Socrate ſic olim Seneca. Non poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Ita non carceraretur, nec moreretur, qui cum Chriſto moraretur. Ierem. 1. Hieron. in hunc locum. Luc. 5. Luc. 22. Lib. de conſ. ad Heluſ.

Ego vado. Væ palmiti, ſi deſeratur à vite.

Tract. 81. in Ioan. Nam ſecundum Auguſt. vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Chriſtus viti ſe comparat, nos verò palmitibus: *Ego ſum vitis, vos palmites*, &c. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Vide quid palmiti à vite ſeparato contingat, foras mittitur, areſcit, colligitur, non ad opus aliquod, ſed vt in ignem coniiciatur. Idem planè contingit homini, à quo Deus vadit & diſcedit propter peccata, quæ ſunt veluti falces putatoriæ, quibus palmites

Iſai. 59. reſecantur, iuxta illud; *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Septuaginta ſic vertunt, *Propter peccata veſtra auertit faciem ſuam à vobis, vt non miſereatur.* Cuius rei cauſam aſſignat Diuus Hieronymus: Oſtendit, inquiens, quòd fœtorem peccatorum & iniquitatum eorum ferre non poteſt. Sicut enim nares auertimus à putido & fœtente cadauere; ita Deus auertit ſe ab homine vitiis inquinato: ſicut propter fœtorem recidimus ab aliquo: ita Chriſtus propter peccata Iudæorum, ait.

Ego vado. Quomodo Dominus ſe gerat erga peccatores, pulchrè oſtendit Propheta Amos

Amos 9. his verbis, *Dominus Deus exercituum aſcendit ſicut amnis, & defluet ſicut fluuius Ægypti.* Nilus, de quo hîc Propheta, ſeptem oſtiis exonerat ſe in mare Ægyptium; veruntamen obſtante interdum & præpediēte eius fluxum ad mare maxima arenæ copia ad oſtia eius congregata, cogitur aſcendere, atque ita per totam Ægyptum ſpatiari, terrámque aquis ſuis irrigare, fœcundiſſimóque limo

limo obducere. Ita Dominus vult nobis libenter ſuam conferre gratiam : ſed nimia vitiorum multitudine præpediente, cogitur recedere, & peccatorem deſerere. Audi Chryſoſtomum. Cupit Deus effundere ſuam miſericordiam; ſed obſtant peccata noſtra: dolet, quia quaſi violenter cogitur perdere aliquem; quia omnes cupit ſaluare. Tanta erant horum Iudæorum peccata, vt dixerit Dominus, *Ego vado*, ſup. à vobis, deſerens vos : væ vobis ſi recedat à vobis. Orat. de Beato Philogo. Oſee 9.

Nihil enim peius poteſt accidere homini, à quo Deus recedit; ſicut nihil melius, cum quo Deus eſt. Interrogauit Iſaac quoſdam Principes Gentiles, *Quid veniſtis ad me?* At illi reſponderunt; *Vidimus tecum eſſe Dominum.* Vides etiam peſſimos homines libenter illorum quærere ſocietatem, cum quibus eſt Dominus. Ioſephum in ciſternam proiectum Deus non dereliquit; nam *deſcendit cum illo in foueam.* Hæc autem fouea, vt tradit Rabbi Salomon, erat plena ſerpentibus & ſcorpionibus, qui illi minimè nocuerunt. Quare? *quia Dominus erat cum illo.* Idem Ioſeph coniicitur in carcerem, qui, nec ipſa vincula illum læſerunt. Quare? quia Dominus *in vinculis non dereliquit eum.* Proiicitur Daniel in lacum leonum, qui licèt fameſcentes, eum neque attingere, neque aggredi auſi ſunt. Quare? *quia Dominus erat cum eo.* Qui autem Danielem accuſauerant, miſſi ſunt in lacum leonum, *& non peruenerunt vſque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerent.* Quare? quia Dominus non erat cum eis. Gen. 26. Sap. 10. Dan. 6.

Exi

Dan.3. Exiſtentibus tribus pueris in fornace, quorum vnus erat ipſe Daniel, non nocuit ignis. Quare? quia cum eis erat *ſpecies quarti ſimilis*
Lib. 4. cont. Marc. *filio Dei.* Hunc ſimilem filio Dei, affirmat Tertullianus fuiſſe ſecundam Trinitatis perſonam humana figura apparentem. Huius ſententiæ eſt
In conc. ad catechu. etiam Diuus Auguſt. Vides igitur non ſolùm immaniſſimos homines, ſed nec ipſa animalia tam venenata quàm ferociſſima, imò nec ipſas creaturas inſenſibiles audere hominibus nocere, imò eos venerari cum quibus Dominus dignatur immorari. Nulla ſunt mala pertimeſcenda illi, cum quo Dominus eſt; illum
Iſai.43. enim facit ſecurum, *Noli timere, quia ego tecum ſum.* Si Dominus tecum, omnia tibi erunt proſpera; ſi verò recedat à te, omnia erunt aduerſa.
Tract. de orat. diu. Habenti Deum, inquit Cyprianus, nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit. Numquam Deus recedit ab homine, quin priùs homo receſſerit à Deo. Tunc ait, *Ego vado*, ſup. à recedente à me.

Ego vado. Si Chriſtus vadat & recedat à te, ſcit quò iturus eſt; ibit enim ad Patrem, à quo nunquam diſceſſit: at ſi homo ab eo recedat, quonam iturus ſit neſcit: aut ſaltem ſi aliquò fugiat, ad fugientes ſe confugit. Hoc videas
Ioa 1. in Iona. Fugiebat iſte Propheta *à facie Domini.* Sed quo fugiebat? ad mare: *ideo deſcedit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharſis.* Vide igitur eum euntem ad euntem; ibat enim nauis in Tharſis, & fugientem ad fugientem, nempe ad
Pſal.113. mare; ad quod Dauid, *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti?* Fugiunt creaturæ à fugiente à creatore; verùm non poteſt homo fugere à Deo, iuxta illud,

illud, *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Si itaque fugiat à Deo, fugiet ad Deum; à Deo, inquam, placato ad Deum iratum. Hoc agnouit Diuus Auguſtinus, cùm Deum ſic alloquitur. Te non amittit, niſi qui dimittit, & qui dimittit, quomodo fugit niſi à te placato ad te iratum? Deus enim non deſerit, niſi eos à quibus deſeritur: qui illum non habuerit placatum, non euadet iratum. Vnde ſic conſulit idem Doctor. Non eſt ergo quò fugiatur ab illo, niſi ad illum; ſi vis euadere iratum, fuge ad placatum. Lib.4. Cõf. cap.9. In Pſal.70.

Tamen numquam Deus recedit ab homine, ſi homo non recedat ab eo; & vt oſtendat ſe non libenter recedere ab homine, conqueritur quòd homo recedat ab eo. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me?* Ac ſi dicat: Sola elongandi & recedendi cauſa, eſt iniquitas; cùm autem in me nulla ſit, nihil erit in me, quod faciat vos elongare à me. Quid ſibi acquirant, qui ſe à Deo elongant, innuit idem Propheta; *Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur.* Mundani, ait Hugo, dicuntur in terra ſcribi, quando terrenæ fœlicitati, diuitiis, deliciis, honoribus quaſi literis, inſcribuntur, quæ indicant, quales ſint, ſcilicet auari, ſuperbi, luxurioſi. Vel dicimus, recedentes à Deo ſcribi in terra, dum perit eorum memoria aut fama. Nam quæ in puluere ſcribuntur, facilè vento, aut pede delentur. Seria enim, quæ magni facimus, quæque memoriæ & poſteritati mandare volumus, ſcripturis, aut lapidi, aut æri conſignamus. Qui recedit à Deo, & à quo Deus Ierem.2. Ierem.17.

receſſit, fit tanquam nihil; qui Deum dereliquit, iuſtè ab eo derelinquitur. Vnde ſic comminatur; *Audite me Aſa, & omnis domus Iuda & Benjamin: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo, ſi quæſieritis eum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.*

2. Paral. 15.

Ego vado. Is erat ſcopus Iudæorum, vt Chriſti nomen ab hominum memoria eraderent; verùm non obfuit ei illorum malitia. Vnde alibi idem Chriſtus ſic de ſeipſo: *Filius*, ait, *hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo.* Nulla ſanè vis, nulla oppoſitio, nulla adeò eſt contraria poteſtas, quæ viro iuſto non ſeruiat, vt iuxta præſcripti à Deo finis viam vadat. Ioſephum fratres vendiderunt, Iſmaëlitarum ſeruum conſtituerunt, & tamen Dei conſilium non euaſerunt. Quid Regi magis contrarium, quàm ſerui conditio? attamen hac ſeruitute peruenit ad regnum, & regnauit in Ægypto, qui ſeruierat in Ægypto, & fuit ſecundus à Rege, qui vltimus à ſuis habebatur fratribus; venditione fratrum factus eſt frumenti venditor, & vt verbis Gregorianis vtar: Quem ideo vendiderunt, ne adorarent, adorauerunt, quia vendiderunt. Vnde meritò ſecundùm Philonem, dedit Ioſeph fratribus ſuis munera, ad ſoluendùm venditionis beneficium. Ioſeph dat fratribus munera, quaſi vellet benemeritis ſoluere beneficium perſecutionis, eiectionis in ciſternam, & venditionis.

Marc. 14. Matth. 26. Homil. 21. in Ezech. Lib. de Ioſeph.

Quidquid in contrarium moliaris, per eas ipſas contrarietates vir iuſtus vadit ſecundùm quod ſcriptum, vel decretum eſt de eo. Mittebatur Ionas in Niniuem; ipſe verò ſe naui dedit,

dit, inſuper furenti mari committitur, rurſus à ceto voratur, quo penitus à via imperata videbatur impeditus. Verùm ipſamet impedimenta illum, licèt ignorantem, deducunt in Niniuem; & littus, quò Dei ferebatur imperio, appulit. Quid dicat de illo idem Gregorius, audiamus. Ecce fugitiuum Dei tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit, & quia authori ſuo obedire renititur, ad locum quò miſſus fuerat, ſuo reus carcere portatur. Dicere igitur poterat Ionas, *Ego vado:* ſed non in Tharſim, quò ego vellem; ſed in Niniuem, quò Deus vult. Ita Chriſtus, *Ego vado*, inquit, *ad Patrem*, & ad illam gloriam, per hanc ipſam mortem, quam mihi vultis inferre, & per quam intendebatis mihi ipſam gloriam, meíque nominis celebritatem auferre. Vado inquam ad cœlum per Crucem, per quam vado ad gloriam, licèt per ipſam volueritis me ire ad ignominiam. Lib. 6. Mor. c. 22.

Ego vado, ſcilicet ad mortem, quam ſtrenuè & intrepidè ſubire volo; Chriſtus enim ſecundùm Auguſt. mortuus eſt, quia voluit, & quando voluit. Obſeruat D. Cyrillus, Solem obſcuratum fuiſſe, dum Chriſtus in Cruce pateretur, & reuerſum fuiſſe, dum Rex Ezechias in lecto infirmaretur. Tunc, ait, propter Ezechiam Sol reuertus eſt, propter Chriſtum autem Sol obſcuratus eſt, non retrocedens, ſed deficiens: atque per hoc vtriuſque differentiam, & Ezechiæ & Ieſu demonſtrauit. Incidit Ezechias in lectulum, & (vt verbis Hieronymi vtar) vicina morte terretur: & fuſus in lacrymas, quindecim Catech. 2.

annorum ſpatio protelatur. Pauebat mortis aſpectum, quam nititur aliquandiu fugere, quod retrocedente Sole innuitur. At quando Chriſtus in Cruce occubuit, non retroceſſit Sol; imò mortis caligine obſcurari feſtinat. Non pauebat Sol tenebras, non timebat, inquam, obſcurari, vt innueretur, Chriſtum Solem Iuſtitiæ, mortem non timere, imò imperterritum, & impauidum cum ea confligere Crucis ligno ſuffixum; quod & oſtendit, cùm priùs conſtanter dixerit, *Ego vado.*

Ego vado, & in peccato veſtro moriemini. Quaſi dicat: quia in peccato veſtro eſtis morituri, ideo *ego vado.* Deus enim abire dicitur, quando hominem in ſuo peccato mori patitur. Dicunt nonnulli Chriſtum in Cruce tribus duntaxat horis vixiſſe, & citò voluiſſe mori, ne impium latronem in ſuo peccato morientem cerneret, adeò eſt ei odibile mori in peccato.

Iudæ ſuam proditionem machinanti dixit Joan.14. Chriſtus, *Quod facis, fac citiùs.* Ac ſi diceret: noli diutiùs in peccato morari, ne in illo moriaris, idcirco *fac citiùs.* Vnde quidam ſuſpicantur Chriſtum mortuum fuiſſe, antequam Iudas ſe necaret, ne ipſum in ſuo peccato mori videret. Huius ſententiæ eſt Euthymius, qui de eo Euthym. ſic ſcribit. Laqueo ſe ſuſpendit, & nec id continuò aſſequutus eſt prout cupiebat: agnitus enim à quibuſdã, depoſitus eſt ne præfocaretur. In Mat.27. Idem ſentit Theophylactus. Verùm ſcias quòd poſuit collum ſuum in laqueum, & cùm ab arbore penderet, arbore inclinata ſuperuixit, &c. Nullæ creaturæ volebant ad illius mortem concurrere,

currere, quem Chriſtus volebat viuere, donec peccatum ſuum deponeret.

In peccato veſtro moriemini. Quæritur, an Chriſtus hoc dixerit eis malè precando, vel comminando, aut præuidendo. Reſpondeo, dixiſſe præuidendo & prædicendo; præuidebat enim illos morituros abſque pœnitentia, ideo prædicit eis ſuam obſtinationem in perfidia; & incredulitate; ac proinde à cœleſti gloria abdicationem. Vnde Auguſt. Prænunciauit illis Dominus, dixítque ſententiàm, præſcius quòd in peccato ſuo morerentur. Dices: Non obſtante illa præuiſione & prædictione, poterántne iſti Iudæi non peccare, & ſic non mori in peccato? Poterant: nam Dei præſcientia non imponit rebus neceſſitatem. Præterea, quicquid Deus præuidet, ſemper cum potentia ad oppoſitum præuidet. Illius ergo præuiſio non fuit cauſa quòd iſti peccauerint, & quòd mortui fuerint in peccato, ſed illorum peruerſa voluntas, quia reſipiſcere noluerunt. Præuiderat Deus negationem Petri, & proditionem Iudæ, ac vtrique prædixerat; & licèt præuiderit & prædixerit, poterat ille non negare, & iſte non tradere. Si igitur illa præuiſio fuiſſet cauſa negationis Petri, non fleuiſſet Petrus amarè: ſed, quia vidit, quòd non obſtante illa præuiſione & prædictione, poterat Chriſtum non negare, ideo meritò fleuit, & egit pœnitentiam, quia voluntariè illum negauerat. Nam licèt Dominus per impoſſibile non præuidiſſet & præcognouiſſet peccatum Petri, non minùs liberè Petrus negaſſet: ergo illa præcognitio, aut prædictio non fuit cauſa talis ne-

Tract. 38. in Ioan.

gationis, ſicut nec proditionis Iudæ, quicquid oblatrauerit olim Celſus,in quem ſic Origenes. Nos dicimus non prædictorem cauſam eſſe futuri, ſed futurum illud quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente,præcognitori cauſam prædicendi dediſſe.Totum enim in præcognitione vatis eſt, cùm alterutrum fieri poſſit, fore hoc alterum; non dicimus præcognitorem adimere poſſibilitatem, vt vel fiat, vel non. Quibus verbis Origenes diluit obiectionem Celſi, qui probare conabatur, Chriſtum prædicendo proditionem Iudæ, attuliſſe neceſſitatem ipſi Iudæ, vt facinus illud proditionis committeret:quia neceſſe erat fieri,quod Chriſtus futurum eſſe prædixerat. Reſpondet igitur Origenes, prædictionem non afferre neceſſitatem,quia non ideo res fit, quia præcognita eſt; ſed ideo præcognita eſt,quia futura erat. Vnde & Auguſt.Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit: imò ideo non dubitatur ipſum peccare cùm peccat, quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit, qui, ſi nolit, omnino non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.

Lib. 2. contr. Celſ. pag. 780.

Lib. 5. de ciuit. Dei. cap. 10.

Inſtabis: Cur Iudas mortuus eſt in ſuo peccato, Petrus verò non? Quia Petrus voluit conſentire gratiæ Dei,illique cooperari, Iudas verò non.Præuidens igitur Chriſtus illum velle mori in ſua malitia & finali impœnitentia, dixit, *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Similiter, quia præuidit iſtorum Iudæorum malitiam,

tiam, qua nolent conuerti; ſed volent in infidelitate & in peccatis ſuis perſeuerare, ait illis, *In peccato veſtro moriemini.*

Ideo Dominus ait illos eſſe morituros in peccato; non, moriantur in peccato. Audi Chryſoſtomum. Mortem peccatoris dicit Deus, ne mittat in mortem, &c. Terreant vos verba, ne conturbent facta. Ideo minatur, ne peccator puniatur. Vnde & Theodoretus. Quoniam conſeruare Deus gaudet, minatur triſtia, ne in nos triſtia inuehat. Caueat ergo peccatum qui non vult mori in peccato.

Si habeas vnam arborem inclinantem ſe, verbi gratia, ad Aquilonem, & eò ſemper tendat, licèt aliquando vi, & induſtria illam ſæpe erigas, quæro à te, quando præſcindetur, nónne cadet ad illam partem, ad quam inclinabatur? Et ſi ibi cadat, ibi remanebit, iuxta illud; *Vbicumque ceciderit lignum, ibi remanebit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem.* Eccleſ. 11. Et ſicut arborem ad Aquilonem inclinantem, dicimus caſuram ad Aquilonem; ita hominem alicui peccato, verbi gratia, auaritiæ, aut luxuriæ deditum, dicimus, quando morte præſcindetur, ad hanc partem caſurum, id eſt, in tali peccato moriturum; quia eius deſideria, veluti rami tendunt & inclinantur ad huiuſmodi vitia. Audi D. Bernard. Rami noſtri deſideria noſtra ſunt, vbi maior eſt copia ramorum, & ponderoſior, inde caſuram non dubites. Serm. 49. in paruis. Quid agendum ne cadas, & moriaris in peccato? Noli inclinari ad peccatum, erigas te per pœnitentiam, ne tibi dicatur.

Et in peccato veſtro moriemini. Vis non mori

in peccato? noli viuere in peccato. Attende precor, quid quædam mulier dicat Dauidi: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram.* Cur aquæ dilabenti, & fluenti comparamur? Talis eſt aqua, quales ſunt canales & meatus, per quos tranſit; dulcis, ſalſa, amara, aut ſulphurea erit aqua, ſi meatus ſint eiuſmodi. Similiter ſolet vt plurimùm vitæ terminus aſſimilari curſui eiuſdem vitæ: ſi enim quis caſtè viuat, caſtè morietur: ſi tranſeat per viam mandatorum Dei, in illa morietur: ſi per viam Sacramentorum, morietur cum Sacramentis: ſi autem tranſeat per viam peccati, periculum erit, ne in peccato moriatur. Audi Auguſt. Viuite bene, ne moriamini malè.

2.Reg.14.

Simile.

Serm.24. de verb. Domini.

Propterea idem Doctor deflens miſerandam iſtorum Iudæorum ſortem, ſic ſcribit. Infœliciſſima conditio, miſera ſors iſtorum Iudæorum, qui de ore veridico audierunt; *In peccato veſtro moriemini*, &c. Haud dubiè ille morietur in peccato, qui perſeuerabit in peccato. Vnde Bernardus. Væ illi qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando vitæ.

Tract. 38. in Ioan.

Bernard.

Præterea, moriatur peccato, qui noluerit mori in peccato. Quid enim ſit mori peccato, pulchrè & minutim explicat Diuus Proſper, his verbis. Quid eſt mori peccato, niſi damnandis operibus omnino non viuere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire? vt ſicut qui mortuus eſt carne, nulli iam detrahit, nullum auerſatur, nullum deſpicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nemini violentus exiſtit, neminem calumniatur aut opprimit,

Lib. de vit. contempl. cap.21.

mit, non inuidet bonis, aut inſultat afflictis, non potentibus aut diuitibus adulatur, non eum ſuperbia inflat, non ambitio ventoſa præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, &c. Sicut, inquam, carne mortuus, nec facere ea poteſt, nec pati; ita & his,& talibus vitiis non viuunt, qui mortui peccato, Deo viuunt. Qui igitur non viuet peccato, non morietur in peccato. Interrogatus aliquãdo Ariſtippus,quomodo Socrates obiiſſet diem; vtinam, inquit, ſic ego. Quia bene Socrates vixerat,bene obiit. Laërt.lib 2. de vita Phil.

In peccato veſtro moriemini. Præceperat Deus Saüli, vt omnes Amalechitas tanquàm hoſtes infeſtiſſimos deleret, & de medio tolleret; ille autem noluit diuino præcepto obtemperare. Quid inde? Multa ei ob illam inobedientiam euenerunt incommoda, tam in vita, quàm in morte: nam in extremis conſtitutus,atque Philiſtinis illum premẽtibus, vidit iuuenem quemdam à quo occiſus eſt, non tamen inuitus, ſed ipſemet conſentiens & præcipiens; interrogatus enim iſte iuuenis à Dauide, ait: *Caſu veni in montem Gelboë, & Saül incumbebat ſuper haſtam ſuam*, &c. *vidénſque me vocauit. Cui cùm reſpondiſſem: Adſum; dixit mihi: Quiſnam es tu? Et aio ad eum: Amalechites ego ſum. Et locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me. Stánſque ſuper eum, occidi illum*, &c. 2.Reg.1.

Obſeruat Philo, iuſto Dei iudicio tunc occurriſſe ibi virum Amalechitam potiùs, quàm alterius nationis; qui quidem Amalechites Saülem interfecit, non præcipiente Deo, ſed ipſomet Saüle. Meliùs obediuit Saüli iſte Ama-

lechita, Saülem occidendo, quàm Saül Deo. Itaque ſi iuxta Dei mandatũ Saül omnes Amalechitas deleuiſſet, hic illum non interfeciſſet; atque ita in ſuo peccato mortuus non fuiſſet. Caue tu, ne quid ſimile tibi contingat. Præcipit tibi Deus, vt omnia peccata tua tollas per pœnitentiam de medio tui: tu verò hoc negligis, ſed in extremitate vitæ tuæ, morbo premente te, aderit aliquis Amalechita, id eſt, aliquod peccatum, in quo & per quod moriaris. Occide tu peccata tua, ne ab eis occidaris; fac moriatur peccatum in te, non tu in peccato.

Caueamus igitur, ne in peccato moriamur. Omnes mortem reformidant, quamuis illam ſe non euaſuros ſciant: nullus vellet gladio interire, nec igne vitam finire, nec fame perire. Alij timent capite truncari, alij aquis ſuffocari, aliqui beſtiarum dentibus laniari, nonnulli
Lib 1. de ciuit Dei. cap. 11. veneno extingui. Verùm, inquit Auguſt. quid intereſt quo mortis genere vita iſta finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur? Non mortem timeamus, quam neceſſe eſt ſubeamus: ſed malam mortem fugiamus. Non enim ille malè moritur, qui igne, lapidibus, gladio, veneno, beſtiis, fame, cruce, aut aliquo ſupplicio moritur. Stephanus lapidibus obrutus eſt: Petrus cruci affixus: Paulus ſecuri percuſſus: Laurentius igne crematus, & multi alij grauiſſimis ſuppliciis affecti vitam finierunt, & tamen malam mortem non ſubierunt;
Pſal. 115. cùm ſit *pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius.*

Contrà

Contrà verò eſt *mors peccatorum peſſima.* Pretioſa fuit mors Lazari in conſpectu Domini, licèt fame obierit. Peſſima fuit mors diuitis, licèt obierit diuitiis plenus. Satius fuit Lazaro mori humi inter canes lingentes, quàm diuiti in lecto inter amicos fouentes. Non attendamus, quo loco, qua morte, ſed quo in ſtatu moriamur. Precor audias Chryſoſtomum hac de re differentem, & quinam ſint qui bene moriantur indicantem. Nullus miſerum dicat eum qui in alieno ſolo vitam finiuit, neque qui in ſolitudine ex hac vita decedit; neque enim ille dignus eſt, qui miſer dicatur: ſed qui in peccatis mortuus eſt, etiamſi ſuper lectum, etiamſi præſentibus omnibus amicis ſpiritum exhalaret, &c. Ioannes nónne decollatus eſt? Stephanus lapidatus vitam finiuit; Paulus capite truncatus; Petrus contrario modo, quàm Dominus crucifixus. Nónne eorum mortes per totum mundum celebrantur? &c. Pſal. 33. Hom. 66. in Geneſ. & hom. 5. ad pop.

Pretioſa eſt mors illius qui in gratia decedit, ſiue in igne, aut in aqua, aut in patibulo moriatur, aut beſtiarum dentibus conteratur. Peſſima autem eſt mors illius qui in peccato, id eſt, nulla peracta pœnitentia moritur, etſi in lectulo molli, pannis ſericis cooperto, parentibus & amicis ſtipatus ſuum exhalat ſpiritum. Hoc dico malum, ait idem Doctor; cum mala recedere conſcientia. Propterea probet ſeipſum & examinet vnuſquiſque, quo in ſtatu ſit, & videat, an, ſi illi nunc moriendum eſſet, in peccato moreretur: nec attendat mortem qualemcumque ſubeat, ſed quò per mortem ire debeat. Hoc conſulit Ibidem.

Lib. 1. de ciuit. Dei. cap. 11. lit D. Aug. Non itaque multùm curandum eſt eis, qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat, vt moriantur, ſed moriendo, quò ire cogantur,

In peccato veſtro moriemini. Vix morietur in peccato, qui ſaluberrimum eiuſdem Auguſt. ſe-
Serm. 102. quetur conſilium. Audiamus Deum, dum rogat, ne poſtea non audiat, dum iudicat. Tunc Deus rogat, ſi ſic fari liceat, quando inſpirationes immittit; rogat per Prædicatores. Vocat quis amicum & rogat illum, ipſe autem non reſpondet: tunc ille ſumit extremitatem pallij, aut veſtis, nec propterea dignatur aduertere, parumper percutit, & ipſe non percipit. Vnde ille indignãs recedit, dicens, ego vado. Pro tua vtilitate vocabam, non tetigi tuam veſtem, vt illam à te extraherem, ſed vt te per illam traherem: non percuſſi, vt læderem, ſed vt te conuerterem; non reſpondiſti, nec aduertiſti, mereris derelinqui.

Ita etiam Deus vocat & rogat nos per internas inſpirationes, & publicas conciones. Si non audiamus, trahit nos, immittendo nobis aliquam bonorum iacturam: ſi adhuc obſurdeſcamus, percutit aliqua infirmitate; quòd ſi ita rogantem & vocantem illum non audiamus, recedet à nobis, & meritò dicet, *Ego vado.* Audi illum
Prou. 1. conquerentem. *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Nota (*quoque:*) quaſi dicat, omnes creaturæ ridebunt, & ſubſannabunt. Nam lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam; *Et ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Ego, qui vos vocaueram, vt ſaluarem, qui vos

percuſſe

percuſſeram, vt ſanarem, *ridebo*, inquam, dum vobis in peccatis veſtris mortuis, *id quod timebatis acciderit.* Timebatis tradi dæmonibus, & ab eis cruciari; tunc ridebo, quando vobis illud acciderit. Quia rogati noluiſtis audire, iudicati merebimini non audiri. Vnde ſubdit Deus. *Tunc innocabunt me, & ego non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me.* Quid eſt hoc, niſi, *quæretis me, & non inuenietis?*

Quò ego vado; vos non poteſtis venire. Hic modò loquitur de diſceſſu ad Patrem, ad quem non erant ipſi peccatis conſpurcati venturi. Ergo, inquit Auguſt. *quò ego vado*, dixit Dominus, non cùm itur ad mortem, ſed quò ibat ipſe poſt mortem. Quia in peccatis erant morituri, quò ibat Chriſtus non erant acceſſuri. Itaque nihil infœlicius eſt, quàm in peccato mori. Vnde Chryſoſtomus. De nobis timeo, ne dicatur: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Quomodo enim poterimus, cùm contrà quàm præcipiatur operemur? Non poterit ire luxurioſus, nec auarus, nec iracundus, nec cæteri peccatorum pondere preſſi, cùm nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum. Fuge inquinari, ſi cupias ſaluari.

Tract. 38. in Ioan.

Hom. 49.

Dices: Nunquid ſimilia verba dicta ſunt Apoſtolis, & præcipuè Petro? *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Et Petro interroganti, atque dicenti, *Domine quò vadis? Reſpondit Ieſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi; ſequeris autem poſtea.* Reſpondet D. Auguſt. Hoc Dominus diſcipulis dixit: non autem abſtulit ſpem, ſed prædixit dilationem; quando enim hoc diſcipulis Dominus loquebatur,

Ioan. 13.

Tract. 38. in Ioan.

tur,tunc non poterant venire,quò ille ibat, ſed poſtea venturi erant. Iſti autem numquam,quibus præſcius dixit; *In peccato veſtro moriemini.* Malim ego audire, *Quò ego vado,tu modò non potes venire:* quàm, *In peccato tuo morieris.* Qui enim non poteſt modò, poterit aliquando. Tunc, quando Chriſtus Apoſtolis & Petro loquebatur, non poterant ire quò ipſe ibat, ſed potuerunt aliquando, & tandem ſequuti ſunt. Vnde dixit Petro, *Non potes me modò ſequi,ſequeris autem poſtea.* Qui lethali peccato fœdantur, ſi morerentur, non poſſent ire quò Chriſtus iuit; ſed qui ſine peccato eſt, ſemper erit vbi Chriſtus eſt.

FERIA

FERIA TERTIA
POST DOMINICAM ſecundam.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ,&c.Matth.23.

EXPENDENDA ſunt verba illa diuina apud Ieremiam : *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*. Tunc ſeparamus pretioſum à vili, quando diſcernimus doctrinam bonam & integram alicuius Prædicatoris, aut Prælati à prauis ſuis moribus.Gaudet Deus quòd bonum à malo ſecernamus,vt illud ſumamus,hoc caueamus. Si nulla fiat ſeparatiò, non erit aurum,nec argentum in mundo;nullæ gemmæ;imò nec triticum,nec vinum,neque oleum. Nam aurum & argentum terræ immiſcentur, triticum paleæ, oleum amurcæ ; gemmæ conchis includuntur,vinum racemis.Vt igitur hæc habeantur,neceſſe eſt ſeparentur. Virgilius Ennium manu tenens,& legens interrogatus,quid ageret,reſpondit;*De ſtercore aurum colligo*. Quia Ennius nonnulla præclara, & alia vilia ſuis ſcriptis immiſcuerat. Sanum dat D. Auguſtinus con

Ierem.15.

Tract.46. in Ioan.

conſilium. Botrum carpe, ſpinam caue. In prima rerum molitione voluit Deus ſeparatione vti: diuiſit enim aquas ab aquis, lucē à tenebris; nec vllus fuit ordo vniuerſi abſque ſeparatione. Qui itaque in cōdendo vniuerſo vſus eſt ſeparatione, vult hodie, vt diſcamus ſeparare pretioſum à vili, aurum à terra, triticum à palea, gemmas à conchis; id eſt, ſanam doctrinam à prauis iſtorum Phariſæorum moribus, ait enim.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm autem opera eorum nolite facere. Per Cathedram intelligimus authoritatem docendi, iudicandi, & iubendi. Vnde D. Cyrillus. (Catech. 12.) Non hic ligneam Cathedram, ſed doctrinæ ſignificat poteſtatem. Dicuntur igitur Scribæ & Phariſæi ſedere ſuper Cathedram Moyſis, quia legem, & doctrinam à Deo per Moyſem pópulo traditam, docebant: vel Moyſis docendi authoritatem obtinuerant, illiúſque ſucceſſores erāt: vocatur autem Cathedra Moyſis, quia fuit Moyſes primus Summus Sacerdos. Vnde Greg. Nazianzenus vocat illum Principem, & Sacerdotum Sacerdotem. (Orat. 6. de Moſe & Aarone.) Et Philo vocat eum Pontificem, dum eius vitam ſic concludit. Huiuſmodi fuit vita, obitúſque Moſis Pontificis. D. Leo ſic (Epiſt. 88.) de Moſe ſcribit. In diuinis literis præcipiente Dominó ſolus Moſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe vnxit, qui vtique Summus Sacerdos Dei erat.

Habuit itaque Synagoga ſuam Cathedram, id eſt, doctrinæ poteſtatem, & in Cathedra ſedentem, id eſt, Summum Pontificem; & ſedens

gratiam

gratiam aſſiſtentem, ne poſſet malè docere populum. Eccleſia quoque cuius figura fuit Synagoga, debet habere, & habet ſuam Cathedram, in qua primùm ſedit D. Petrus, vnde dicta eſt Cathedra Petri,ſiue Sedes Apoſtolica ab omnibus Patribus maximè commendata. De illa D. Auguſtinus ſic loquitur, dum in literas Petiliani inuehitur. Quid tibi fecit Cathedra Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet,quibus nos in Catholica vnitate conuertimur, & quo vos diabolico furore ſeparaſtis? Idem dicere poſſumus hæreticis noſtri temporis, contra Summum Pontificem & Apoſtolicam Sedem debaccantibus. Idem etiam Optatus Auguſtino æqualis, Donatiſtis obiiciebat. Negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primùm Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus,&c. Lib.2.c.51. cont. lit. Petil. Lib.2.cont. Parmen.

Quòd Synagogæ Pontifex in his maximè quæ ad fidem & religionem ſpectabant non poſſet errare, ſatis apertè manifeſtatur in eo quod in eius pectore ſcribebatur; ſic enim Deus præcipiebat: *Pones in Rationali iudicij Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore*, &c. Cur autem, ſcriberetur in pectore Summi Sacerdotis, *Doctrina & Veritas*, explicatur in Deuteronomio, vbi Dominus præcipit iis, qui dubitant circa intelligentiam diuinæ legis, vt aſcendant ad Summum Sacerdotem, atque ab eo quærant ſolutionem, & ſubiungit: *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Igitur & ſigno, & verbo Dominus promiſit in pectore Summi Deut.17.

Sacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem, ac proinde illum non erraturum, cùm populum docuerit. Idcirco iubebat vt audiretur, eíque obedientia præſtaretur; vnde ſubdit. *Et facies quodcumque dixerint.*

Ibidem.

Quòd ſi hoc Aaronico ſacerdotio conueniebat, certè multò magis Eccleſiæ Pontifici, cui in perſona Petri dictum eſt à Chriſto: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quòd autem hæc verba tam ad fidem Petri, quàm ad fidem ſucceſſorum in Pontificatu referantur, docet Bernardus ſcribens ad Innocentium Summum Pontificem. Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei; ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis; cui enim alteri aliquando dictum eſt: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?* Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur; *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Indigebat autem Eccleſia etiam poſt Petri mortem, quo Catholici in fide confirmarentur: ſed non poſſet nos in fide firmare, ſi ipſe poſſet errare.

Luc. 22.

Epiſt. 190. ad Innocent.

Non debuit ſtabilior eſſe Sedes ſiue Cathedra Moyſis, quàm Petri, cùm illa fuerit figura huius. Audiendi erant qui in illa Cathedra Moyſis ſedebant, & ad eos erat recurrendum in dubiis fidei, & eorum iudicio ſtandum, ſub pœna mortis, cùm non poſſent errare. Audiendi etiam, imò multò magis ſunt qui ſedent in Cathedra Petri:

cùm

cùm non poſſint nos malè docere, licèt mali eſſent illorum mores. Quocirca Diuus Chryſologus hortabatur Eutychetem, vt à iudicio Summi Pontificis non recederet; imò ad illud attenderet, ſic enim ſcribit. Hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt obedienter attendas, quia Beatus Petrus, qui in propria Sede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Quamuis enim hic Auctor non citet locum Euangelij, *Rogaui pro te*, &c. tamen eò ſine dubio reſpicit, dum tam fidenter affirmat, ex Romana Sede præſtari omnibus quærentibus fidei veritatem.

In Epiſt. ad Eutych. quæ habetur in 1. Tom. Conciliorum a te Concilium Chalcedon.

Et ſicut olim ſcandala & vitia Sacerdotum Synagogæ, non præiudicabant eorum doctrinæ & fidei, nec obſtabant quominus quæ docebant, ſeruarentur & efficerentur: ita noſtrorum Pontificum & Prælatorum vitæ prauitas, ſi qua eſſet, nihil eorum auctoritati & doctrinæ, quam ſequi debemus, obeſſet. Vnde D. Auguſtinus ſic contra quoſdam ſchiſmaticos inuehitur. Cùm tales ſederint ſuper Cathedram Moyſi, cui Dominus honorem ſeruauit, quare vos propter eos, quos iſtis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè comparatis, Cathedram Apoſtolicam blaſphematis? Non erat Cathedra Moyſi contemnenda propter prauos mores ſedentium; nec Cathedra Petri, vel Sedes Apoſtolica deſpicienda propter peccata Pontificum.

Lib. contr. lit. Petil. cap. 72.

Comparauit aliquando Chriſtus diſcipulos & omnes Prælatos ſali, & luci; *Vos eſtis ſal terræ*, &c. *Vos eſtis lux mundi*. Cur ſali, & Soli com- Matth 5.

parantur? Vide quid de hac materia ſcripſimus
Diſcurſ. 2. in Diſcurſibus, quos edidimus de dignitate ſacerdotali, Gallico idiomate: tamen impræſentiarum dicimus ſali comparari ob eorum vitam & perſonales mores, qui poſſunt corrumpi, ſicut ſal infatuari: luci verò propter eorum doctrinam & fidem, quæ non poteſt corrumpi; eſt enim lux incorruptibilis. Ideo ait, *Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* Præſupponit Chriſtus Prælatos in ſuis moribus poſſe deficere, ſicut ſal euaneſcere, eóſque amittere poſſe ſanctimoniam, ſicut ſal condiendi acrimoniam. Veruntamen, quia lux Solis non poteſt corrumpi, idcirco, quoad doctrinam & fidem luci meritò comparantur. Vnde non dixit Chriſtus; *Si lux obtenebrata fuerit, in quo illuminabitur?* Supponebat enim Summos Pontifices quoad fidem non poſſe deficere, vel errare, præcipuè quando nos docent, vel condunt aliqua ad fidem ſpectantia.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Sedebant, ſed numquam in arenam deſcendebant: dicebant, ſed non faciebant. Aliter
2. Reg. 23. Dauid, de quo ſic Scriptura: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus*, &c. Vbi Dauid in cathedra? vbi Dauid ſapientiſſimus, niſi quando ore promebat, & opere adimplebat? Promebat, inquam, ſe velle percutere Philiſtæum, vt omnibus innoteſceret, quia eſt Deus in Iſraël. Hoc dixit, & tandem in arenam contra Philiſtæum deſcendit. Audiamus illum prædicantem ex cathedra.
1. Reg. 17. *Dabo cadauera caſtrorum Philiſtijm hodie volatilibus cœli, & beſtijs terræ, vt ſciat omnis terra quia eſt Dominus Deus in Iſraël*, &c. Videamus in arenam deſcen

deſcendentem, & quæ dixerat executioni mandantem. *Feſtinauit Dauid, & occurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſtai*, &c. Hæc adnotatio eſt Diui Theodoreti ſic ſcribentis. Prædicit Dauid vniuerſo orbi terræ Dei cognitionem. Cognoſcet enim, inquit, omnis terra, quòd eſt Deus in Iſraël. Et os quidem fundit oracula; manus autem ſe fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam. Nullus equidem ſuggeſtus ſplendidior, nulla cathedra clarior, neque ad docendum aptior, neque ad perſuadendum efficacior, quàm arena eſt, vbi & ore, & manu, & opere docemus, & docemur. Quæſt.41. in 1.Reg.

Scribæ & Phariſæi. Sub hoc nomine Scribarum & Phariſæorum taxat Chriſtus Sacerdotes legis Moſaicæ; & quia patefacienda erant illorum vitia, vtpote ſuperbia, auaritia, ambitio, cupiditas, hypocriſis, Deus non vult illos appellare Sacerdotes, licèt reuera eſſent Sacerdotes; idque ob honorem ſacerdotij. Hæc obſeruatio eſt D. Cypriani. Patrantes enim eadem vitia, quæ & Phariſæi, vocandi potiùs erant Phariſæi, quàm Sacerdotes. Inde docet nos Chriſtus, quòd ſi contingat dari aliquos Sacerdotes in Eccleſia Catholica committentes eadem vitia, quæ ſolent ipſi mundani, concubinarij, mercatores, litigatores, aut alij committere, non debemus, cùm opus fuerit talia vitia propalare, eos Sacerdotes vocare. Sed dicendum potiùs erit: quidam mundani talia, vel talia vitia patrarunt; debent enim vocari mundani, non Sacerdotes, quia more mundano, non ſacerdotali ſe geſſerunt, ſicut à Chriſto iſti vocati ſunt Phariſæi, Lib 4. Epiſt.9.

quia more Phariſaico viuebant, id eſt, hypocriſi, auaritiæ, & ſimilibus vitiis operam dabant, ſicut & Phariſæi. Si hoc obſeruaretur, ſtatus Eccleſiaſticus non ita contemneretur.

Sed ô tempora! ô mores! ferè omnes omnia Sacerdotibus impingunt vitia; exiſtimántque ſe aliquid lucratos, dummodo dicant à Sacerdotibus aliquod facinus eſſe commiſſum. Tace ſaltem, tace, ô impie, nomen, ſi nolis tacere crimen. Cur nominas ſacerdotalem qualitatem, cùm ab ea nullus didicerit iniquitatem? Noli, inquam, huic ſtatui derogare, qui numquam docuit peccare. Audi precor D. Chryſoſtomum, atque illius nota ſimilitudines. Cùm videris Sacerdotem indignum, ne traducas ſacerdotium: non enim oportet damnare res, ſed eum qui bona re malè vtitur; quandoquidem Iudas proditor fuit; verùm non propterea accuſatur ordo Apoſtolatus, ſed illius animus, nec crimen eſt ſacerdotij, ſed malum animi. Et tu igitur ne ſacerdotium vituperes, ſed re bona malè vtentem. Quot medici facti ſunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, ſed malè vtentem arte. Quot nautæ malè rexerunt nauigia? verùm non ars nauigandi mala eſt. Si Chriſtianus fuerit improbus, ne incuſes profeſſionem ac ſacerdotium, ſed re bona vtentem malè, &c. At verò non poteſt magis ſacerdotium vituperari, quàm dum dicis aliqua vitia à Sacerdotibus perpetrari. Dum Sacerdotes orant pro populo, dum prædicant, dum Miſſam celebrant, tunc ſe Sacerdotes oſtendunt; at dum peccant, tunc homines peccatores ſe exhibent.

Homil. 4. de verbis *Iſaiæ, vidi Dominum.*

bent. Si igitur videas vnum ex illis malè agentem, dic, quidam homo,& non quidam Sacerdos, malè operatus eſt.

Quacumque ergo dixerint vobis, ſeruate & facite. Si hæc accuratè ſeruarentur, nullæ hæreſes in Eccleſia orirentur. Ita ſentit Diuus Cyprianus, qui ad Cornelium contra hæreticos ſic ſcribit. Neque aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſciſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſùs Sacerdotum collegium quicquam moueret, &c. nemo diſſidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum foris hæreſim nouam conderet. Arrigant aures hæretici. Nam ſi illi audiendi erant, quorum erat ſucceſſio deſtruenda, & reuera tunc deſtructa eſt, & ſacerdotium finitum, quorum regnum defecerat; quantò magis audiendi ſunt illi, quorum ſucceſſio floret, cuius ſucceſſionis tanta eſt vis, vt illa ſe teneri in Eccleſia Diuus Auguſtinus fateretur? Tenet me ab ipſa Sede Petri, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Idem ſic Donatiſtas hæreticos ſui temporis compellabat. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis, cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Illa eſt ergo Cathedra audienda, quæ nunquam eſt euertenda. Hanc ſi non poſſint

Epiſt. 9 l.4.

Tom.6. lib. 1. contra epiſt. fund. cap.4.

Tom.7. cōtra part. Donaſt.

dæmones vincere, quantò minùs hæretici?

Quæcumque ergo dixerint vobis, ſeruate & facite. Quæritur, quomodo iubeat Chriſtus omnia quæ Scribæ & Phariſæi docuerint, facere, cùm ſæpe eorum doctrinam reprehendat, & docuerit diſcipulos ſuos cauere à fermento, id eſt, doctrina Phariſæorum, & hoc ipſo capite falſam eorum doctrinam arguat. Reſpondemus, Chriſtum non loqui de Phariſæis, niſi in Cathedra ſedentibus; tunc autem Cathedram ipſam coëgiſſe eos vera dicere. Hoc ſentit Diuus Auguſtinus dum ſic ſcribit. In verbis Chriſti debetis aduertere, quantus honor delatus ſit doctrinæ Moyſis, in cuius Cathedra etiam mali ſedentes, bona docere cogebantur. Ergo cùm iubet ſeruare & facere, quæ Scribæ & Phariſæi dicunt, dum in Cathedra Moyſis ſedent, non de ipſorum, ſed de legis ac Moyſis doctrina loquitur. Perinde enim eſt, ac ſi dicat; omnia quæ lex, & Moyſes iubet, Scribis & Phariſæis recitantibus, *ſeruate & facite, ſecundùm autem opera eorum nolite facere.* Nam

Matth. 16.

Lib. 16. cõt. Fauſt. c. 29.

Multi quod bonum dicunt, non faciunt, & malè faciunt: ſi ſecundùm opera eorum facias, tu quoque malè facies. Attende doctrinam cœli viam monſtrantem, non perſonam malè operantem; attende, inquam, bene dicentem, non malè agentem. Frequēter enim, ait quidam Auctor, de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim vilis terra pretioſiſſimum aurum producit; nunquid propter terram vilem pretioſum aurum contemnitur? non. Sed ſicut aurum eligitur, & terra relinquitur: ſic & vos doctrinam

Auctor oper. Imp. homil. 43.

nam accipite,& mores relinquite. Nam vt apibus herbæ neceſſariæ non ſunt, ſed flores herbarum; illæ flores colligunt, & herbas relinquunt: ſic & vos flores doctrinæ colligite. Fidem prædicant,& infideliter agunt: pacem aliis dant,& ſibi non habent: veritatem laudant, & mendacia diligunt; auaritiam caſtigant, & auaritiam diligunt. Hæc ille, cum Chriſto dicente.

Quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm autem opera eorum nolite facere. Prælati, vel Prædicatores Eccleſiæ, qui non præſtant quod prædicant, ſunt veluti milliaria lapidea, viam monſtrantia, ſed ipſa non mouentia:& illi qui eos non audiunt, eo quòd quæ dicunt, non faciunt, ſimiles ſunt viatoribus, pergere viam nolentibus, quòd videant illa milliaria viam quidem monſtrare, ſed ea ſemper ſtare. Audi Auguſtinum. Tam ſunt abſurdi,& præpoſteri,& miſeri, qui præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quàm ſi quiſquam viator remeandum ſibi eſſe exiſtimet in itinere, cùm viderit milliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potiùs, ſi peruenire deſiderat, tales comites intueatur & conſequatur, qui & viam bene demonſtrant, & in ea perſeuerant? Tom. 10. homiliar 50 homil. 50.

Secundùm autem opera eorum nolite facere. Sunt Prædicatores veluti canales per quos decurrit aqua: auditores verò ſunt ſicuti conchæ. Quid diceres, ſi nollet concha aquam recipere, quia canales eam dant, non retinent? Ita, quid vis dicam de te, ſi doctrinam non recipias, & vtili-

tatem ex ea non haurias, quia qui illam tibi miniſtrat, illam non ſeruat? Neſcio an Prædicatori, vel auditori loquatur Bernard. dum dicit. Si ſapis concham te exhibebis, non canalem. Quicquid ſit; fundat canalis aquam, cámque concha recipiat. Sic, doctrinam ſuam prædicet concionator, illámque audiat, & ſeruet auditor.

Serm 118. in Cant.

Dicunt enim, & non faciunt. Qui opere non perficit, quod ore prædicat, nihil aut parum proficit. Audi Hieronymum. Perdit authoritatem dicendi, cuius ſermo opere deſtruitur. Nam, teſte Cicerone, caput eſt artis, dicere quod faciat. Sunt nonnulli Prædicatores, qui tam longè diſtant ab his quæ prædicant, vt vix digito attingant. Si dicas te nolle adimplere quæ prædicauit, niſi priùs ipſe adimpleuerit, erras frater. Vis videre, quid ſit Prædicator malus? Interroga Apoſtolum, eſt *velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Sonat cymbalum, ſiue campana, & ſonando, & ſe conſummando vocat ad ſacrum, & ad Eccleſiam, nec tamen audit ad quod inuitat. Inſanus eſſet qui recuſaret adire Eccleſiam, & Miſſam audire, quia hoc non præſtat cymbalum. Sic inſanit, qui, quod prædicat Prædicator non exequitur, eo quòd ipſe dicit, & non facit. Crede mihi, *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Nam D. Chryſoſtomus dum de Prædicatoribus loquitur ſic ait. Si bene vixerint, eorum lucrum eſt; ſi bene docuerint, noſtrum. Sumamus quod noſtrum eſt, & relinquamus quod alienum eſt. Appion Grammaticus ob garrulitatem dictus eſt *Cymbalum orbis*, teſte Suetonio. Sunt qui ſua duntaxat garrulitate tinniunt, præterea nihil.

Epiſt. 83. ad Oceanum.

Cicer.

1. Cor. 13.

Matth. 20.

Lib. de præclaris Grãmaticis.

Deus

Deus ipſe in ipſo mundi exordio, quæ dixit, fecit; vt in poſterum doceret eos, qui curam habent dicendi, curam etiam accipere faciendi quæ dicunt. Audi dicentem, *fiat lux,& facta eſt lux.* Sed à quo facta eſt, niſi à dicente, *fiat?* Hoc videtur obſeruaſſe Tertullianus dum dicebat. Et dixit Deus, fiat, & factum eſt, vt tibi totus Deus commendaretur, & dicere, & facere. Fecit Deus quod dixit: fac & tu quod prædicas. Gen. 1. Lib. 2. cont. Marc. c. 4.

Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. O vana & inanis gloria! Quid prodeſt videri ab hominibus, cùm non poſſit dari merces ab hominibus? Qui hoc faciunt, *receperunt mercedem ſuam.* Sed à quo? Non à Deo, qui talibus dare non vult: nec ab homine, qui dare non poteſt. A quo igitur? Fortè à ſeipſo, qui ſibi complacet; ſed cùm quærit ſibi complacere, Deo diſplicet. Matth. 5.

Non quæras videri ab hominibus, cùm videaris à Deo & ab Angelorum agminibus. Parati ſunt homines in te vituperare, quod antè fingebant laudare; & ſi laudarint, illorum laus nihil tibi prodeſt, imò ſæpe nocet. Homines, inquit Chryſoſtomus, licèt laudarint, mox tamen accuſant, vel inuident, vel carpunt, & quamuis non hoc faciant, tamen nihil laudato proſunt: Deus verò non ita facit, ſed gaudet, noſtra laudans merita. Si quis coram Rege & maxima hominum multitudine aliquid ageret, nónne demens eſſet, ſi Regem non attenderet, ſed duntaxat cæteris hominibus placere curaret, cùm à Rege, non ab aliis ſit ei præmium accipiendum? Huic ſimiles ſunt, qui, ſicut iſti Phariſæi, Homil. 43. ad pop.

riſæi,opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus. Non vides, inquit idem Doctor, in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non aduertunt plauſum populi aſſidentis, nec voluptatem ex eo plauſu capiunt, ſed in vnum Regem in medio ſedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes, totam multitudinem deſpiciunt? Hos & tu imiteris, non magni faciendo hominum famam, ſed ſententiam iuſti Iudicis expectando, atque ad nutum eius omnia dirigendo. Itaque id vnum ſpectemus, quomodo Deus nos laudet, & quomodo videat, non quomodo homines.

Homil. 5. in Geneſ.

Primus vanæ gloriæ cupidus fuit Lucifer, qui volebat non tantùm videri ab hominibus, ſed præferri hominibus, atque ita factus eſt inferior omnibus hominibus; de illo ſic Auctor operis Imperfecti. Concupiſcentia vanæ gloriæ, ipſe diabolus ruit de cœlo. Nam cùm eſſet Angelus volens ſe oſtendere Deum, perdidit illud quod erat, dum voluit appetere quod non erat. Si igitur dæmon ſuadeat tibi,vt te extollas, aut aliquod bonum opus agas, vt videaris & lauderis ab hominibus, reſponde ei:Sufficiat tibi hac via perdidiſſe teipſum, non quæras perdere meipſum, ſcio quid tibi contigerit, & ſi hoc præſtarem, quid mihi contingeret: tibi malè ceſſit aucupium vanæ gloriæ. Quia enim plus æquo ob naturæ & gratiæ dona voluiſti te efferre,meritò tu cum ſociis ad Tartara deturbatus es. Vnde hoc exemplo Dominus terruit diſcipulos ſuos, cùm gloriarentur, quòd dæmonia ipſis ſubiicerentur, dicens: *Vidi Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.*

Homil. 5.

Luc. 10.

Vt igitur Chriſtus diſcipulos comprimeret, voluit illis hunc dæmonis caſum proponere. Audi Gregorium. Mirè Dominus, vt in diſcipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipſe magiſter elationis, id eſt, Satan accepit, vt in auctore ſuperbiæ diſcerent, quid de elationis vitio formidarent. Meritò autem dæmon fulguri comparatur. Dicunt nonnulli, quòd ille à fulgure nō percutitur, à quo priùs coruſcatio percipitur, & tonitrûum auditur. Ita ab hoc fulgure, ſcilicet dæmone læderis, ſi hanc coruſcationem, id eſt, Chriſti monitionem non attendas. Cautum te faciat ille caſus & ruina dæmonis, vt in te verificetur illud Senecæ dicterium: Cautio eſt in reliquum, lapſus anterior. Fulguri etiam comparatur; quia, ſicut hominem quem tangit fulgur, non ſemper occidit, alia verò animalia ſemper; hunc honorem natura homini tribuente, ait Vincentius: ita tentatio diabolica non omnes homines occidit, quia illi qui rationabiliter viuunt, ſciunt, vel reſiſtere, vel occaſiones fugere; ſed illi læduntur, qui more brutorum viuunt, nempe carnales, & qui ſuo appetitui inſeruiunt.

Lib. 23. Mor. c. 4.

In lib. de nat. rerum.

Sen. in Prouerb.

Præterea, cecidit Satan ſicut fulgur, quia, quo cecidit, ſcilicet vana gloria, ſiue ſuperbia, eſt veluti fulgur. Nam ſicut fulgur interdum pecuniam intra ſaccos, vinum intra dolium, enſem intra vaginam conſumit, illæſis ſaccis, dolio & vagina: ita vana gloria conſumit meritum, ac dona gratiæ, remanentibus illæſis donis naturæ, vt patet in dæmone, cui per ſuperbiam

reman

remanſerunt dona naturæ, deperdita gratia. Vnde Diuus Baſilius fugiendam dicit vanam gloriam, tanquam ſpoliatricem bonorum operum, id eſt, meriti, quod acquirimus ex bonis operibus. Audiamus eius verba. Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, iucundam animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eamdémque mellis illitu fraudis ſui veneni coloratricem. Dulce quid imperitis gloria eſt. Vide quàm dulciter, quàm iucundè eos deprædetur, & corrodat qui illius cupidi ſunt. Non mirum igitur, ſi Chriſtus tam acriter inuehatur in iſtos Phariſæos omni merito vacuos, & qui ſeſe à vana gloria ſpoliari ſinebant.

In conſtit. monaſt. cap. 11.

Obſeruandum eſt, non ſine myſterio Chriſtum in hoc Euangelio ter vſum fuiſſe hac voce *(Vnus.)* Ait enim: *Vnus eſt Magiſter veſter*, &c. *Vnus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt*, &c. *Vnus eſt Chriſtus.* Quia iam locutus fuerat de Cathedra Moyſi, quæ erat vna, & figura Cathedræ ſuæ Eccleſiæ, quæ etiam futura erat vna, in qua ſeſſurus erat vnus Petrus, & poſt eum alius vnus; idcirco ad denotandam huiuſmodi vnitatem vſus eſt voce vnitatis. Fallor, niſi Diuus Cyprianus huc reſpiceret, dum ſic diceret. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper petram voce Domini fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum ſacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Quò vagaris hæretice? Non poteris

Epiſt. 40. de quinque presbyteris ſchiſmaticis.

teris

teris ſaluari, ſi huic vni Eccleſiæ, & vni Petri Cathedræ non vniaris. Vnde Diuus Hieronymus ſic ad Damaſum, vnum ex Petri ſucceſſoribus ſcribebat. Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt, &c. Ego clamito; Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Perditur qui ab hac Sede diſiungitur, non poteſt non errare qui in rebus dubiis hanc vnam Cathedram noluerit conſulere. Hanc conſuluit iſte Doctor, licèt omni ſcientiarum genere eſſet excultus, vt ipſemet fatetur, atque ob eius firmitatem & diuinam aſſiſtentiam, conſulendam iudicauit. Mihi, inquit, Cathedram Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam: inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Tom. 2. Epiſt. & Epiſt. 56. Ibidem.

Cùm igitur Deus vnus in eſſentia ſit, adeò eſt vnitatis amator, vt vnam tantùm Eccleſiam, vnam fidem, vnam Cathedram, vnum baptiſma, vnum populum, vnum ouile habere voluerit. Huic nos Cathedræ vniamus, vt contra omnia hæreticorum ac dæmonũ tela muniamur, atque vnus ſimus, vt iuſti eſſe poſſimus: iuſti quippe vnus vocantur. Hoc obſeruauit Origenes attendens illa verba Apoſtoli, *Multi quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Sic enim de viris iuſtis ſcribit. Meritò & ipſi omnes non ſolùm vnum, ſed & vnus dicuntur, ſicut Apoſtolus deſignauit: *Omnes quidem cucurrunt, ſed vnus accipit palmam.* Vides manifeſtè, quia omnes iuſti vnus Hom. viii. 1. Cor. 9.

eſt

eſt qui accipit palmam. Cur enim omnes non dicantur vnus, quorum cor vnum & anima vna eſſe deſcribitur? Peccator autem varius & multiplex efficitur, ac tot quotidie induit perſonas, quot mores, modò leo, modò ſus, modò
Ibidem. aper apparet. Vnde addit idem Doctor. Nos qui adhuc ſumus peccatores, poſſumus titulum iuſti acquirere, quia vnuſquiſque noſtrûm non eſt vnus, ſed multi. Intuere namque illius vultum, nunc irati, nunc iterum triſtis, paulo pòſt rurſum gaudentis, & iterum turbati; & rurſum lenis, in alio tempore de rebus diuinis, & de vitæ æternæ actibus conſulentis, paulo pòſt verò vel quæ ad auaritiam, vel quæ ad gloriam ſæculi pertinent, molientis. Vides quomodo qui putatur vnus, verè non eſt vnus; ſed tot in eo perſonæ eſſe videntur, quot mores conſpiciuntur.

Non ſic iuſtus, ſed ſemper idem, & ſibi conſtans, ſemper vnus. Audi ſummum de iuſto
1. Reg. 1. viro elogium. *Fuit vir vnus de Ramathaimſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana.* O dignum nomen viri, qui vnus & idem eſt! Nam Elcana idem eſt, ac *poſſeſſio Dei.* Hoc ipſum
Ibidem. obſeruat idem Origenes, vbi oſtendit quinam ſint Dei, & qui dæmonum. Certum eſt, inquit, quòd ille, de quo dictum eſt, quòd vnus eſſet vir, poſſeſſio Dei eſt, & non poſſeſſio dæmonum. Quem enim dæmones poſſident, non eſt vnus, ſed multi, ſicut & ipſi dæmones de eo quem poſſidebant, reſponderunt dicentes, quia legio nomen eſt ei.

Nónne decem leproſi ad Ieſum ſanitatis

obti

obtinendæ cauſa venerant? Ab illo ad Sacerdotes mittuntur, & dum irent, ſalutem acquirunt. Tunc notat Lucas, *Vnus autem ex illis, videns quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* Quippe decem Chriſtum conuenerant, decem à Chriſto mundati ſunt, ſed nouem poſt ſalutem Chriſtum obliuiſcuntur, & ad alia diſcedunt. Sed qui regreſſus eſt, vt daret laudem Deo, erat vnus. Vnus, inquam, ante ſalutem, vnus in ipſa ſalutis acquiſitione, vnus poſt ſalutem acceptam. Cæteri verò fuerunt quidem vnus in petitione ſalutis, & in executione mandati, eundo ſcilicet ad Sacerdotes, ſed deſierunt eſſe vnus in gratiarum actione; iſte autem Samaritanus ſemper vnus & idem fuit. Ideo ad vnum Chriſtum reuertitur, & vni Deo laudem dedit. Ita Diuus Anſelmus. Quod dicitur vnus, inquit, intelligendum eſt, non diuerſis ſe voluntatibus varians, ſed in vna Deo placendi voluntate perdurans. Luc. 17. Anſel.

Volens Chriſtus Iudam à malo propoſito deterrere, nihil illi priùs ſuggerebat, quàm hanc intimam vnitatem, dicens *Amen dico vobis, quia vnus veſtrùm me traditurus eſt.* Quid ais Domine, *vnus veſtùm?* Nónne proditor iam à diſcipulatu diſceſſerat? Nónne ſeſe dederat in membrum diaboli? Cur adhuc à te dicitur, vnus diſcipulorum? Reſpondet idem Anſelmus. Ex magnitudine miſericordiæ ſuæ, voluit Deus proditorem diſcipulum ad pœnitentiam reuocare ſacramento vnitatis. Proditori igitur relinquebatur ſpes ſalutis, ſi voluntatem habuiſſet vnionis. Debebat eſſe vnus cum cæteris diſcipulis, cùm Matth. 26. Anſel.

vnum haberent Magiſtrum, & Dominum. Ille enim deſperare ſolum poteſt de ſalute obtinenda, qui ſe ab hac vnitate elongat. Maluit miſer eſſe multus cum multis dæmonibus, quàm vnus cum vno Deo, & vna Eccleſia, & vna Sede. Caue ne tu cum Iuda, & cæteris hæreticis ab hac vnitate recedas.

Hanc vnitatem ſatis ſupérque iam commendarat Dominus in vnius hominis creatione. Nam cùm inſtitueret Deus animantes, alias ſolitarias, & quodammodo ſoliuagas, ſicuti ſunt aquilæ, leones, lupi, &c. alias gregatim viuentes, veluti ſunt columbæ, ſturni, cerui, & huiuſmodi; vtrumque genus non ex ſingulis propagauit, ſed plura ſimul exiſtere ordinauit. Hominum verò genus, quod naturaliter politicum eſt, ac ciuile, ex vno tamen eſt, ad commendandam vnitatis concordiam, myſteriúmque propagatum. Vnus igitur Deus, vt vnus agnoſceretur Dominus, vnum, à quo omnes, condidit hominem. Hoc adnotauit Diuus Auguſtinus: Imago Dei, inquiens, eſt in homine, vt vnus factus ſit Dominus, ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quaſi vicarius eius, quia vnius Dei habet vir imaginem. Cùm ſolus homo imaginem Dei gerat, neceſſe eſt, vt in ſeruanda hac vnitate ſe veluti Deus gerat. Ad hoc nos hortatur Ambroſ. Et tu ergo ad ſimilitudinem Domini vnus eſto. Non hodie ſobrius, cras ebrioſus, hodie pacificus, craſtina die litigioſus. Eſto ſicut imago in didrachma immutabilis, eumdem habitum ſeruans quotidie. Qui itaque vult vnus eſſe Magiſter noſter, vnus Pater noſter, vnus Chriſtus; vult

Lib. 12. de ciuit. Dei.

Epiſt. 1.

vult etiam vt vni Eccleſiæ, vni Cathedræ Petri inhæreamus, vt partem cum ipſo habere mereamur. Extra illam non eſt ſalus. Sicut enim ſalus & vita non poteſt membro ineſſe, niſi maneat in vnitate corporis: ſic nulli poteſt eſſe verè ſalus, niſi intra Eccleſiæ vnitatem extiterit.

Hoc circa Raab expreſſum videmus, cui mandatur & dicitur: *Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te in ipſam domum tuam, & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit.* Quo ſacramento declaratur, in vna ſola domo, id eſt, in Eccleſia viuere oportere, qui ſalutem voluerit habere. Hæc eſt arca Noë, extra quam quiſquis euagatur, inuolutus fluctibus in profundum mergitur. Hoc vnitatis & concordiæ vinculum oſtenditur in Chriſti tunica, ſuper quam permiſit Dominus vt potiùs ſors mitteretur, ne in partes ſcinderetur. Non enim debebat illa diuidi, in qua vnitas Eccleſiæ debuit ſignificari. Illam ſcindunt, qui Eccleſiam præſcindunt. Hoc vt euitaretur, ſic Paulus obteſtabatur. *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Qui enim hic viuit ſchiſmaticè, non viuet in futuro beatificè. Nam de cœleſti gloria ſic loquitur Auguſtinus. Non erit ibi aliqua inuidia diſparis claritatis, vbi omnibus regnat vnitas charitatis. Ad quam nos conducat, qui ſine fine viuit & regnat, Amen.

Ioſue 2.

1. Cor. 1.

Lib. 5. Exc[illegible].

FERIA QVARTA
POST DOMINICAM ſecundam.

Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo, &c. Matth. 20.

Ifai. 30. QVOD nonnullis euenturum erat, prædixit Iſaias, & prædicendo monuit: monendo pollicebatur, & pollicendo comminabatur. Ecce prædictio. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, &c. En monitio. *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram*, &c. Ecce promiſſio. *Et dabitur pluuia ſemini tuo*, &c. En terror. *Labia eius repleta ſunt indignatione*, &c. Hi duo diſcipuli filij Zebedæi viderant Chriſtum Dominum præceptorem & magiſtrum ſuum, qui eſt via; ille enim de ſeipſo ait, *Ego ſum via*, &c. In ea ambulabant; ſed monitionem audire recuſabant. Monuerat Propheta & clamauerat; *Non declinetis, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram.* Ipſi autem poſtulabant ſedere, vnus ad dextram, alter

verò ad ſiniſtram. Sed, quia noluerunt audire Prophetam monentem, meruerunt audire Chriſtum arguentem, *Neſcitis quid petatis.* Et interrogantem, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Imò & promittentem, *Calicem quidem meum bibetis.* Acquiritur ſiniſtra, dum propria adimpletur voluntas. Quomodo autem res ſe habuerit, audiamus.

Acceſſit mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo. Obſeruant nonnulli, in Scriptura multos patres, multáſque matres prò filiis, & filiabus Dominum rogaſſe; nullos autem, aut paucos natos pro parentibus poſtulaſſe. Acceſſit ad Chriſtum quidam regulus dicens: *Domine, deſcende priuſquàm moriatur filius meus.* Venit & Ioan. 4. princeps vnus Synagogæ, & dixit: *Filia mea modò defuncta eſt, ſed veni,* &c. Rogauit illum alius Matth. 9. pater pro filio à dæmone poſſeſſo: *Miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.* Orauit & mulier Chananæa Matth 17. etiam pro filia à dæmonio vexata: *Miſere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Modò, *Acceſſit mater filiorum Zebedæi adorans,* Matth. 15. *& petens aliquid à Chriſto.* Vnicum filium reperio, qui curam habuerit patris, is ſcilicet, qui Chriſto dixerit: *Permitte mihi ſepelire patrem meum.* En tota cura filiorum circa parentes, Matth. 8. cogitant ſolummodo, quomodo ſepeliant eos, oculos illorum claudant, vultum terra cooperiant.

Ferè omnes filij ſuis viuendi moribus parant ſepulchrum parentibus. Quis mortem intulit Heli, niſi duorum filiorum ſuorum mores depra- 1. Reg. 4. uatiſſimi? Et qui illos noluit caſtigare, meruit

caſtigari. Tantas mœſtitias Iacob paſſus eſt à Geneſ.34. propriis filiis, vt hæc verba protulerit, *Deſcendam lugens in infernum*, id eſt, in ſepulchrum. Tunc ſepulchrum parabant, quando dilectum eius filium Ioſeph vendebant. Quis Dauidem contriſtauit? nónne filius Abſalom, qui coëgit illum pedeſtrem exire ciuitate? Tantæ ſunt anxietates, ac tam infallibiles, quas nati inferunt Geneſ.25. parentibus, vt Rebecca ſic exclamauerit; *Si ſic futurum erat, vt quid neceſſarium fuit concipere?* Quid autem petat hæc horum filiorum mater, audiamus.

Dic vt ſedeant, &c. Quærunt ſedere, & regno Dei frui; ſed debent priùs ſtare & laborare. Non enim merebitur, qui non fatigabitur. Celebre Æſchylus. eſt emblema, *Præmium ex labore.* Vnde Æſchylus. *Huic qui laborat Numen adeſſe ſolet.* Beata Thereſia à Chriſto didicit, in quo conſiſtat ratio meriti: In eius vita. ſic enim Chriſtus ad illam. *Filia, meritum non conſiſtit in fruendo, ſed in operando, patiendo, amando. Paulus ſemel dicitur raptus in Paradiſum, ſed multoties paſſus.* Quocirca ipſa aſſiduè orabat, *Domine, da pati, aut mori.* Non bene ſibi conſulebant, qui ſedere quærebant. Non ſedendo, non otiando acquirit honorem, qui natus eſt ad laborem.

Non bene, inquam, ſibi conſulunt, qui cum Domino ſedere cupiunt. Nam Domini eſt ſe-Iſai. 6. dere. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Angelorum ſtare. *Seraphin ſtabant.* Imò & homi-Pſal.121. num, *Stantes erant pedes noſtri*, &c. Diaboli verò cadere; ſed ideo cecidit, quia aſcendere, & po-Iſai.14. ſtea ſedere optauit: dixit enim. *In cœlum conſcendam,*

dam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti. Vnde meritò illum increpat Diuus Bernardus, quòd, tot millibus millium Angelorum ſtantibus, & Deo miniſtrantibus, ipſe ſedere appetierit. Dixiſti; Sedebo. Vbi ſtant omnes, vniuerſi miniſtrant, tu pacis inimice ſedebis? Quid laboraſti, vt iam ſedeas? Peccauit, qui ſine labore ſedere optauit. O filij Zebedæi nondum laboraſtis, & ſedere poſtulatis. Si Lucifer increpari, imò puniri meruit, quòd ſedere antequam laboraſſet, optauerit: quali non eſtis digni increpatione, qui ferè ſimili ducimini ambitione? Satius vobis ſit ſtare, & miniſtrare cum Angelicis ſpiritibus, laborare cum hominibus, quàm cadere cum dæmonibus. Meritò igitur eis dicitur.

Serm 2. de 3. teſtimoniis. Dan. 7.

Neſcitis quid petatis. Quia etiam volebant iſti in quantum poterant expellere Filium ſuo loco: nam qui ſediſſet ad Filij ſiniſtram, fuiſſet medius inter Patrem & ipſum Filium, &, vt ita dicam, propinquior Patri, quàm Filius, quod fieri nequit, neque decet; non debet igitur admitti tam indecens & temeraria petitio. Hoc eleganter obſeruauit Diuus Paſchaſius: Proprium eſt, inquiens, vni Dei Filio Chriſto Ieſu, vt ſedeat ipſe ad dexteram Dei Patris: quomodo ſedeat aliquis eorum ad ſiniſtram Filij, niſi medius ſederet inter Patrem, & Filium, quod nefas eſt dicere? Ergo indecens eſt talia loca exquirere, ac proinde neſciunt quid petant. In Matt. 20.

Non miror igitur, ſi *Deum reſiſtere ſuperbis*, ſcribat Apoſtolus: illi enim reſiſtitur, qui nos Iac. 4.

aggreditur. Habet ſuperbus Deum reſiſtentem, quia Deus habet ſuperbum aggredientem. Aggreditur autem Deum ſuperbia, dum ſapit & appetit ſublimia: nec poteſt habere cum Deo conſortium, cùm diuerſum habeat hoſpitium.

Lib. de anima. cap. 11. Vnde eleganter Bernard. Suſpecta eſt Deo ſuperbia, & odioſa, nec fieri poteſt, vt cum eo in gratiam reuertatur: diuerſum vtriuſque hoſpitium, nec in eodem habitant animo, quibus non licuit cohabitare in cœlo. In cœlo nata eſt; ſed velut immemor, qua via inde cecidit, illuc poſtea redire non potuit. Neſciunt igitur quid petant, quia cum ſuperbia cœlum ſcandere attentant, in quod *intrandum eſt per arctam portam*; per quam non poſſunt ſuperbia tumidi intrare.

Matth. 7.

Epiſt. 32. Attendite precor verba Hieronymi ad Abigamum ſcribentis. Quamuis mihi multorum ſim conſcius peccatorum & quotidie in oratione flexis genibus loquar; *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris:* tamen ſciens ſcriptum eſſe ab Apoſtolo, *Deus ſuperbis reſiſtit*, &c. nihil ita à pueritia conatus ſum vitare, quàm tumentem animum & ceruicem erectam, Dei contra ſe odium prouocantem.

Pſalm. 19.

Dicitur etiam Deum ſuperbis reſiſtere, quòd videatur aduersùs ſuperbos certamen ſuſcipere. Hoc adnotat Diuus Ambroſius. Deus, inquit, ſuperbis reſiſtit, quia veluti quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen, tanquam dicat: Meus iſte aduerſarius eſt, qui me laceſſit, mihi debetur iſta congreſſio. Non dixit Apoſtolus: *Deus ſuperbis obſiſtit, occurrit, quietos impugnat*; ſed, *reſiſtit*, quaſi priùs impugnantibus, prouo-

Serm. 7. in Pſal. 117.

prouocantibus, ac laceſſentibus Deum ſuperbis, ipſe, vt ſuo conſulat honori, pro laribus & focis, vt aiunt, repugnet, propulſans à ſe eos, qui, quoad poſſunt, conantur eum à ſede propria deturbare: quod aliquando expertus Diuus Auguſtinus, ſic dolebat. Sed Domine conabar ad te, & repellebar abs te, vt ſaperem mortem: reſiſtebas ventoſæ ceruici meæ, quoniam ſuperbis reſiſtis. Iſtis itaque diſcipulis Chriſtus reſtitit, quando illorum petitionem non admiſit, & dum eos neſcire quid petant, reſpondit. Lib. 4. Confeſſ. c. 15.

O vanas hominum prælationes! Quid petitis? Neſcitis cuius diſcipuli ſitis. Chriſti, inquam, qui voluit ſibi ſceleſtum & nefarium hominem, Barabbam ſcilicet, præferri. Quid quæritis cæteris veſtris condiſcipulis præferri? Attendite Phariſæum, qui non ſuper aſtra cœli, non ſuper ſolium deitatis, non ſuper diuiniſſimos thronos, ſe exaltauit, non Dei ſimilitudinem ambiuit, ſed vni tantùm ſe prætulit publicano, homini viliſſimo, rapinis, adulteriis dedito, & tamen omnia perdidit; hoc vno vitio reus deſpicitur à Deo. Hoc obſeruat D. Chryſoſtomus. Quid oro publicano deterius? At cùm eſſet innumeris peccatis obnoxius, Phariſæuſque id ſolùm diceret, non ſum ſicut publicanus, ipſe omnia perdidit. Quid ſi bonis, vel ſuis æqualibus ſe prætuliſſet? Luc 18. Hom. 12. in Epiſt. ad Timot. 2.

Sanè de D. Ioanne Baptiſta apud Matthæum dicitur, *Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Sed ne ſuper omnes extolleret caput, ideo capitis præſciſſionem paſſus eſt; quaſi notans, quòd non Matth. 11.

per prælationem, ſed per humilem æqualitatem peruenitur ad æternam hæreditatem. Hoc attigit D. Iſidorus Peluſ. Quoniam igitur maior quidem omnibus, qui ex mulieribus nati fuerunt, erat Ioannes, caput ipſi ante donatum cœlorum regnum præſciſſum fuit. Qui itaque ſuſtinuit Barabbam ſibi præferri; & ambitioſum Phariſæum publicano ſe præferentem, ore proprio damnauit: quíque permiſit ſuum dilectum præcurſoré, inter natos mulierum maiorem, capite truncari, ne capite eleuaretur, arguet ſine dubio & acriter horum diſcipulorum ambitionem. Nam ſemper detrimentoſa eſt hominibus prælatio, etiam ſomniata, vt patet in Ioſeph, qui multùm ſibi obfuit, dum ſe futurum fratribus ſuis prælatum manifeſtauit, & ſibi maximè poſtea profuit, quando ſe humiliauit. Hoc adnotauit D. Ambroſius: Quid, inquiens, fuiſſet Ioſeph, ſi humilis non fuiſſet? Sciuit ſibi ipſi obfuiſſe, quòd prælatus erat fratribus. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas Regem ſubditum fecit. Nolite igitur, ô diſcipuli, cæteris præferri, ſi non vultis à Chriſto reprehendi, & condiſcipulos veſtros indignari, & audire.

Iſid. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 168.

Serm. 14 in Pſal. 118.

Neſcitis quid petatis. Meritò Chriſtus repreſſit horum diſcipulorum regnandi libidinem. Nam in mundi exordio volens Dominus ambitioni aditum præcluderè, oſtendit quibus præferri & ſuperextolli homo debeat; non enim creatus eſt homo, vt homini imperet. Cui ergo? Audi, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*

dinem noſtram, vt præſit piſcibus maris. Non debuit homo dominari his, cum quibus debebat verſari: debebat autem cum homine habitare, non homini imperare. Non dixit, inquit Nyſſenus, præſit animantibus, quæ ſimul cum ipſo ſunt, ſed piſcibus, qui vitam in aquis degunt. Vrget adhuc diuina iuſſio. *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Quæ verba ponderans D. Gregorius ſic ſcribit. Non ait, ſit ſuper homines, qui futuri ſunt; ſed ſit ſuper cuncta animalia terræ, vt ab animalibus, & non ab hominibus timeatur; quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri. Iſti duo quodammodo ab hac norma deuiauerant. Sit omnibus alta mente repoſtum illud D. Bernardi conſilium. Dominari ne affectes hominum homo, ne dominetur tui omnis iniuſtitia. Orat. 1. Lib. 21. Mor c. 11. Bern. Serm. 8. de iuſt. & iniuſt.

Timon apud Stobæum, cognomento μισάνθρωπος, ambitionem & auaritiam vocabat, *elementa malorum.* Nam ſicut ex elementis omnia naturaliter generantur: ſic ex ambitione & auaritia omnia ferè mala oriuntur. De iſta ſic Apoſtolus: *Radix omnium malorum auaria.* De illa ſic Bernardus. Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hyprocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis. De homine idem Timon dicere ſolebat: In Pſal. 9.

Ambitionis homo eſt vanæ pleniſſimus vter.

Et tamen nihil magis deberet eſſe alienum ab homine, quàm ſuperbia; quia nihil habet, quo ſuperbire debeat, cùm omni repleatur miſeria. *Homo natus de muliere, repletur multis miſeryis.* Iob 14.

Quod

Quòd autem ſit alienum ab homine ſuperbia,
Pſalm. 18. audi precantem. *Ab alienis parce ſeruo tuo.* Diuus Hieronymus ſic legit; *A ſuperbis parce ſeruo tuo.* Quod vna lectio vocat ſuperbum, altera dicit alienum; quia elongari debet ab homine ſuperbia, tanquam aliquod alienū: non habet homo, vnde ſuperbiat; ſed habet, vnde ſe humiliet.
Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui.* Superbia præſcindit nobis caput. D. Ambroſius in illud vatis Regij,
Pſalm. 38. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*; ſic ſcribit. Ideo errat pes ſuperbiæ, quia caput non tenet.

Neſcitis quid petatis. Meritò reprehendebantur, quia omnia verba, quæ Chriſtus dixerat non meditabantur. Chriſtus enim, cùm Hieroſolymam aſcendiſſet, & diſcipulos ſecretò aſſumpſiſſet, ait illis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum gentibus, ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & die tertia reſurget.* His verbis Chriſtus loquebatur tam de ſua paſſione, quàm de ſua reſurrectione: iſti autem diſcipuli, relictis his, quæ de ſua paſſione magiſter locutus fuerat, attendunt tantùm ad ea, quæ de reſurrectione & glorificatione dixerat; credebant enim ipſum poſt reſurrectionem temporaliter regnaturum. Idcirco tunc matris interuentu non petunt participes fieri illuſionum, flagellationum, & opprobriorum, & paſſionum, ſed duntaxat honorum, & bonorum, non attendentes, quòd nullus erit ſocius conſolationum, qui non fuerit & paſſionum.

Simile. Nota pulchram ſimilitudinem. Intrat quis in

in officinam cuiuſdam mercatoris, petit ab eo an habeat pannum ſericum, reſpondet mercator ſe habere, & ait; Da mihi viginti aureos, & defer tecum. Ille autem diuidit hæc verba, & relinquens priora, exequitur poſteriora. Si hic diceret mercatori; Nónne dixiſti mihi, *defer tecũ*? Verum eſt, reſpóderet mercator; ſed priùs dixi tibi; *Da mihi viginti aureos.* Si ergo vis deferre, debes priùs mihi hoc pretium afferre. Sic iſti diſcipuli audierant Chriſtum de contumeliis & honoribus loquentem; relinquunt contumelias, & ſibi volunt accipere honores. Sed non eſt mens mercatoris, & magiſtri dare vnum ſine alio. Idcirco *neſciebant quid petebant.*

Multi ſunt illis ſimilês. Chriſtus, verbi gratia, dixit, *Dimittite, & dimittemini.* Modò aliqui diuidunt hæc verba, hoc vnum duntaxat conſiderant, ſcilicet, *dimittemini*, & dicunt; Poſſumus pro libito viuere: Chriſtus enim promiſit nobis, quòd dimittentur nobis peccata noſtra. Verum eſt; ſed qui dixit, *dimittemini*, priùs dixerat, *dimittite.* Non ſunt hæc verba ſeparanda: non tibi dabitur vnum, niſi præſtiteris alterum.

Neſcitis quid petatis. Reuera neſciunt quid petant; fallebantur enim, ſi ſedendo, crucem ſe euitare arbitrabantur. Nullus in hoc mundo immunis à cruce & laboribus. Attende quid dicat Lucas; *Ibi crucifixerunt Ieſum, & latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris.* Ergo licèt declines ad dextram, vel ad ſiniſtram, ſemper inuenies crucem; eſt & crux bonis, eſt & malis, in medio crux, in qua Chriſtus, in dextra & ſiniſtra cruces, Luc. 23.

ces,vbi latrones; vbique cruces occurrunt, vbique labores & dolores. Non optet quis ſedere ad dexteram,vt fugiat moleſtiam, cùm vtrinque adſint cruces. Ridet Seneca eos qui dicunt:Fugiamus dolorem; quid? quòd ille ſequitur fugientes. Exiſtimabant fortè hi diſcipuli ſe euaſuros labores; ſed adeò eos cruces ſequebantur, vt ideo dixerit Chriſtus.

De remed. fort.

Calicem quidem meum bibetis. Iniuſtè interfectus Teremanes à Ciricio tyranno, cùm vas veneno plenum hauſiſſet, reliquam partem profudit in terram,dicens,*Propino Ciricio.*Id quod memorans Cicero, ait: Luſit vir egregius extremo ſpiritu, veréque ei, qui ſibi venenum præbuerat, mortem eſt auguratus, quæ breui conſequuta eſt. Sic Dominus ſuffixus ligno, paſſionis & dolorum calice epoto, ſanguinem vſque ad terram profundens hominum generi propinat, veréque mortificationem, & ſimilem dolorum tolerantiam exquirit ab omnibus, & nunc prædixit his diſcipulis; *Calicem quidem meum bibetis.* Tunc calicem illius bibent, quando ſuum ſanguinem fundent;ac tunc Chriſtus nobis propinat ſuum calicem, quando noſtrum exquirit ſanguinem. Tertullianus expendens illud Euangelij, *Reddite quæ ſunt Dei, Deo*, ita quærit, & reſpondet. Quid autem debeo Deo, niſi ſanguinem, &c. Non meretur habere partem cum Chriſto, qui non vult ſuum ſanguinem fundere pro Chriſto. Iſti verò bibent ſanguinem Chriſti, ſi velint eſſe Chriſti: nam teſte eodem Tertull. Non poteſt, qui pati timet, eius eſſe, qui paſſus eſt. Vnde ipſe Chriſtus orabat,

Tuſc. 1.

De fuga in perſ.

Ibidem.

vt tranſiret à ſe calix, *Tranſeat à me calix iſte.* Non recuſat bibere; ſed ad alios à ſe rogat trāſire, & vt ab aliis bibatur, ſicut ab ipſo bibitur. Ita exponit hunc locum D.Hilarius. Vt à ſe tranſeat rogat, non vt ipſe prætereatur orat; ſed vt in alterum, id quod à ſe tranſit, excedat. *Tranſeat calix à me,* id eſt, quomodo à me bibitur, ab his bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Qui autem ſic bibere recuſat, reuera neſcit, quid petat. Vnde his dicitur. D.Hil.

Neſcitis quid petatis. Fortè quia per mulierem petebant. Suſpectum enim nobis debet eſſe, quicquid hic à muliere procuratur. Quærit Ambroſ. Vbi negat Petrus? In prætorio Iudæorum, ibi negat, vbi Chriſtus captus, vbi Chriſtus ligatus eſt; quomodo enim non erraret, quem intromiſit oſtiaria, & interrogauit oſtiaria? Negat homo interrogante fœmina, errat homo ducente fœmina: ſe perdit homo ſolicitante fœmina: iſti, quod petunt, amittunt, quia ſe matri committunt. Pulchrè Chryſoſtomus inducit Dominum loquentem. Neſcitis quid petatis: ego vos vocaui ad partem dexteram de ſiniſtra; vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram. Ideo forſitan per mulierem res agebatur. Quid mirum, quòd homines ad ſiniſtram currant ducente fœmina? Vbi muliér agit, vel conſulit, caue ruinam. Ambroſ. In Catena.

Non prætereundum eſt quod idem Chryſoſtomus ponderat, dum primos parentes immediatè poſt peccatum in iudicium vocatos animaduertit; & illorum excuſationem examinat, his verbis. Mulier quidem crimen excuſans, ait,

ſerpens

ſerpens decepit me: Adam verò non ait, mulier decepit me: ſed, mulier dedit mihi de ligno, & comedi. Satis credebat ſe excuſari à crimine, ſi tantùm oſtenderet, ibi interceſſiſſe mulierem. Si enim mulier non dediſſet, Adam non manducaſſet; ſi non manducaſſet, non peccaſſet. Quod igitur iſti diſcipuli non audebant, petiuit mater. Quomodo mulier interdum turpiter adamata tibi poterit vtiliter poſtulare, cùm hæc mater propriis filiis tam malè petierit?

Poteſtis bibere calicem, &c. Quaſi dicat: Indigetis curatione, quia laboratis ambitione: curari non poteſtis, niſi calicem bibatis: ad optatam perueníetis celſitudinem per calicis amaritudinem. Hinc Greg. Iam vos locus delectet celſitudinis, ſed via priùs exerceat laboris. Ego quidem ſum illum bibiturus, & tamen non veni hic regnaturus. Illum ſumam, antequam ad cœlum aſſumar: illum, inquam, bibam, licèt illo non indigeam. In terra igitur mecum calicem bibat, qui in cœlo mecum regnare deſiderat. Nam ſecundùm eumdem Gregor. Per calicem pertingitur ad majeſtatem: ſi mens veſtra appetit quod demulcet, priùs bibite quod dolet.

Homil. 27. in Euang.

Ibidem.

Dicunt ei: Poſſumus. Ambitioſorum eſt reſponſum; multa ſe poſſe dicunt, qui grandia cupiunt, nec, quid ſibi ſit ſubeundum, attendunt. Interim illis, qui modò dicunt, *Poſſumus*, dictum eſt poſtea, *Non potuiſtis*. Etenim imminente paſſionis tempore, quãdo calix iſte iam erat bibendus, ipſi dormiebant. Quomodo poterunt bibere calicem Chriſti, qui non potuerunt vna hora vigilare cum Chriſto? Audi increpantem:

Epiſt. 852.

Sic

Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Quaſi dicat; bibendum eſt, non dormiendum. Priùs dicebatis, *Poſſumus bibere*, & modò *non potuiſtis vigilare.* Hæc obſeruatio eſt Diui Hieronymi. Matth. 26. Lib. 2. contra Pelag.

Spiritus promptitudine dixerant, *Poſſumus*; ſed carnis fragilitate, dormiebant. Regnandi, inquam, cupiditate dicebant, *Poſſumus*, ſed ſomno oppreſſis dicitur, *Non potuiſtis.* Veruntamen ideo fortè permittebantur dormire, ne poſſent audire, *Tranſeat à me calix iſte.* Conſideraſſent enim tantùm eum qui loquebatur, & non eos, pro quibus, & quorũ loco loquebatur. Quando enim calix reſpuebatur, non caput loquebatur, ſed membra. Audi Auguſtinum. Infirmitatem noſtram Chriſtus portabat, & pro his qui adhuc timent mortem, iſta dicebat. Membrorum ipſius vox erat, non capitis. Si tunc iſtis diſcipulis dictum fuiſſet; *Poteſtis bibere calicem*, &c. ſine dubio reſpondiſſent, *Non poſſumus*. Et, *Tranſeat à nobis calix iſte.* Ideo meritò Chriſtus increpãdo dixit eis, *Non potuiſtis*, &c. Aliquando autem poteritis, dum me bibere illum videbitis: & bibetis, quando me bibiſſe ſcietis. Nam antequam mecum regnetis, neceſſe eſt, mecum bibatis: verùm ego vobis præbibam. Nam illum bibiturus ſum, & vos mihi bibetis, dum calicem meum bibetis. *Ie boiray à vous, & vous à moy. C'eſt à dire, i'endureray pour vous, & vous pour l'amour de moy, & ainſi vous regnerez auec moy.* In Pſal. 2.

Calicem quidem meum bibetis. Obſeruat Caſſiodorus, calicem deduci à calore. Dicunt nonnulli à Ioanne præcipuè fuiſſe reſponſum, *Poſſumus.* Reſpondenti igitur feruidè, calida datur

promiſſio, quæ tunc eſt adimpleta quando
De Præſcr. cap 36. Romæ, teſte Tertulliano, in feruentis olei dolium miſſus eſt: tunc enim bibit calicem, id eſt, calido & feruenti oleo eſt cruciatus, non tamen mortuus. Obſeruandum eſt, Chriſtum vocare ſuum huiuſmodi calicem, *Calicem quidem meum bibetis*. Quod pro Chriſto quiſque patitur, illud tanquam ſuum à Chriſto ſumitur, & tanquam Chriſti, à Patre remunerabitur.

Nihil honorabilius, nihilque vtilius, imò nec iucundius poteſt homini accidere, quàm eumdem, vel ſimilem calicem bibere, quem Chriſtus, id eſt, ſimilia acerba tolerare. Notum eſt
Iac.1. illud D. Iacobi monitum: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Per varias tentationes, intelligit hic Apoſtolus magnas, & multiplices calamitates, quas patiuntur iuſti in hoc mundo. Interdum enim in Scripturis tam ſacris, quàm prophanis, tentatio idem eſt, quod tribulatio, & tentari, idem quod affligi; Chriſtus ipſe apud Lucam ſic ad diſci-
Luc.22. pulos: *Vos*, inquit, *eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, id eſt, in laboribus & perſecutionibus, vt exponunt Doctores. Quam etiam
In Tuſcul. phraſim ſecutus Tullius ſic ſcribit: Animi volentes morbo tentari, non poſſunt; corpora poſſunt.

Obſeruandum eſt etiam, quod dicit Paulus:
Philip.1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Sicut fides eſt donum Dei, ita & pati pro Chriſto. Libenter igitur feratur, quod à Domino confertur. In hoc mundo bibere calicem Domini, ſine

pati

pati pro Domino, pluris æſtimatur à D. Chryſoſtomo, quàm ſuſcitare mortuos, licèt vtrumque donetur à Domino. Nam quòd quis mortuum ſuſcitet, debet Deo: ſed quòd quis patienter ferat tribulationes, & debet Deó, & Deus debet ei; vnde exclamat Theophylactus. O rem admiratione dignam! Et donat mihi Deus, & ſuper hoc ipſe debet mihi. Quando immittit afflictionem, debitor eius ſum; quando illam patienter fero, debitor meus eſt. Chryſoſt. in hunc locum Pauli.

Itaque quando Chriſtus dixit his diſcipulis, *Calicem meum bibetis*, illorum debitorem ſeipſum promiſit: vnde maior eſt dignatio bibere calicē Domini, quàm fieri diſcipulum Domini; imò verò, quàm cœlos habitare. Audi eumdem Chryſoſtomum de catenis Petri & Pauli colloquentem. Vinctum eſſe propter Chriſtum, illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc, & regno quouis maior: qui diligit, potiùs eligit vincula ferre propter Chriſtum, quàm cœlos inhabitare. Potiùs optaſſet iſte Doctor eſſe cum Paulo in carcere, quàm cum eodem in cœlo. Si mihi, inquit, cum Angelis, & iis, qui prope thronum Dei ſunt, ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique præoptaſſem. Plus enim Pauli manus ligatæ, quàm ſolutæ ligabant & ſoluebant. Paulus vinctus, ait idem, nauigabat, & naufragium ſoluebat, & tempeſtatem ligabat. Rurſus, tanti faciebat idem Doctor vincula & carcerem, quibus propter Chriſtum Petrus detinebatur, vt potiùs elegiſſet conditionem Petri ligati & incarce- Homil. 8. in Epiſt. ad Eph. Act. 28.

rati, quàm Angeli illum ſoluentis. Si mihi quiſpiam dixiſſet: Elige vtrum velis. Vis eſſe Angelus Petrum ſoluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique eſſe maluiſſem. Potior igitur eſt conditio propter Chriſtum patientis, quàm cum Chriſto regnantis. Satius ergo nobis ſit, hic pro Chriſto cruciari, quàm in cœlo beari.

Occaſionem habemus gaudendi, ſi detur nobis locus calicem Domini bibendi. Gaudeant, inquam, quibus dicitur, *Calicem meum bibetis.* Habebunt enim partem cum Domino, qui calicem biberint Domini. De miſeriis huius vitæ Hebr. 12. ſic idem Paulus. *Omnis*, inquit, *diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris.* Vbi nomine *diſciplinæ* labores intelligit. Obſeruat hic Theophylactus pulchrè Apoſtolum dixiſſe, *videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris.* Non enim verè eſt mœroris, cùm ſit tribulatio lætitiæ mater; ſed noſtri cauſa, qui ægrè ferimus, dictum Homil. 5. ad pop. eſt, videtur, &c. Vnde D. Chryſoſt. Calamitatum nomina, ait, philoſophantibus ſunt nomina rebus carentia.

Calicem tribulationum nobis reddidit Chriſtus potabilem, bibendo, ſicut iugum ſuum effe-In Pſal. 59. cit portabile, ferendo. De hoc iugo ſic Auguſtinus. Alia ſarcina premit & aggrauat te; Chriſti autem ſarcina pennas habet: nam & aui, ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis, & quò magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit: redeat onus, & volat. Talis eſt Chriſti ſarcina. Talis eſt & Chriſti calix, qui ſuauis redditur, dum ab Cant. 5. Pſalm. 44. eo bibitur. Nam eius labia ſunt ſicut lilia, & in iiſdem diffuſa eſt gratia. Quid non ſuauitatis & gratiæ

& gratiæ in calice illo hæreat, cui ipſe tam pulchra labia admoueat? Cur durum nobis erit inimicos diligere, paupertatem, & labores ferre, cùm ipſe priùs biberit, hoc eſt, omnia hæc præſtiterit? Dicat ergo Auguſt. Si ille, quid nos? Si Chriſtus bibit calicem, cur non bibemus? Cur non aduerſa tolerabimus? In Pſal. 34.

Sedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram meam non eſt meum dare vobis. Non enim vni, aut duobus tantùm conſueui dare, quod omnibus offerre debeo. Sic D. Cyrillus inducit Dominum loquentem. Iuſtus ſum munerum declarator in certaminibus poſitis, ac ideo non petentibus ſimpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos ſolùm honores traducere. Vel ſecundùm Caietanum, *non eſt meum dare vobis*, ſecundùm præſentem ſtatum meum; quia nunc non veni ad diſtribuendas ſedes regni mei. Veni, non vt dem regnum, ſed vt patefaciam viam ad regnum, & oſtendam, quibus, & à quo dandum ſit; vnde adiungit. *Sed quibus paratum eſt à Patre meo.* Nota, Chriſtum non dixiſſe, *Non eſt meum dare vobis, ſed Patris*; ſed, *quibus paratum eſt à Patre meo*, ne ſignificaret, ſe quidem dare non poſſe, Patrem poſſe: ſed vt oſtenderet ſe dare aliis non poſſe, quàm quibus à Patre ſuo paratum eſſet. Dicit autèm, *à Patre*, per appropriationem. Sunt enim quædam attributa, quæ licèt ſint tribus perſonis communia, vni tamen perſonæ potiùs, quàm alteri appropriantur. Lib. 16. Theſauri, cap. 5.

Quomodo autem dicit, *Non eſt meum dare vobis*, cùm iam dixerit, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo?* Nónne eſt ſuum, quod illi traditum eſt? Matth. 11.

Præterea, nónne omnibus promiſit ſeſſionem? *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, &c. Quomodo ergo qui omnibus dare potuit, duobus non poterit? Variè & verè reſpondent, & interpretantur Doctores. Primò, voluit Chriſtus confundere iſtorum diſcipulorum ambitionem, illóſque docere humiliationem; atque ita ſecundùm humanitatem loquebatur. Quaſi diceret: Pudeat vos, poſtuláre, quod ego nolo mihi arrogare. Dico me non habere hanc poteſtatem, vt à me diſcatis humilitatem. Hæc reſponſio eſt Diui Cyrilli, qui ſic ait. Ab inani gloria, improbáque ambitione, Zebedæi filios deterret, & ad modeſtiam reducit. Eamdem planè reſponſionem affert D. Ambroſius. Non eſt meum, qui veni humilitatem docere: non eſt meum, qui veni non miniſtrari, ſed miniſtrare. Non eſt meum, veſtræ fauere ſuperbiæ. Non enim eſt magiſtri humilitatis, annuere ambitioſis optatis.

Lib. 10. Theſ. c. 5.

Secundò, non negat Chriſtus ſuæ poteſtatis, atque officij eſſe concedere, vt aliquis ad dexteram, vel ſiniſtram ſuam ſedeat; ſed tantùm negat, eſſe ſuæ poteſtatis, & officij illis dare, ſed ſolis his, quibus à Patre ſuo paratum eſſet. Nihil de poteſtate filij hic detrahitur: imò poteſtatem habere oſtenditur donandi cum Patre ſedes. Patri quidem tribuit ſedium præparationem, ſibi verò donationem. Et ſicut nihil detrahit Patri, quòd ſedium ſibi tribuat donationem: ſic nihil detrahit ſibi, quòd Patri tribuat earum præparationem. Hæc enim tribus perſonis communia ſunt, tribuíque poſſunt modò vni, modò alteri, dummodo nulla excludatur. Quod enim

ad

ad extrà vni aliquando tribuitur, aut appropriatur perſonæ, non denegatur alteri. Dico itaque, hic non fieri compationem inter Chriſtum, & Patrem, vt olim malè putabant Arriani, quaſi Pater poſſit: Filius verò non poſſit; ſed comparationem fieri inter perſonas, quibus huiuſmodi honor dari poteſt, quòd non omnibus, ſed quibus à Patre paratus eſt, concedi poſſit. Et hæc eſt ſententia D. Chryſoſtomi, & D. Hieronymi in Commentariis ad hunc locum. Homil. 66.

Obiicies: Chriſtus ait, *Non eſt meum dare vobis.* Ergo de poteſtate ſua aliquid detrahit: ſi quidem ſedes etſi poterat donare his, quibus à Patre paratæ ſunt; non poterat tamen dare Iacobo & Ioanni. Reſpondetur, illa verba, *Non eſt meum*, nullam impotentiam in Chriſto ſignificare; ſed oſtendere in poſtulantibus non eſſe merita digna ſedibus. Ita interpretatur Ambroſius. Non dixit Dominus, *Non eſt meum*, ſed, *non eſt meum dare vobis*, non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens, ſed meritum creaturis. Similiter interpretatur Diuus Epiphanius: Hoc, inquiens, vult oſtendere diuinus ſermo, quòd non iuxta perſonarum acceptionem res ipſa fit, ſed pro dignitate. Lib. 5. de fide. cap. 2. Hæreſ. 69.

Hoc explicatur hac ſimilitudine, quam afferunt Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus. Si quis Rex auream coronam ei, qui in ſtadio currendo cæteros vinceret, propoſuiſſet, eámque manu teneret: aliquis verò ex his, qui non ſolùm nō viciſſent, ſed ne cucurriſſent quidem, coronam ab eo peteret, rectè reſponderet: currere quidem poteris; coronam autem non

eſt meum dare tibi, ſed quibus parata eſt, id eſt, vincentibus, quibus eam deſtinaſſet. Vnde idem Chryſoſt. Non eſt, ait, corona ſine certamine, meſſis ſine labore, regnum Chriſti ſine cruce. Et Theophylactus. *Non eſt meum dare*, ad gratiam coronam, *ſed quibus paratum eſt*, id eſt, his qui cucurrerint. Inſuper & Euthymius: Quod, inquit, dixit Chriſtus; *Non eſt meum*, non eſt impotentiæ, ſed iuſtitiæ. *Non eſt meum dare* gratis primam ſedem. Iuſtus enim ſum, non perſonarum acceptor. Paratum eſt autem iis, qui digni ſunt, vt hoc conſequantur.

Homil. 40. de Lazaro.

Propterea valdè expendendum eſt illud (*vobis*) quod maximè ab Auguſtino obſeruatur, dum ſic ſcribit. *Non eſt meum dare vobis*. Qui eſtis vos? Superbi. Non eſt meum dare ſuperbis. Sed ſi vultis illud accipere, nolite eſſe quod eſtis. Aliis paratum eſt: & vos alij eſtote, & vobis paratum erit. Quid eſt, alij eſtote? Priùs humiliamini, qui iam vultis exaltari. Eadem planè reſponſio nobis competit. Nam ſingulis diebus oramus Deus, & petimus, *Adueniat regnum tuum.* At ipſe nobis peccantibus reſpondere poteſt, *Non eſt meum dare vobis*; vobis auaris, vobis luxuriæ deditis, vobis iracundis, &c. *Hoc enim ſcitote*, inquit Apoſtolus, *quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.*

In Pſ. 2 6.

Eph. 5.

Videte auditores ſi tales ſitis; quòd ſi tales eſtis, alij eſtote. Et, vt verbis eiuſdem Apoſtoli vtar, *Deponite ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem, &c. & induite nouum hominem, &c. Loquimini veritatem. Qui furatur, iam non furetur,*

Eph. 4.

tur,&c. Optat hic Apoſtolus, vt de peccatoribus alij efficiamur, ſicut ipſe alius effectus eſt, & conuertamur, ſicut ipſe conuerſus eſt; vnde clamat: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Galat. 3.
Videtur Paulus hic tanquam reſpondere alicui interroganti, ac dicenti; Quis viuit? *Qui viue?* Ipſe autem reſpondet. *Viuo ego.* Quis es tu? Nónne es ille blaſphemus, & fidelium perſecutor, & lupus rapax? Reſpondet; *Iam non ego.* Mutatus enim ſum, depoſui priſtinam conuerſationem, & nouam amplexatus ſum conuerſionem. *Priùs fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum.* 2. Tim. 1.
Fui quidem talis, iam non ego ſum, imò, *viuit verò in me Chriſtus.* Quem priùs perſecutus fueram, iam viuit in me quaſi in domo propria: non amplius viuo ille ego, qui talis aliàs fui: viuit verò ille ipſe qui me alium fecit. Iam nullum peccatum, ſed Chriſtus tantùm viuit in me. Et ſicut alius ego ſum, ita & vos alios eſſe deſidero, vellémque in vobis nullum viuere peccatum, ſed Chriſtum ſolum. Si igitur alij eſtis, ſicut & Paulus, vobis, ſicut & illi paratum eſt regnum Dei. Eſtote itaque parati, quia non niſi paratis datur regnum à Patre paratúm. Paratur autem quis per pœnitentiam, & laborum tolerantiam.

FERIA QVINTA poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

Homo quidam erat diues, &c. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius.* Luc.16.

Prou.22. NOTVM eſt illud Sapientis de diuite & paupere. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi: vtriuſque operator eſt Dominus.* Vbi ſibi obuiauerunt? Hoc petit & reſpondet Auguſti- Libr 80.hom.13. nus: Vbi, inquiens, ſibi occurrerunt? In hac vita; natus eſt ille, natus eſt iſte, inuenerunt ſe, occurrerunt ſibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: diuitem quidem fecit, vnde pauperem adiuuaret; pauperem, vnde diuitem probaret. Fœlix occurſus, ſi par inueniatur recurſus: opportunè ſibi obuiarunt, ſi inuicem ſe iuuerunt. Ideo vult Deus diuitem & pauperem hic ſibi occurrere, vt valeant ſibi ſuccurrere: ac ita ſibi in terra obuiare, quia vtrumque in cœlo vult beare. Qui enim vtrumque fecerat, vtrumque ſaluare Serm 25. de verb. Domini. deſiderat: pauperem, quia rogauit; diuitem, quia erogauit. Nam ſecundùm eumdem Auguſt. Pauperis

peris eſt orare, diuitis erogare. Audiuimus hodie duos ſibi quidem occurriſſe; ſed vnum alteri non ſuccurriſſe. Proponit nobis Euangeliſta diuitem, & mendicum: diuitem ſine nomine, mendicum Lazarum nomine: diuitem purpuratum, mendicum vlceratum: diuitem, inquam, famoſum, mendicum pannoſum; ſplendidè diuitem epulantem, micas mendicum peroptantem: diuitem ad menſam ſedentem, mendicum ad ianuam iacentem. Illos vt conſideremus, inuitat idem Doctor. Aduertite opulentiam diuitis, & indigentiam mendicantis: vnum cibis æſtuantem, & alium fame deficientem: ambo quidem homines, ambo carnales, ambo mortales, ſed non ambo æquales. Cur autem iacuerit mendicus ad ianuam diuitis, attendamus. Ibidem.

Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius. Vt diues illum intueretur, atque ita ei aliquid largiretur. Hoc notat Chryſoſt. vt ſic, vel nolens, aſpicere cogeretur diues. Erat enim iſte mendicus veluti ſcala, per quam diues ad cœlum ſcandere poterat, ſed per illam conſcendere renuit, quia nihil mendico concedere voluit. Iacebat ſcala ad ianuam diuitis, iacebat, inquam, mendicus, vt vel ſaltem micis erigeretur, & diues in cœlum dirigeretur. Hom. 1. de Lazaro.

Propterea & præterea *iacebat ad ianuam*, vt diues domo egrediens, ſtatim viam, qua itur ad cœlum, inueniret, ſi mendico ſubueniret. Via cœli, inquit Auguſtinus, pauper eſt, per quam itur ad Patrem: Incipe ergo erogare, ſi non vis errare. Eſt, inquam, pauper via cœli, quia qui dixit, *Ego ſum via*, eſt in paupere. Ille igitur ſe huic Serm. 5. de verb. Domini. Ioan. 14.

viæ

viæ committit, qui eleemoſynam pauperi mittit. Audi Chryſoſtomum. Eleemoſyna regia via eſt, quæ homines celerrimè ad cœlorum axes adducit. Sed maluit iſte epulo relicta via cœli, ſe latæ committere viæ inferni: ſi enim fameſcentem pauiſſet, viam ad cœlum ducentem inueniſſet.

Iacebat ad ianuam. Ideo etiam permiſit Dominus mendicum iacere ad ianuam diuitis, vt ſuum futurum Iudicem aliquibus donis deuinciret. Obſeruandum eſt, Dominum in die Iudicij aſſumpturum aliquos in Adiunctos, vel Aſſeſſores, quos iuxta fori locutionem appellant, qui nimirum vnà ſecum in totam hominum vniuerſitatem ſententiam dicturi ſunt. Sed quinam iſti? Non alij certè, niſi pauperes & egeni, qui-
Matth.19. bus ille dixit: *Amen dico vobis, &c. cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes*, &c. Sed quorſum pauperibus iudicium demandat? Vt diuitibus notum fiat, ſe huiuſmodi Iudices poſſe ſibi donis & eleemoſynis acquirere. *Quand les riches donnent l'aumoſne aux pauures, ils peuuent dire obliger leurs propres Iuges, à leur eſtre fauorables, lors que leur cauſe ſe iugera.* Non ſolent Iudices ſtare, aut iacere ad ianuam litigantium; ſed potiùs litigantes ad ianuam Iudicum: & tamen iſte mendicus, licèt futurus Iudex huius diuitis,

Iacebat ad ianuam eius, vt probaretur diues, & haberet, cui miſericordiam impenderet. Pulchrè
Lib. hom. Diuus Auguſtinus inducit Dominum ſic diuiti
50. hom. 47. loquentem. Plus tibi dedi, vt haberes, vnde pauperi dares; pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem:

barem : non quia ambobus non habui vnde darem, ſed per pauperem volui te probare. Idem Doctor eumdem Dominum hæc diuiti etiam inducit exprobrantem. Quid tibi ſoli vendicas, quod ambobus dedi ? Quare tu ſolus comedis, quod ambobus creaui? Arrigant aures diuites, audiántque pauperes clamantes, videántque iacentes, & quod etiam ipſis creatum eſt, diuitibúſque conceſſum, expoſtulantes. Ibidem.

Iacebat ad ianuam. Erexerat Dominus altare, ſiue aram ad valuas, & ad ianuam domus huius diuitis, dum ibi iacere Lazarum permiſit. Super illam aram poterat diues offerre ſacrificia ſuarum eleemoſynarum, ad expiationem ſuarum culparum : ſed adeò fuit parcus, adeò tenax & auarus, vt ne quidem micas offerre voluerit: maluit eas cadere in terram, quàm reponi & offerri ſuper illam aram. Non mirum igitur, ſi illum Abraham exaudire renuerit, cùm ſuper illam aram nihil ab eo oblatum fuiſſe animaduerterit. Quòd autem pauperes ſint veluti altaria, teſtatur Chryſoſtomus. Cùm vides, inquit, pauperem, aram Chriſti te videre puta, & reuerere, ac eleemoſynæ ſacrificium offer, ex quo gloria, & gratiarum actio, quaſi fumus aſcendat ad Deum. Quòd verò diues nihil ſuper iſto altari obtulerit, conqueritur D. Chryſologus. De tantis diuitiis nec victum dedit pauperi, nec ſacrificium Deo minima oblatione dependit. Hom. 13. in Epiſt. 2. ad Cor. cap. 10. Serm. 66.

Accedunt nunc pauperes ad ianuas Eccleſiarum, vt priùs foris illa altaria eleemoſynarum intueamur, quàm intus cætera altaria, in quibus offertur pretioſi corporis & ſanguinis

Domi

viæ committit, qui eleemoſynam pauperi mittit. Audi Chryſoſtomum. Eleemoſyna regia via eſt, quæ homines celerrimè ad cœlorum axes adducit. Sed maluit iſte epulo relicta via cœli, ſe latæ committere viæ inferni: ſi enim fameſcentem pauiſſet, viam ad cœlum ducentem inueniſſet.

Iacebat ad ianuam. Ideo etiam permiſit Dominus mendicum iacere ad ianuam diuitis, vt ſuum futurum Iudicem aliquibus donis deuinciret. Obſeruandum eſt, Dominum in die Iudicij aſſumpturum aliquos in Adiunctos, vel Aſſeſſores, quos iuxta fori locutionem appellant, qui nimirum vnà ſecum in totam hominum vniuerſitatem ſententiam dicturi ſunt. Sed quinam iſti? Non alij certè, niſi pauperes & egeni, qui-
Matth. 19. bus ille dixit: *Amen dico vobis, &c. cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes*, &c. Sed quorſum pauperibus iudicium demandat? Vt diuitibus notum fiat, ſe huiuſmodi Iudices poſſe ſibi donis & eleemoſynis acquirere. *Quand les riches donnent l'aumoſne aux paures, ils peuuent dire obliger leurs propres Iuges, à leur eſtre fauorables, lors que leur cauſe ſe iugera.* Non ſolent Iudices ſtare, aut iacere ad ianuam litigantium; ſed potiùs litigantes ad ianuam Iudicum: & tamen iſte mendicus, licèt futurus Iudex huius diuitis,

Iacebat ad ianuam eius, vt probaretur diues, & haberet, cui miſericordiam impenderet. Pulchrè
Lib. hom. Diuus Auguſtinus inducit Dominum ſic diuiti
80. hom. 47. loquentem. Plus tibi dedi, vt haberes, vnde pauperi dares; pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem:

barem : non quia ambobus non habui vnde darem, ſed per pauperem volui te probare. Idem Doctor eumdem Dominum hæc diuiti etiam inducit exprobrantem. Quid tibi ſoli vendicas, quod ambobus dedi ? Quare tu ſolus comedis, quod ambobus creaui? Arrigant aures diuites, audiántque pauperes clamantes, videántque iacentes, & quod etiam ipſis creatum eſt, diuitibúſque conceſſum, expoſtulantes. Ibidem.

Iacebat ad ianuam. Erexerat Dominus altare, ſiue aram ad valuas, & ad ianuam domus huius diuitis, dum ibi iacere Lazarum permiſit. Super illam aram poterat diues offerre ſacrificia ſuarum eleemoſynarum, ad expiationem ſuarum culparum : ſed adeò fuit parcus, adeò tenax & auarus, vt ne quidem micas offerre voluerit: maluit eas cadere in terram, quàm reponi & offerri ſuper illam aram. Non mirum igitur, ſi illum Abraham exaudire renuerit, cùm ſuper illam aram nihil ab eo oblatum fuiſſe animaduerterit. Quòd autem pauperes ſint veluti altaria, teſtatur Chryſoſtomus. Cùm vides, inquit, pauperem, aram Chriſti te videre puta, & reuerère, ac eleemoſynæ ſacrificium offer, ex quo gloria, & gratiarum actio, quaſi fumus aſcendat ad Deum. Quòd verò diues nihil ſuper iſto altari obtulerit, conqueritur D. Chryſologus. De tantis diuitiis nec victum dedit pauperi, nec ſacrificium Deo minima oblatione dependit. Hom. 12. in Epiſt. 2. ad Cor. cap. 10. Serm. 66.

Accedunt nunc pauperes ad ianuas Eccleſiarum, vt priùs foris illa altaria eleemoſynarum intueamur, quàm intus cætera altaria, in quibus offertur pretioſi corporis & ſanguinis Domi

Domini ſacrificium, quod tantò plus tibi proderit, quantò libentius & largiùs pauperibus contuleris. Qua fronte audes à Domino intra Eccleſiarum regnum cœleſte, aut aliquid aliud magni momenti poſtulare, qui auſus es eidem Domino in paupere extra Eccleſiam obolum denegare? Recordare Petri, qui antequam in templo ſuas preces offerret, voluit extra templum pauperi claudo ſanitatem conferre; cui libenter aurum aut argentum dediſſet, ſi habuiſſet; ſed quod habuit, illi obtulit. Hæç obſeruans Chryſoſtomus ſic ſcribit. Aſcendunt Apoſtoli Dominum deprecaturi: ſed preces claudi non poterant aſpernari. Præueniuntur precibus preces: rogantem claudum rogaturi antè audiunt, quàm precentur: nec permittit claudus orare illos, quos petit, niſi priùs acciperet, quod ipſe optauit, vt antè ab eis quod voluit impetraret, quàm ipſi à Domino, quod volebant expeterent.

Tom. 5. Serm. de Martyribus.

Iacebat ad ianuam, tanquam gazophylacium. Nam ſecundùm Chryſolog. Manus pauperis gazophylacium eſt Chriſti: quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Tunc Dominus ſuum gazophylacium ad epulonem mittebat, quando ad ianuam domus eius Lazarum iacere permittebat. Vtinam ſaltem diues iſte duo in illud miſiſſet minuta, ſicut illa vidua à Chriſto laudata; ſi ſaltem micas de menſa cadentes miſiſſet, & à Domino commendaretur, & non damnaretur; quia non tam Lazaro, quàm Chriſto dediſſet. Nam teſté Gregor. Quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cœlo datis. Sed quia nihil

Serm. 8.

Marc. 12.

Hom. 40. in Euang.

nihil in illo gazophylaico repoſuit, illum meritò Dominus tandem de ſtatu ſuo depoſuit. Solet enim deponere potentes de ſede, & exaltare humiles. Quibus autem fuiſſet iſtud gazophylacium rèpletum; aut quibus contentus fuiſſet iſte mendicus, audiamus.

Cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. Sua iſte pauper quærebat, quando de micis diuitis ſaturari cupiebat. Nam iſtæ micæ diuiti ſupererant, quia de menſa in terram cadebant. Quod autem eſt diuiti ſuperfluum, reſtat indigentibus proprium. Vnde Chriſtus apud Lucam præcipit, vt quæ ſuperſunt dentur; quia non pertinent ad eos quibus ſuperſunt, ſed ad pauperes. Superflua diuitum, inquit Auguſtinus, neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ retinentur, cùm ſuperflua poſſidentur. Itaque iſte diues, non ſolùm tanquam epulo & purpuratus; ſed & tanquam latro fuit iuſtè æternis flammis adiudicatus. Nam teſte etiam Diuo Chryſoſt. Non communicare pauperibus, eſt rapinam in illos exercere, illorúmque fraudare vitam, quia non noſtras, ſed illorum res detinemus. Quod præcipuè intelligitur de his quæ ſuperſunt. Quòd ſi diues dicat ſe nihil habere ſuperflui, ſanè ſimilis erit latroni, furtum quod eſt apud ſe, neganti. Nullus enim diues eſt, qui aliquid non habeat quod commodè dare pauperi valeat. Optabat ergo Lazarus quod ſuum erat.

Luc. 11.

In Pſal. 147

Conc. 2. de Lazaro.

Simile.

Obſeruandum eſt, Lazarum micas quidem optaſſe, ſed non poſtulaſſe: erat enim *cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis.*

Caden

Cadentia petere non audebat, quia non decebat: nam quæ cadunt, brutorum potiùs ſunt, quàm hominum. Hoc agnouit Chananæa, dum
Matth.15. dixit, *Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Impij non tantùm cadentia exoptant, ſed & poſtulant. Lucifer cadentium primus, maximè cadentia quærit, nullus ante
Iſai. 14. ipſum ceciderat; *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Et quia cecidit, omnes vellet cadere, aut ſaltem cadentia petere: etiam ipſi Chriſto ſua-
Matth.4. debat caſum, eíque multa promittebat, *ſi cadens*, aiebat, *adoraueris me.* Illi cadunt, qui diabolo inſeruiunt, & cadentia petunt, velut hic epulo, qui etiam in inferno petebat ab Abrahamo, vt cadere faceret in os eius guttulam aquæ. Cadentia quærebat, quia dum viueret, cadentibus inhiabat: Lazarus autem cadentes micas appetiit, non petiit.

Sed nemo illi dabat. Quò deueniebant tot micæ, quæ de menſa diuitis cadebant? fortè illas catelli, aut gallinæ comedebant. At non debebant hæc animalia, nec debent, ô diuites, bruta comedere, quæ pauperum ſunt: non eſt enim panis filiorum mittendus canibus, aut ſimilibus animalibus, ſed hominibus indigentibus. Vel fortè iſtæ micæ deperibant & deperdebantur: malebat enim iſte epulo eas perire, quàm ex eis mendico ſubuenire. De illis erat, de qui-
Epiſt. 2. ad Donat. bus Diuus Cyprianus. Poſſident, ait, ad hoc tantùm, ne poſſidere alteri liceat. Quibus tandem
Iac. 5. dicetur; *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum, & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium*

nium vobis erit, & manducabit carnes veſtras. Quaſi dicat Apoſtolus : Sinitis putreſcere potiùs diuitias veſtras, & veſtimenta veſtra à tinea corrodi, & aurum veſtrum æruginare, quàm ea pauperibus erogare: potiùs, inquam, aurum rubiginem contraheret, quàm illud ex vobis pauper extraheret.

Mementote, quòd ſicut metalla ærugine obducuntur, quæ oleo non vnguntur; ita carnes veſtræ defectu olei miſericordiæ, ab ærugine comedentur. O bis miſeros auaros, qui tantis laboribus congregant diuitias, eaſdem grauiſſimis tormentis amiſſuros! Quid ex illis præter anxietates, & moleſtias conſequuntur in hoc ſæculo, & perpetuos ignes, vermeſque in futuro? Ærugo namque illa quæ illorum theſauros vitiat, eos coram Deo accuſabit crudelitatis & impietatis, quia maluerunt eos conſumi, quàm à pauperibus aſſumi. Certè meliùs ſibi conſulerent, ſi pauperibus diſtribuerent. Seruares tibi, ſi diſpertires aliis, ait Ambroſius. Lib. de Nab. cap. 7.

Quomodo iſte epulo dediſſet mendico aurum, argentum, vel aliquod veſtimentum, cùm ipſas micas de menſa cadentes denegaret? Væ illi, qui propter ſuperflua perdit neceſſaria, & qui maluit in terra micas perdere, quàm in cœlo reponere; & cui denegatum eſt regnum, quia denegauit nummum, & qui dando pauperi, dediſſet ſibi. Audiamus Chryſologum. Quicquid pauper acceperit, mox reponit: quod enim ſuſcipit, ne in terra pereat, reponit in cœlo. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt Serm. 8. de eleemoſyna.

accipias totum. Da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Micas de menſa cadentes non tantùm diues iſte non comedebat; ſed nec eas mendico dare, nec ab aliquo illi dari curabat. *Nemo illi dabat.* Meritò igitur illud Lazarus conquerendo dicere potuit,

Virg. eclog. 2. *O crudelis homo, nihil hæc mea vulnera curas?*
Nil noſtri miſerere? mori me denique coges?

Cæterùm vocat Diuus Chryſoſtomus hunc Lazarum communem Doctorem: Communis, inquiens, Doctor Lazarus propoſitus eſt rem quamcunque moleſtam patientibus. Docet nos iſte Doctor, non verbo, ſed patientiæ exemplo. Et quid docet? Deum in tribulationibus non incuſare: diuitibus non inuidere: deneganti nobis auxilium non obtrectare, atque æquo animo tolerare, quæ non poſſumus euitare. Pauper quidem erat, ſed non voluntarius: premebatur fame, ſed præter voluntatem: vulneribus, quæ noluiſſet, erat plenus: iacebat humi & ad ianuam, qui libenter intra domum iacuiſſet in lecto: micis carebat, qui de illis ſaturari cupiebat: potiùs optaſſet famulos paſcentes, quàm canes lingentes: à quopiam poſcebat, quod nemo illi dabat.

Hom. 1. de Lazaro & diuit.

Verùm, quia in his omnibus, quæ inuitus patiebatur, fuit ſemper patientia munitus, numquam blaſphemaſſe legitur, ab Angelis in ſinum Abrahæ portari meruit. Vnde de illo Theophylactus. Num in tantis malis Lazarus blaſphemabat? num conuiciabatur? num inceſſabat luxum diuitis?

Theophyl.

diuitis?num inhumanitatem condemnauit?num prouidentiam Dei reprehendebat ? Nihil horùm,ſed fortis erat & magnæ philoſophiæ.

Itaque docet iſte Doctor, poſſe nos meritum comparare in his quæ etiam nobis inuitis accidunt,ſi patienter illa toleremus.Nulla alia bona opera illum feciſſe legimus. Hoc ſolùm nobis conſtat , quòd omnia mala ſibi aduenientia patienti animo ferebat, ſicque partem cum Abraham habere meruit , non tam bona faciendo, quàm mala patiendo. Hoc egregiè obſeruat idem Chryſoſtomus. Solummodo patiebatur, & viriliter portabat,cùm non eſſet, qui curaret: tolerabat enim dolorem venientem à vulneribus , à fame , ab aſpectu diuitis & crudelitatis eius.Interim quantas adipiſci meruit poſtea coronas ? Et quidem nullum eius præclarum facinus inuenimus;non quòd pauperibus ſit miſertus;non quòd oppreſſis affuerit;non quòd aliud quid effecerit boni : ſed quòd ianuæ diuitis permiſerit excluſionem , & debilitatem , & canum linguas,& deſpectum diuitis contra ſe;quæ omnia laborioſa eſſe conſtabat. Magnificum autem nihil fecerat : verùm , quia tantummodo malorum iſtorum triſtitiam fortiter pertulit, Patriarchæ , quem plurimas feciſſe virtutes ſcimus , ſinem habere promeruit. Claudebatur ei ianua diuitis , cui aperiendus erat ſinus Abrahæ ; excludebatur itaque ab vno diuite, qui à diuite erat excipiendus. Non erat micis in terram cadentibus ſatiandus , qui erat ſpiritibus cæleſtibus ſociandus. Erat denique vlcerandus , qui communi doctoratu erat laureandus. Quanta

Tom. 5. Epiſt. 3. ad Olympiadem.

autem bona ex his quæ etiam inuito animo patimur, haurire poſſimus, fuſiùs diximus in noſtro Clypeo patientiæ. Lib.1.c.21.

Præterea, docet nos iſte Doctor aduerſa non eſſe ægrè ferenda, cùm Dominus præcipuè adſit in tribulatione conſtitutis: fuit enim cum Ioſeph in carcere; cum Iob in ſterquiſinio; cum tribus pueris in fornace; cum Daniele in lacu leonum; cum Paulo in profundo maris. De homine tribulato ſic Dominus apud Pſalmiſtam, Pſal.90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Aderat etiam huic mendico ad ianuam iacenti, & fameſcenti, & vlceribus pleno. Vnde Beatus Fulgentius. Epiſt. ad Gal. Attende, ait, Lazarum in vulneribus ſanum, & quidem ſine domo, ſed non ſine Domino; ſine cibo, ſed non ſine Chriſto. Non debemus igitur in tribulatione deponere animum, cùm tantum nobiſcum habeamus Dominum. Vnde ſcimus, inquit Bernardus, quòd nobiſcum ſit Dominus in tribulatione? Ex eo vtique, quòd in ipſa tribulatione nos ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, quis perſiſteret ſine eo? In tribulatione poſiti illum nobis præſentem inuocemus, vt quæ nobis immiſit aduerſa, toleremus. Vult ipſe inuocari, qui promiſit auxiliari. Pſal.49. *Inuoca me in die tribulationis; eruam te,* &c. Eripuit autem Lazarum, quando poſt mortem tradidit illum Angelis, in ſinum Abrahæ deportandum. Nam

Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Qui ferebat, modò fertur: qui Angelos habebat ſuam miſeriam ſpectantes, illos habet animam ſuam portantes: nec eſt dubium, illum habuiſſe Angelos, cùm ſecum

habuerit

habuerit Regem Angelorum. In æternum micabit in cœlo, qui micas aliquando cupiebat in terra. Non eſuriet amplius ſurſum, qui hic fameſcebat deorſum.

Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Non fortunæ alea, ſed iuſtiſſima Dei ſententia, boni aſcendunt ad palmam, mali deſcendunt ad flammam. Exclamet igitur Chryſologus. Immutatio quanta rerum: quò deſcendit diues? quò pauper aſcendit? Reſpicit ibi ſurſum, quem deſpexerat hic deorſum. Modò petit, à quo petebatur. Ad illum diues cogitur recurrere, cui viuens noluit ſuccurrere. Quid igitur dicat, & quid poſtulet, audiamus. Serm. 124.

Pater Abraham miſerere mei. O egregium crudeliſſimi filij ad miſericordiæ patrem confugium! Sed qui noluit miſereri, patris miſericordiam non potuit mereri. Acutè idem Chryſologus. Modò, inquit, cognoſcis patrem, & modò tibi patrem ſe eſſe neſcit. Infœlix, quem ſic ipſa origo arguit. Infœlix, cui in iudicio pro magnitudine criminis non miſereri genitor, non pater ignoſcere, non affectio potuit ſubuenire. Quid homini miſerius euenire poterit, quàm à diuino Patre agnoſci, & tamen ab eo non admitti, ſed deſeri? Quis illius miſerebitur, qui iuſtè à patre derelinquitur? Quis illum non abominatur, qui à patre condemnatur? Exclamet itaque Diuus Zeno. Deteſtabilis certè filius, quem pater ipſe pius, quem pater damnat inuitus. Grauiſſima ſunt crimina, quæ tam pium patrem cogunt ne exaudiat precamina. Audiamus igitur, & ſubueniamus, dum clamat frater, Serm. 3. Serm. 3. de Iſai.

vt nos clamantes exaudiat Pater.

Mitte Lazarum, &c. Poſtulabat miſer, vt Lazarus veluti hamus ad ſe, & ad fratres ſuos mitteretur, vt eum & eos Abraham illo hamo piſcaretur. Sed, nunquid Abraham piſcator erat? Reuera fuit piſcator, quando bonorum ſuorum extitit diſpenſator: ſuis diuitiis, tanquam hamo vtebatur, quando illas pauperibus largiebatur. Illum piſcantem, & Angelos capientem deſcri-
Conc. 3. de Lazaro. bit Chryſoſt. Quemadmodum piſcator iacto in mare reti, piſcem quidem attrahit; attrahit autem frequenter & aurum & margaritas: ita & Abraham captans homines, piſcatus eſt tandem & Angelos. Vtinam diues epulo micas Lazaro dediſſet, quia tunc hamum miſiſſet, quo non tantùm Lazarum, ſed & Angelos, ac vitam æternam piſcatus fuiſſet. Per hunc Lazarum ad eius ianuam iacentem, volebat Deus piſcari iſtum diuitem: & quia hoc hamo capi noluit, in infernum mergi meruit. Non eſt igitur Lazarus amplius mittendus, qui non eſt amplius ſubueniendus, nec damnatus capiendus.

Mitte Lazarum, &c. Ab eo petit eleemoſynam, cui dare recuſauit. Iuſto Dei iudicio, eo ſæpe quis indiget, quem ſpreuerat. Fratres Ioſeph ad ipſum tempore famis coactè recurrerunt, quem ſponte vendiderunt. Verificatur, quod Iobo in ſterquilinio ſedenti dicebatur,
Iob. 11. *Requieſces, & deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Nunc iſte epulo optabat, non faciem, ſed ſaltem extremum digiti Lazari, & vellet vt ad ipſum de ſinu Abrahæ mitteretur, qui ad eum de menſa ſua nec micas quidem cadentes mittere

tere voluit. Probat Diuus Chryſologus Lazarum nullo modo eſſe mittendum, dum hunc damnatum attendit dicentem, *Mitte Lazarum*, Serm. 122. atque eum ſic interrogat. Quò? ad infernum de gremio, de ſolio ſublimi ad profundiſſimum chaos; ad tormentum, ad ſtridorem de tanta requie? Quaſi dicat Abraham: Noluiſti, vt micæ exirent de ſub menſa tua ad Lazarum eſurientem; & vis, vt de meo ſinu mittam illum ad te ſitientem. Nullum detrimentum recepiſſent micæ ad Lazarum miſſæ; hic verò multa pateretur, ſi ad te & ad locum tormentorũ mitteretur. Non decet quieſcentem inquietare. D. Chryſoſtomus hunc epulonem irridendo interrogat. Conc. 3. de Lazaro. Cùm proximus eſſet Lazarus præteribas; nunc cùm procul abeſt, inuocas? Quem frequenter ingrediens & egrediens non videbas, hunc procul ſemotum diligenter aſpicis? Hunc ſibi ſubuenientem habuiſſet, ſi ad ianuam iacentem pauiſſet. Illum à longè reſpiciebat, quem dum viueret deſpiciebat. Quid, miſer, vis a Lazaro?

Vt intingat extremum digiti ſui in aquam, &c. Dicunt aliqui hunc hominem aquam iuxta ſe habuiſſe, ſed ex ea ſumere ei non licuiſſe. Quare? Reſpondet Chryſologus, poſtquam illum Serm. 102. ſic interrogauit. Quid eſt, quod dicis, *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam?* Ergo iuxta te eſt aqua. Si iuxta te eſt, quare de proximo non ſumis? Quare? quia vinctæ ſunt manus tuæ. Damnati non tantùm nihil inueniunt in manibus ſuis; ſed nec manus proprias, quibus vel aquã hauriant, inuenire poſſunt. Illis maximè congruit, quod Dauid Aſſyriorum fero-

Pſalm. 75. cientem ſuperbiam ridens, dicebat; *Dormierunt ſomnum ſuum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Diuus Hieronymus hæc ſignificantiùs explanat, dum ſic legit, *Non inuenerunt omnes viri exercitus manus ſuas.* Sanè hæc eſt omnium damnatorum extrema miſeria, quòd non habeant non tantùm bona ſua in manibus ſuis; ſed nec manus ſuas inueniant, vt aliquid ſolatij ſibi hauriant. Sed quid mirum, cùm ligatis manibus & pedibus proiecti ſint in tenebras exteriores? Non debuit prætereà ille epulo habere manus ad ſumendam ſibi aquam, qui nec propriis, nec aliorum vſus eſt manibus ad clargiendam Lazaro micam. Præterea, teſte Gregorio Nyſſen. Homil. de beatitud. Miſericordiæ ſtilla commiſceri, atque communicari cum inhumànitate non poteſt: idcirco miſericordiam ſibi præcidit. Hic ſua inhumanitate, & miſericordiam, & manus ſibi præciderat.

Mitte Lazarum, vt intingat, &c. Nullus debet diuiti inuidere, cùm illum videat nunc aquæ guttula indigere, atque ad eam poſtulandam plurimùm laborare, eámque non poſſe obtinere. In hoc mundo torquentur diuites abundantia, & in futuro indigentia. Quòd autem mali diuites torqueantur hic abundantia, teſtatur ille Luc. 12. qui apud Lucam anxiè clamabat; *Quid faciam?* Vide illum tam plenum anxietatibus, quàm facultatibus: dolebat enim, quòd non haberet, vbi tantam reponeret frumenti copiam. De illo Serm. 8. ſic Ambroſius. Quis non talem miſeretur? Quis infœlicitatem eius non doleat? Anguſtatur ex abundantia, coarctatur ex opulentia. Et, vt video,

deo, ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit. Quomodo non dolebit in inferno præ triſtitia, cùm gemere hic incipiat præ abundantia? Subiungit idem Doctor. Infœlix in præſentibus bonis, infœlicior in futuris. Infœlix, quia hic laborat, inſudat, ſeſe excruciat in acquirendis, & aſſeruandis diuitiis: infœlicior, quia in futuro eis non potitur, imò æternis & cœleſtibus priuatur, & igne tartareo adiudicatur.

Vnde Apoſtolus Iacobus ſic diuitibus loquitur; *Vlulate in miſeriis veſtris.* Non dicit, in miſeria, ſed in miſeriis: quia nimirum duplex miſeria contingit diuitibus auaris; illa, qua in hac vita, dum quærunt ditari, afficiuntur; & ea, qua in futuro ob nimiam ipſorum auaritiam torquentur. Hinc Diuus Chryſoſtomus obſeruat, Euangeliſtam dum de hoc diuite loquitur, non dixiſſe, *cùm eſſet in tormento*, ſed, *cùm eſſet in tormentis*. Multa enim tormenta, tam in hac vita, quàm in alia, ſibi acquiſiuit. Iac. 5.

Mitte Lazarum, vt intingat, &c. Volebat aquæ guttula refrigerari, quia deſiderabat à tanta miſeria ſubleuari. Modico ſtillicidio credebat fortè liberari à tanto incendio. Sed, ait quidam Pater, parum petiit, ideo fortè non impetrauit. Non ſic impij, non ſic: non ſic, inquam, pro modica ſatisfactione, eripitur quis ab æterna damnatione. Legitur in vitis Patrum, quòd quidam dæmon aëreus, ne ad infernum deſcenderet, promittebat ſe motu continuo aſcenſurum, & deſcenſurum ſcalam igneam à terra in cœlum pertingentem, vſque in diem Iudicij: & tu Abbas Cellen. lib. de 5. panibus, cap. 15.

ó epulo, pro tantorum tormentorum compenſatione digito pura aqua madido petis lauari? Exiſtimas peccator, vel minima pœnitentia à tantis pœnis liberari? Audi eumdem Patrem. Plenam itaque manum ſanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum expoſcat conſcientia de grauibus confitentis, tingat digitum in locum clauorum, & mittat manum ſuam in latus Saluatoris: vt, ſicut animam ſuam pro nobis poſuit moriendo ipſe Dominus; ſic iſte conſcientiam ſuam pro ſe exponat confitendo, & pœnitendo. Grauiter doleat, qui grauiter ſe peccaſſe agnouit. Inceſſanter pœniteat, qui inceſſabiles inferni pœnas euitare deſiderat.

Ibidem.

Qui voluerit inferni vitare ſupplicium, Auguſtini ſequatur conſilium. Præcipitare miſer homo in profundum immoderatæ mœſtitiæ, qui ſponte præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ. Obruere, infœlix, mole terribilis doloris, qui libens corruiſti in cœnum infernalis fœtoris. Volutare in gurgite amaritudinis, qui volutatus es in volutabro turpitudinis. Quia neceſſarium eſt flere peccatorẽ, vel hic, vel in futuro. Sit ergo pœnitentia continua & amara comes ætatis noſtræ. Expende hæc vltima verba. *Sit pœnitentia continua comes ætatis noſtræ.* Habeas tecum pœnitentiam; vel, te pœnitentia ſemper hic comitetur, vt æternum incendium euitetur. Malè igitur precatur iſte epulo, dum petit ad ſe mitti Lazarum cum guttula aquæ, qua non poterat liberari, nec refrigerari.

Lib de cord. contr.

Vt refrigeret linguam meam. Non eſt infernus locus refrigerij, ſed ſupplicij; nec inuenitur refrigerium

gerium in vnius guttulæ immiſſione, ſed in peccatorum remiſſione. Meliùs optabat, qui ita orabat, *Remitte mihi, vt refriger priuſquam abeam*, &c. In alio ſæculo diues refrigeriū inueniſſet, ſi hic ante mortem pœnitentiam egiſſet: anima enim refrigerari dicitur, quando pœnitentia agitur. Vnde Chriſtus, cùm poteſtatem remittendi peccata Apoſtolis conferret, *inſufflauit eis*. Flatu hanc poteſtatem contulit, fortè vt innueret animam maximè peccatorum remiſſione refrigerari. Ioan. 20.

Iſte autem epulo magis optabat linguam ſuam refrigerari, quàm animam. Plus illum cruciabat pœna, quàm culpa; non dolet quòd peccauerit, ſed quòd crucietur. *Crucior in hac flamma.* Huic ſunt ſimiles, qui magis curant de lingua refrigeranda, & de ſtomacho dapibus implendo, quàm de anima per pœnitentiam purganda. Alij etiam ſunt ei ſimiles, qui, licèt ſciant quòd vt plurimùm propter peccata veniunt aduerſa; tamen plus dolent quòd ſubeant aduerſa, quàm quòd patrauerint delicta. In hoc præcipuè differunt boni à malis, quòd boni ægrè ferunt culpam, quam ſe commiſiſſe dolent, & patienter tolerant pœnam eis debitam, dicúntque cum pio latrone; *Nos digna factis recipimus.* Mali verò libenter peccant, & ſi quid eis acciderit aduerſi, impatienter ferunt, debacchantur, blaſphemant, ac ſe excruciant; minimè dolentes quòd ea commiſerint, propter quæ Deus eis aduerſa immiſerit. Interim, poſtquam quis peccauerit, attendat, quid ei ab Auguſtino dicatur. Elige tibi In Pſal. 94. vnum ex duobus; temporalem dolorem, aut æternum laborem. Omni quippe culpæ debetur

pœna,

pœna, aut æterna, aut temporalis: hanc patienter ſubeat, qui illam euitare deſiderat.

Vt refrigeret linguam meam. Cur de lingua potiùs, quàm de alio membro conqueritur? Obſerua, hunc diuitem ſine dubio fuiſſe de numero illorum, qui, teſte Propheta, *diſperierunt inuoluti argento.* Expende (*inuoluti,*) non (*veſtiti.*) Iſte epulo non tantùm purpura induebatur, ſed & argento inuoluebatur. Qui ſolùm veſtibus induitur poteſt liberè ambulare; poterit & ſe exuere ſi velit, & dare huic galerum, alteri pallium, & vti prout voluerit ſuis manibus, & ire quò ei placuerit. At, qui eſt inuolutus non poteſt ambulare, nec manibus aliquid dare: qui enim inuoluitur, ei pedes & manus ligantur. Nullo alio membro, præterquàm lingua & oculis vtitur: oculis, vt videat quæ facienda; lingua, vt præcipiat dari, quæ danda ſunt.

Sophon. 1.

Iſte autem diues ita auro & argento, ac auaritia inuoluebatur, vt nec pedes ad peregrinandum; nec manus ad dandam eleemoſynam habuiſſe legamus. Tamen, quamuis ita eſſet *argento inuolutus,* habebat ſemper linguam liberam, qua poterat præcipere vt ſaltem micæ darentur mendico. Habebat etiam oculos liberos, quibus iacentem ad ianuam videre poterat. Sed, quia illum non reſpexit, nec ei quicquam dari præcepit, meruit præcipuè in his membris cruciari, quibus liberè vti poterat ad ſubueniendum Lazaro. Itaque illius puniuntur oculi, quando *vidit Lazarum in ſinu Abrahæ,* ſeipſum verò cingi flamma inextinguibili. Punitur lingua, quæ prohibuit ne daretur mica, aut ſaltem

vt porrigeretur, non iuſſit, & quia non iubebat, *Nemo illi dabat.*

Quòd hunc mendicum diues non viſitauerit: quòd manibus propriis non miniſtrauerit, vlceráque curauerit, excuſari poterit, cùm argento, ac ſuis inuolueretur opibus. At, quòd famulis non præceperit, vt mendico eleemoſyna tribueretur, ac plagis & vulneribus remedium adhiberetur, nullo modo excuſari meretur: nihil enim impediebat, quominus loqueretur. Audi Auguſtinum. Ipſa lingua, quæ noluit dicere, vt eleemoſyna pauperi donaretur, grauiùs gehennæ flammis exuritur. Eamdem aſſignat rationem Diuus Chryſologus: Lingua, inquiens, plus ardet, quæ miſericordia vt fieret, iubere neglexit. Serm. 227. de tem. Serm. 66.

Præterea, non eſt mirum, ſi oculi & lingua priùs & præcipuè ſint in pœna, cùm ſæpe contingat illa membra priùs eſſe in culpa. Hoc eleganter obſeruauit idem Chryſologus, dum de oculis & lingua huius diuitis loquitur. Ac primò de oculis ſic ſcribit. Gratis reſpicit modò Lazarum ſurſum, qui antè deorſum Lazarum videre deſpexit. De talibus dixit Propheta; *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Pungit pœna, quem non pœnitudo compunxit, & vexant tormenta, quem Lazari vulnera non mouerunt. De lingua autem ſic. Lingua in capite, caput mali, ipſa derogat egeno, inſultat pauperi, pietatem latrat, miſericordiam carpit: & meritò prima eſt in gehenna, in cruciatu præuia, dux pœnarum, quia ipſa interdixit miſericordiam, cui datum fuerat vt iuberet. Ibidem. Serm. 124.

Quæri

Quæritur quonam pacto anima iſtius epulonis, quæ nulla habet membra; ac etiam animæ aliorum damnatorum poſſint cruciari igne tartareo. Sanè nonnulli non poterant concipere, qualiter ſine membris poſſent torqueri: idcirco exiſtimabant animam eſſe corpoream, ſuámque hábere figuram, & membra ad modum corporis, vt interior homo reſponderet exteriori. Huius opinionis fuit aliquando Tertullianus, ſicut & quidam Ioannes Huartus Medicus in ſuo ingeniorum examine, dicens animas damnatorum igne torqueri, quia, inquit, habent ſua quaſi membra, ſiue membrorum ſimulacra, habent ſuos ſenſus, & ſenſationes.

Verùm hoc de membris falſum eſt: anima enim, vti non eſt corporea, ita propriè nulla habet membra. Illam tamen habere ſenſum, & ſenſationem probabile eſt. Nam anima rationalis cùm ſimul ſit ſenſatiua, habet in ſe radicem ſenſus & ſenſationis: verbi gratia, tactus, vt calorem, vſtionem, eiúſque dolorem ſentiat: quam quidem ſenſationem licèt naturalitèr ſine corpore exercere non poſſit; ſupernaturaliter tamen Deus poteſt in anima ſeparata hunc ſenſum & ſenſationem educere: eius enim radicem, & inchoationem habet, & retinet in ſe anima. Ita cenſent iam multi ſubtiles Philoſophi, eáque ratione explicant, quomodo ignis agat in animam: & fauet ratio; quia tota ſenſatio eſt in anima. Cùm enim oculo videmus, aure audimus, manu tangimus; ipſa viſio, auditio, & tactus perceptio non eſt in oculo, aure, manu: ſed in anima. Non enim corpus, ſed anima eſt

quæ

quæ per oculum videt, per aures audit, ſentitque per manum. Cur ergo anima ſeparata à corpore, eaſdem ſentationes per Dei virtutem & omnipotentiam elicere, & recipere non poſſit?

Nam licèt oculus, auris, manus ſit organum, & conditio requiſita, vt naturaliter fiat ſenſatio; tamen ſupernaturaliter poteſt Deus eam ſupplere, ſicut ſupplere poteſt præſentiam obiecti, vt quis oculo corporeo videat per murum ea quæ in cubiculo clauſo geruntur, vel ea quæ remotè fiunt. Itaque anima diuitis epulonis dicit ſe cruciari tartarea flamma; quia, cùm habeat ſenſationem, non mirum ſi ſentiat, potiſſimùm conſentiente, & id diſponente Domino, & ſupernaturaliter huiuſmodi ſenſationem educente.

Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala · nunc autem hic conſolatur. Illius non exaudiuntur lamenta, qui ad Lazarum non miſit nec minima panis fragmenta. Fili recordare, recordare, inquam, te nunquam voluiſſe Lazari miſereri: ſi enim in æternum ad ianuam tuam iacuiſſet, numquam illum paviſſes, nec micas dediſſes. Hunc diuitem inducit Diuus Auguſtinus lugentem, ac ſic Deo loquentem. O iuſte Iudex, vel ſecundùm peccata mea compenſentur ſupplicia iſta: vel contra ſpatia annorum meorum, quibus habui bona, mala recipiam, aut certè in duplum, vel quadruplum. Cur per tot millia annorum me teneri iubes in flamma? Cruciat me ignis & reſeruat. Sæuum eſt, quod ignoſcit. Serm. 227. de temp.

Tamen

Tamen me retur iſte, & cæteri damnati pœna æterna torqueri, quia in ſua ærnitate peccarunt: id eſt, ſi ſine fine vixiſſent, ſine fine peccaſſent. Tandiu peccauerunt, quandiu vixerunt. Voluiſſent iniqui, ait Gregorius, ſine fine viuere, vt ſine fine potuiſſent in ſuis iniquitatibus permanere. Eamdem rationem æternitatis pœnarum aſſignat Hieronymus. Ideo ſine fine pœnas luunt impij, quia voluntatem habuerunt ſine fine peccandi, ſi naturam habuiſſent ſine fine viuendi. Sunt nonnulli, qui licèt non perueniant ad effectum peccati; tamen non carent affectu, ſi opportunitas peccandi adeſſet: & tunc dicuntur peccare in ſua æternitate. Sit igitur cum ſempiterna pœna, qui voluit eſſe in ſempiterna culpa; & hoc adeò ad diuinam Iuſtitiam pertinet, ac rationi conſentaneum eſt, vt ipſi damnati, tacitè tamen, concedant, ac pœnarum æternitati conſentiant: nullus enim eſt, qui ab illis tormentis liberari poſtulet. Iſte epulo petebat quidem vtcumque refrigerari, non omnino liberari: verùm nullo modo meruit refrigerari, ſed cruciari, & eorum quæ habuerat in vita recordari.

Lib. 34. Mor.

In Prouerb. cap. 27.

Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Exclamet nunc Bernardus. Hæccine tota cauſa cruciatuum, quòd in hoc ſæculo bona recepit? Vbi ſunt crimina illius? vbi ſcelera? vbi furta? vbi adulteria? Omnia ſimul obiicit crimina, qui bona illius temporalia enumerat. Vnus id egregiè notauit Tertullianus, qui memorans diluuium, quod accidit in diebus Noë, ac incendium in diebus Loth, obſeruat, quòd Lucas nullum aliud crimen eorum dicit, ſed ſolùm ait:

Serm. ſuper, *Ecce nos, &c.*

Lib. 1. ad vxorem.

Edebant,

Edebant, & bibebant, & vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, & venit diluuium, & perdidit omnes, &c. Emebant, & vendebant, & ædificabant, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit. Quidni? Totáne cauſa perditionis, quòd emerent, quòd nuberent, quòd ædificarent? An nuptiæ, bonorum emptiones, lucra tantam aquarum alluuiem, tantum ignem, ac tot meruerunt fulgura? Pulchrè ille Doctor. Cùm dicit, *nubebant, & emebant*, inſigniora carnis vitia deſignat, quæ à diuinis diſciplinis plurimùm auocent: alterum per laſciuiendi voluptatem: alterum per acquirendi voluntatem. Non opus eſt alia explicare facinora, vbi bonorum temporalium negotia exprimuntur, vbi emptionum lucra, nubentium deliciæ proponuntur. Hæc ſufficiunt, vt humanas mentes à Deo auocent, ignibúſque addicant æternis. Satis itaque fuit Abrahæ, dixiſſe huic diuiti. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Quia inde poteſt colligi, hunc diuitem ſuis bonis abuſum fuiſſe, cùm audimus illum flammis æternis cruciari. Luc. 17

Recepiſti bona in vita tua: Lazarus ſimiliter mala. Expende (*ſimiliter.*) Quaſi dicat Abraham: Ita libenti animo Lazarus recipiebat mala, ſicut tu recepiſti bona: & ſicut tu in bonis, vel de bonis tuis nullum bonum, imò multa feciſti mala: ita ille in malis ſuis nullum fecit malum, imò quæ potuit bona, fecit. Quod enim tu ei non feciſti, ipſe fecit canibus tuis, denegaſti ei micas de menſa tua cadentes; & ipſe canibus tuis non denegauit ſaniem de vulneribus fluentem. Saltem, præter incredibilem ſuam patientiam, hoc

adhuc bonum faciebat, vt ſcilicet, ſinendo canes tuos lingere ſua vlcera, doceret qualiter erga ipſum debuiſſes te præbere, cùm ille etiam erga canes tuos humanus extiterit. Hæc obſer-
Serm. 121. uauit Diuus Chryſologus. Humanitatis ordo mutatur: fit humana mendicitas: vt cupiditas prodatur inhumana. Diues pauperẽ nec cadentibus micis de menſa paſcit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus ſuis canibus humanus extitit. Cæterùm, purgata eſt in Lazaro micarum cupiditas, micarum ſubtractione: iuſtè etiam caſtigatur nunc diuitis inhumanitas, guttularum denegatione.

Recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimiliter mala. De hac ſententia libenter ego ſentio idem quod
Homil. 40. in Euang. Diuus Gregorius: Iſta ſententia, inquiens, pauore potiùs indiget, quàm expoſitione. Paueat quiſque, ne poſt hanc vitam audiat, *Recepiſti bona.* Semper fuiſti ſanus, ſemper diues, omnia habuiſti ad nutum, tibi cuncta proſperè ſucceſſerunt. Væ, inquam, illi, cui dicetur, *Recepiſti*
Epiſt. 14. ad Iulian. *bona.* Contrà verò, fœlix, inquit Hieronymus, & omni dignus beatitudine, cui in introitu Paradiſi dicetur: Recepiſti mala in vita tua: nunc autem hic lætare.

Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Qui non potuit impetrare, vt ad ſe mitteretur Lazarus, precatur vt ſaltem ad domum patris mittatur, ſuóſque moneat fratres. Sed, quid ad illum modò de fratribus, qui partem non poteſt habere cum patribus? Illum meritò
Serm. 123. ridet Chryſologus. Cui pius, qui ſibi ſic impius? Impudenter præſumit aliis impetrare pœniten-
tiam,

tiam, qui ſibi tam crudeliter ad veniam nil prouidit. Sibi, dum viueret, debuit conſulere, qui nunc mortuus aliis prodeſſe non poteſt: ſibi autem conſuluiſſet, ſi mendici curam habuiſſet.

Malè item precatur ille purpuratus dum rogat, vt ad ſe, vel ſaltem ad fratres ſuos Lazarus mittatur. Dicere enim potiùs debuit, vt portaretur, non mitteretur. Nam ex quo Lazarus defunctus eſt, portatus eſt: *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis.* Portantur, qui à Deo remunerantur; portantur, inquam, ne vel minimo labore afficiantur. Hæc obſeruatio eſt Diui Chryſoſtomi dicentis. Ne ſaltem ambulans laboraret portabatur ab Angelis. In hac vita permittit quidem Deus iuſtos vexari, laboribus atteri, iniuriis affici, paupertate & perſecutionibus premi: at in alio ſæculo adeò eis parcit, ita ſunt ei chari, vt nolit eos ferre vel minimam moleſtiam. Vnde noluit, vt intingeret Lazarus extremum digiti ſui in aquam, ne tantillum frigiditate aquæ læderetur; & voluit, vt ab Angelis portaretur, ne itinere fatigaretur. Vide quantam Deus curam habeat de electis in alio ſæculo, qui in præſenti illos dereliquiſſe videbatur. Ergo non attendamus hic præſentem laborem, ſed futuram requiem. Noli, inquit Auguſtinus, depellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate; nec attendas, quam pœnam ſubeas in flagello, ſed quem locum teneas in teſtamento. Non nos terreat, quod patimur; ſed nos conſoletur, quod ſperamus.

In Catena.

In Pſal. 12.

Vt quid autem petebat infœlix iſte diues, vt mitteretur Lazarus ad fratres ſuos? *Vt teſte-*

tur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Tanta eſt Dei bonitas, vt, ſi agnoſceret peccatores monitione reſurgentium proficere, adhuc hoc vtetur remedio ad eorum conuerſionem. Loc. cit. Huius ſententiæ eſt Diuus Chryſoſtomus: Si, inquiens, ſciret Deus mortuos reſurgentes prodeſſe viuentibus, non hoc omitteret.

Verùm, qui non credet Scripturis, qui Prædicatores non audiet, & qui ad eorum verba non egerit pœnitentiam, proculdubio, *neque ſi quis ex mortuis reſurgeret, credet.* Miſſus eſt nobis Chriſtus, non ex ſinu Abrahæ, ſed ex ſinu Patris; vt teſtetur nobis, ne & nos veniamus ad locum tormentorum. Hoc teſtatus eſt verbo & exemplo: teſtantur & nobis quotidie diuini verbi Prædicatores terrendo, blandiendo, pœnam & gloriam nobis proponendo, ne ipſi veniamus ad hunc locum. Ad hoc vnumquemque illorum hortabatur Auguſtinus. Tract. 10. in Ioan. Prohibe, quos potes: tene, quos potes: terrê, quos potes: quibus potes, blandire. Nolite quieſcere lucrari Chriſto, quia lucrati eſtis à Chriſto. Teſtantur quidem Prædicatores; ſed conteſtantur auditores, quorum multi non credunt; alij, ſi credant, non reſipiſcunt. Non fuit itaque mittendus Lazarus, quia illi fratres non erant hac miſſione conuertendi, cùm ipſe diues non fuerit conuerſus, licèt ille mendicus ad ianuam Serm. 123. domus fuerit miſſus. Putas, inquit Chryſologus, quòd quinque fratribus tuis ſufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus ſuis, toto clamans corpore nihil profecit?

Tanto zelo ducebatur beata Catharina Se-

nenſis erga ſalutem animarum, vt libenter optaſſet ad ianuas inferni ſtare & morari, ad impediendum, ne quis iret & intraret in huiuſmodi locum tormentorum. Iacebat Lazarus, non ad ianuam inferni, ſed domus huius diuitis: ibi, inquam, permittebatur iacere, ne iſte diues ad illum locum tormentorum veniret. Deus bone, quàm paucis poterat ſibi claudere ianuam inferni! Mediantibus enim quibuſdam micis de menſa cadentibus, poterat non cadere in illud tormentum. Quòd hoc non præſtiterit, miramur, & deteſtamur: ſed increpemus noſipſos, qui illum ſæpe imitamur.

Sic itaque cum Gregorio liceat mihi dicere. Vos, ô fratres, & requiem Lazari, & pœnam diuitis cognoſcentes, ſolerter agite, culparum veſtrarum interceſſores quærite, atque aduocatos vobis in die Iudicij pauperes procurate. Multos enim nunc Lazaros habetis: ante ianuas veſtras iacent, quotidie micæ de menſa cadunt, quotidie Lazarum, ſi quærimus, inuenimus. Ecce importunè ſe pauperes offerunt, rogant, qui tunc pro nobis interceſſores venient. Nolite ergo miſericordiæ tempora perdere: nolite accepta remedia diſſimulare. Homil. 40. in Euang.

Addam & hoc ex Auguſtino, vt ſciat vnuſquiſque quid ex hac hiſtoria ſit ei colligendum. Nobis oſtenditur, inquit ille Doctor, nec in iſto paupertatem per ſeipſam honoratam; nec in illo diuitias fuiſſe damnatas: ſed in iſto pietatem, in illo impietatem ſuos exitus habuiſſe. Sic ſuſcipit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen Epiſt. 89. ad Hilar.

pium pauperem ſuſciperet ſinus diuitis. Ac ſi diceret: ille erat diues,cuius ſinus ſuſcepit pauperem. Sicut iſte epulo ſine ſua crudelitate in pauperem non damnaretur: ita nec iſte pauper ſine ſua pietate, & patientia ſaluaretur. Non prodeſt paupertas, ſi patienter non toleretur; nec obſunt diuitiæ bene partæ, ſi pauperibus erogentur.

FERIA SEXTA
POST DOMINICAM ſecundam.

Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, &c. Matth. 21.

Iſai. 5. NOTVM eſt illud Iſaiæ, *Cantabo dilecto meo canticum patruelis vineæ ſuæ,* &c. Vocat hic Propheta Chriſtum dilectum & patruelem ſuum, eo quòd ex eadem ſecum gente, ſcilicet Iudaica, eſſet naſciturus. Patruelis autem & dilectus idem ſunt: ideo quem dilectum vocauit, mox vocat patruelem, quaſi dicat:

Cantabo dilecto meo canticum, eiuſdem ſcilicet dilecti mei, qui eſt & patruelis meus. Horum ergo verborum ſenſus eſt: Lubet canere, imò præcinere meo dilecto, & patrueli, ſiue cognato, quem vnicè diligo, puta Chriſto, carmen ipſiuſmet Chriſti; quod ſcilicet ipſe cantabit vineæ ſuæ. Canticum autem Domini eſt hæc quam proponit de vinea parabola: *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim,* &c. Similia ferè verba præcinuerat idem Propheta, dum de illius vinea ſic loquebatur. *Sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas.*

Noë primum vineam plantaſſe teſtatur Scriptura, *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam,* &c. Primus Noë vites ſparſim in vnum locum, & in formam vineæ compoſuit, & ad optimarum vuarum procreationem perduxit: vnde primus vinearum ſator dicitur. Geneſ. 9.

Cur autem priùs Noë vacauerit vineæ plantandæ, quàm tritico ſerendo, quærit Ambroſ. Quid eſt, aiens, quòd iuſtus primùm vineam, & non, aut triticum, aut hordeum? Nonnullas aſſignat rationes; quibus hæc mihi videtur adiungenda. Vinea maiore cultura eget, quàm triticum: nam vt ex ea melius vinum exeat, debet eſſe in loco edito & petroſo, iuxta illud, Lib. de arca & Noë c. 29.

Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora ſyluæ.

Vepres & ſpinæ ſunt extrahendæ, terra fodien-

da, vites aliunde adducendæ, & ordinatè plantandæ, lapides eiiciendi; & vt ab omni incurſu vinea conſeruetur, neceſſe eſt ſepe circumdetur, turriſque ædificetur; & ne ſylueſcat, oportet fodiatur, palmites amputentur, ac paxilli vel baculi apponantur, vt fulciatur. Atque ita plus laboris & temporis inſumitur in ea plantanda, quàm in tritico ſeminando. Vnde meritò dicunt nonnulli, *vinea eſt tinea*. Vt igitur oſtendatur, Noëmum labori non peperciſſe, legitur vineam plantaſſe. Similiter, quando dicitur Deum tanquam patremfamilias vineam plantaſſe, eique ſepem circumdediſſe, torcular in ea fodiſſe, turrim ædificaſſe, & agricolis eam locaſſe, oſtenditur pro nobis multùm laboraſſe, ac nos plurimùm dilexiſſe; ac omnia quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, præſtitiſſe. Dicat igitur de illo Tertull. Tam pater nemo, tam pius nemo.

Lib. de pœnit. ad finem.

Videtur iſte Doctor reſpondere cuidam quæſtioni, quam quis obiectare poſſet: Cur Deus qui omnia præuidet, voluit plantare vineam, quam ſciebat labruſcas, non vuas allaturam? Vel, cur Deus plantat in vinea, id eſt, in Eccleſia vites, id eſt, homines, quos ſcit malè vſuros libero arbitrio, & non tanquam fideles, ſed infideles in ea victuros, & nulla bona opera, ſed mala eſſe operaturos? Reſpondet igitur ille. Tam pater nemo, tam pius nemo. Quaſi dicat, paternitate, ac pietate & miſericordia hoc fecit; idcirco vocatur hic *paterfamilias*. Cur malos tolerat? quia pater. Cur peccatoribus parcit? quia pater, & tam pater, & tam pius eſt, vt vellet etiam ipſos reprobos, ſi ipſi vellent, ſaluari. Quare? quia

quia tam pater nemo, tam pius nemo. Ad hoc reſpondet etiam Chryſoſt. Eos præſciens formauit, vincente præſcientiam bonitate. Id eſt, noluiſſet præſcientia formare, & in Eccleſia plantare, quos debuit iuſtitia damnare: ſed his non obſtantibus debuit bonitas ſuperare, & voluit eos creare & vocare. Vult quidem diuina bonitas ſaluare, ſed non vult humana prauitas ſaluari. Tom. 5. Ser. 1. de ieiunio.

Quærit Ambroſius, cur Chriſtus Iudæ commiſerit pecuniarum loculos, quem ſciebat ipſis malè vſurum, ipſúmque traditurum. Reſpondet. Ne videretur, aut quaſi inhonorus, aut quaſi egenus Dominum prodidiſſe; & ideo, vt iuſtificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit, &c. Expende (*vt iuſtificaretur.*) Voluit igitur Chriſtus hoc ei præſtare, ne de ipſo poſſet Iudas, aut quiuis alius murmurare. Quando itaque quæritur, cur Deus eos ad ſuam Eccleſiam vocauerit, quos præuidebat malè operaturos, & æternam damnationem incurſuros; reſpondetur, ideo talia eis beneficia contuliſſe, vt iuſtificaretur, vt ſcilicet omnibus pateret eum omnia præſtitiſſe, quæ ad eorum ſalutem ſpectare potuerant, ne aliquando ipſi dicerent, quòd ſi in vinea Eccleſiæ fuiſſent plantati, bona opera fuiſſent operati. Libr. 1. de offic. c. 7.

Præterea, non mirum, ſi Deus reprobandis, & damnandis concedat hic aliqua beneficia, ſicut contulit Iudæis ad quos nouiſſimè miſit filium ſuum, quem ipſi morte crudeliſſima affecerunt. Nam is eſt Deus, qui ſeruum aliquando fidelem, poſtea rebellem, & perniciosum non inglorium

& abſque aliqua mercede relinquat: ſed, cùm à cœleſti excludat gloria, humana illum & mundiali gloria muneret. Sic populo illi Iudaico exoſo & reprobato, hanc in mundo ſingularem gloriam dedit, vt ex illo naſceretur Rex gloriæ Chriſtus, vt propter patrata ſcelera ſacerdotio, templo, ciuitate, lege & fide priuatus, immensè gloriari poſſet de carnali cognatione cum Dei filio.

Hoc Iuſtitiæ diuinæ ingenium, atque ordinem præſagierat reprobus ille Saül, cùm audita reprobante ſententia ad mundialem hunc ho-
1.Reg.15. norem confugit: ait enim ad Samuelem. *Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei.* Quaſi hoc neceſſum eſſet in quauis reprobatione, manere reprobato qualecunque ſuffugium, nimirum mundialem honorem, popularémque fauorem, quo munerarentur antiqua ſeruitia. Quod præſtitit Deus etiam Iudæ omnium reproborum nequiſſimo, cui Chriſtus ſingularia contulit beneficia, quæ aliis diſcipulis non contulerit. Nulli enim diſcipulorum porrexit Dominus panem tinctum; *Cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ.* Nulli alteri pecuniarum loculos commiſit, vt iam diximus.

Nulli, niſi Iudæ Chriſtus ſe oſculandum præbuit. Sed cur huiuſmodi fauores viro nefandiſſimo? quia reprobandus & à cœleſti gloria excludendus erat. Planè Deus ſummè miſericors & bonus, neſcit ſeruum inhonorum & ſine aliqua mercede repellere. Similiter Deus eie-
Geneſ.3. cturus primos illos Paradiſi incolas, *fecit eis tunicas pelliceas.* Nudi non ſunt egreſſi, licèt diuinum

num mandatum ſint tranſgreſſi: non enim conſueuit Deus ſeruos nudos à ſe ablegare, quos viderit præceptum ſuum aliquandiu obſeruaſſe. Ideo, teſte Barcepha, non erat conſentaneum diuinæ miſericordiæ, nudos prorſus eliminare à Paradiſo. Illos itaque induebat, quos à terreſtri Paradiſo arcebat: aut ideo Paradiſo terreſtri illos expellebat; quia cœleſti ſeruabat. De Parad. part. 1. c. 18.

Cæterùm vnicuique homini malo in vinea Eccleſiæ plantato, Deus ſic poteſt exprobrare, & exprobrabit; *Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Quaſi dicat, quod vinitoris officium omiſi? Quid in vinea colenda neglexi? Anne in hoc peccaui quod expectaui vuas? hæccine eſt culpa, hoc peccatum meum, ſcilicet longa expectatio fructuum, & nimia mea longanimitas? hæccine ex vuis fecit labruſcas? Longa mora & tempus maturat vuas; meáne ergo ſola mora fecit immaturas? Ita Deus. E contrà homo verè dicere poteſt, & debet, ait Auguſt. Quid debui facere Domino meo quod fecerim? quis ego, qualis ego, quid non mali ego? Iſai. 5. Auguſt.

Notandum eſt, quòd ponitur hic labruſca pro fructu labruſcæ. Eſt enim labruſca vitis agreſtis, ait Plinius, quam ipſe inſanam vocat, quæ trifero prouectu, ſede uanido luxuriat. Nam in ea in eodem tempore alia matureſcunt, alia turgent, alia florent; ſed nihil maturum eſt & vtile: oſtentant enim fructum potiùs, quàm porrigunt. Sic ſunt nonnulli in hac Eccleſiæ vinea diuinis præceptis, ſanguine Chriſti, ac Sacramentis exculta, qui nullum fructum bonorum

operum

operum producunt,aut quaſi nullum;quia ſi aliquem producant, eſt veluti labruſca;non maturatur,quia conditionibus requiſitis priuatur. Si enim, verbi gratia,ieiunent, volunt videri ieiunantes: vel ex illorum abſtinentia non ſubleuatur pauperum inopia; cùm refectio pauperis debeat eſſe abſtinentia ieiunantis.Similiter illorum eleemoſynæ non carent laudis cupidine: ſi peccata confiteantur, quærunt Confeſſarios aut ignaros, aut nulla contritione, aut ſaltem attritione tanguntur. Ita ſi orent,ſunt illorum orationes abſque vlla attentione.Atque ita illorum opera,non vuæ,ſed ſunt labruſcæ inſipidæ, & inutiles.

Itaque adueniente tempore vindemiæ,id eſt, hora mortis, aut die Iudicij, ſic conqueretur Deus. *Factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non eſt botrus ad comedendum.* Id eſt, viſis videndis, examinatis examinandis,non inuenio in homine peccatore quæ colligi & remunerari mereantur; imò omnia digna ſunt æterna damnatione.Sunt quidem botri, vel racemi, ſed non ad comedendum apti: video quidem opera, veluti eleemoſynas, orationes,ieiunia, ſed omnia ſunt agreſtia,& veluti labruſcæ, & nulla remuneratione digna; video vites, video palmites,ſed fructu carentes,video inquam homines ſteriles abſque bonis operibus.

Mich.7.

Si lignum vitis ſterileſcat, ad nihilum valet, niſi ad comburendum. Audi Dominum ad Prophetam: *Fili hominis,quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus,vt dependeat*

Ezech.15.

deat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum eſt in eſcam, vtramque partem eius conſumpſit ignis. Nunquid vtile erit ad opus? Deus noluit nos eſſe viridarium, nec nemus, ſed vineam, vt non flores, non frondes, non ramos, ſed fructum feramus. Aliæ plantæ etſi ſteriles ſint, proſunt tamen ad trabes, ad naues, ad haſtas, ad vaſa, & ad plurima ædificiorum genera: at vitis infructifera ad nihil prodeſt, niſi ad ignem. Ideo author naturæ Deus, cùm ſciret vitem ad nihil aliud ſi ſterileſceret prodeſſe poſſe, niſi ad ignem, cæteris plantis reddidit feraciorem. Eſt enim vitis adeò ferax, vt ſic ſcribat Plinius. Inuenimus vitem ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite, aut ramis. Lib. 17. cap. 25.

Quemadmodum igitur inter omnes plantas nulla eſt iucundior vite frondoſa & fructuoſa, nulla gratior, nulla vtilior: ita ſi exareſcat, aut ſterileſcat, nulla eſt triſtior, nulla deformior, nulla inutilior. Adeò eſt grata vitis fertilis, vt ad illam videndam ſe mutuò inuitent ſponſus & ſponſa; ſic enim hæc ad illum. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, &c. *vinea noſtra floruit.* Cant. 7. Et alibi ille ad hanc. *Surge propera amica mea*, &c. *vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Si ille debeat egredi, & hæc ſurgere & properare ad flores duntaxat videndos, quid ad fructum videndum, colligendum & comedendum? Ita nihil eſt gratius, nihil iucundius homine bene operante, & fructus dignos pœnitentiæ ferente. Vinum non tam *lætificat Deum & homines*, ſicut bona noſtra opera ipſummet Deum & Angelos. *Gaudium eſt enim Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam* Cant. 2. Iud. 9. Luc. 15.

tentiam agente: è contrà nihil eſt iniucundius, nihil pernicioſius, nihil damnabilius, nihílque inutilius homine ſterili; vel bonis operibus carente. Ideò in generali illa vindemia reiicietur,
Matth.25. *Diſcedite.* Maledicetur; *maledicti.* In ignem mittetur, *in ignem æternum.* Quare? *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c.

Quid enim fieri poteſt de homine impio? Si fiat Sacerdos, erit alter Iudas. Si Diaconus, fiet ſicut ille Nicolaus à quo hæreſis Nicolaitarum. Si Prædicator, euadet hæreſiarcha, vt Lutherus, Caluinius, &c. Si Rex, erit alter Herodes & tyrannus. Si Iudex, erit vt Pilatus. Si Medicus, fiet veneficus. Si mercator, mentietur, decipiet. Si miles, furabitur, mœchabitur, prodet, vaſtabit. Si agricola, vinitor, aut meſſor, ſtabit tota die otioſus. Ita vt meritò ei
Iſai. 2. dici poſſit, quod olim Sobnæ, *Quid tu hic? aut quaſi quis hic?* Itaque *quid fiet de ligno vitis?* Quid de peccatore? Si fiat muſicus, diſſonabit. O qualem diſſonantiam reddit peccator! Cum nemine poteſt conuenire, ideo ab omni choro reiicitur. Vis hoc videre? Regius Pſaltes Dauid ad diuinas laudes decantandas plurimos cantores inuitauit, vt duos choros, ſcilicet ſuperiorem & inferiorem componeret. Ad ſuperiorem inuitantur Angeli, imò & multæ creaturæ ſenſu
Pſalm. 148. carentes ſuperiùs exiſtentes. Audi. *Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.*

Ad

Ad chorum verò inferiorem inuitantur, qui & quæ ab ipſo Dauide eodem pſalmo memorantur. *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyſſi: ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ, & vniuerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes Iudices terræ. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini*, &c. Obſeruat Chryſoſtomus, nullum inuitari peccatorem in hac recenſione rerum ſuperiorum & inferiorum, ſenſibilium & intelligibilium, cum tamen inuitentur bruta, imò venenata, inanimata; [illegible] abigi & ſubmoueri, & veluti à cithara bene modulata chordam diſſonam reſecari; tanquam membrum putrefactum amputari, è ſacra patria vltra vltimos fines, ac pomeria expelli. Nam *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Audiamus hunc Doctorem. Vidéſne hic peccatorem? Serpentes & dracones inuitantur ad laudandum Deum, à quo ſunt conditi: ſolus peccator ab hac ſacra chorea ſubmotus eſt, ne reliquarum vocum harmonia vitietur, &c. Vtiliorã ſunt ipſa bruta; imò inſenſibilia homine peccatore, ideo ad iſtos choros inuitantur, & ipſe derelinquitur. Quòd ſi non ſit aptus ad Deum laudandum, quantò minùs ad eum videndum, eóque fruendum? *Quid igitur fiet de ligno vitis?* Quid, inquam, de peccatore? Ex ipſo nihilo fecit Deus cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt: ſed ex peccatore nihil quicquam poteſt fieri; erit igitur nihilo inutilior. Ad nihilum valet vltrà, niſi

Homil. cùm presby. eſſet deſignatus.

Eccleſ. 15.

vt

vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, & crucietur à dæmonibus, & comburatur ignibus. Eſt peccator *telluris inutile pondus.* Aduertendum eſt, Deum per illum Prophetam de
Mich. 7. vite ſterili dixiſſe; *vtramque partem eius conſumpſit ignis.* Lignum vitis cùm facilè ardeat, citò vtraque extremitas igne depaſcitur. At ex aliis lignis igni iniectis remanent titiones, ex quibus paxillus, aut aliquid aliud fieri poteſt. Sic homo ſterilis ſecundùm vtramque partem, id eſt, ſecundùm corpus & animam, in ignem proiectus comburetur.

Sicut autem vitis, vt fructum afferat, debet putari, ſecari, & fodi, ſiue ablaqueari, hoc eſt, debet terra effodi, quæ ad radices eius erat. Nulla eſt planta quæ magis præſcindatur & cultura exerceatur, quàm vitis. Nam ſingulis quibuſque ánnis neceſſe eſt effodiatur, & amputetur, ac ſuperflua præſcindantur. Cæteræ autem arbores non indigent tanta cultura, nec tam crebris præſciſſionibus. Sic nulla eſt creatura quæ magis cultura, exercitatione & flagellatione indigeat, quàm homo, vt fructus Deo gratos afferat: non enim comeſſationibus, potationibus, voluptatibus fit homo Deo gratus. Attende qualiter nónullæ vites huius vineæ Eccleſiæ
Hebr. 11. fuerint olim cultæ & exercitatæ. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, &c. anguſtiati, afflicti,* &c. Eſto illis ſimilis, vt ſis Deo amabilis: vt bonos fructus ſicut & ipſi feras, & tandem præmium referas, neceſſe eſt, ſimilia perferas: patere amputari, ſi non vis flammis æternis deputari. Nulla fit viti iniuria, ſi ab ea reſecantur ſuperflua; nam tot

ſunt

ſunt ei impedimenta quot nimia ſarmenta. Oportet igitur abſcindatur, quo vitis luxuriatur. Ita, neceſſe eſt hominem in hac vinea Eccleſiæ plantatum, laboribus & flagellis exercitari, vt bene poſſit operari; decet illum priuari, quibus poſſet luxuriari. Sicut igitur vites purgantur, quando eis ſarmenta amputantur: ita homo nunquam meliùs purgatur, niſi dum diuitiis, imò ipſa ſanitate priuatur. Vnde Auguſt. ſic de tribulatione. Fili, inquit, quid ploras? medicina eſt, non pœna; purgatio, non damnatio. Cùm putatur vitis, quaſi flere, lacrymulaſque fundere videtur. At cùm autumni tempore ſuauiſſimis vuis abundat; certè ſi rationis particeps eſſet, putatori gratias ageret, vehementérque lætaretur. Sic etiam nos labores à Deo optimo illatos, læto ac grato animo debemus excipere, cùm in noſtrum cedant commodum. In Pſal. 102.

Idem Doctor oſtendit etiam fructũ vitis, nempe vuam, debere premi, ſicut & vitem, & palmitem; nec ei fieri iniuriam ſi conculcetur. Vua, In Pſal 55.
inquiens, conculcatur, premitur. Iniuria videtur fieri vuæ, ſed iſta iniuria ſterilis non eſt: imò ſi nulla iniuria accederet, ſterilis remaneret. Itaque ſicut ex vite nullæ vuæ, aut paucæ, vel inſipidæ colliguntur, niſi putetur, & fodiatur; nec ex vuis vllum vinum profluit, niſi conculcentur & premantur: ſic ex homine nullus colligitur fructus, niſi laboribus, iniuriis & tribulationibus afficiatur. Vnde idem alibi, non tantùm In Pſal. 83.
vuæ, ſed & oliuæ ob huiuſmodi preſſuram hominem meritò comparari ſcibit. Vua pendet n vitibus, & oliua in arboribus: his enim duo-

bus ſolent torcularia præparari, nec vua vinum eſt, nec oliua oleum ante preſſuram. Sic ſunt homines, quos prædeſtinat Deus ante ſæcula, contribulabuntur, conterentur, comprimentur; non vt in hoc ſæculo pereant, ſed vt defluant in apothecas Dei.

Cùm autem tempus fructuū appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Sicut interdum ante vindemiam mittuntur ſerui in vineam, ad nonnullos fructus & racemos colligendos, non vt conculcentur, ſed vt manducentur, vel vt aſſeruentur: ita Deus ante generalem illam vindemiam vltimi Iudicij, expetit à nobis nonnullos fructus bonorum operum; ideo mittit ad nos ſeruos ſuos. Vis ſcire quos? Mittit ad te, verbi gratia, aduerſitatem, vt feras longanimitatem. Mittit, inquam, afflictionem, aut infirmitatem, vt per eam accipiat patientiæ fructum. Mittit pauperem, vt recipiat fructum eleemoſynæ. Permittit tibi fieri iniuriam, aut inimicum in te inſurgere, & contumeliis afficere, vt des fructum veniæ & miſericordiæ. Permittit te carnis concupiſcentia tentari, vt afferas fructum continentiæ. Sed proh dolor! Aliquando tu, ſicut iſti mali agricolæ, quibus iſte paterfamilias ſuam locauerat vineam, inſurgis in hos ſeruos & excandeſcis: inſequeris enim aut vulneras, vel etiam occidis inimicos qui ad te mittuntur. Nullos vis ſufferre labores, nullos dolores, nec vllis vis calamitatibus, vel iniuriis affici, nullo morbo premi: ſtatim enim te excrucias, maledicis, vel in verba blaſphemiæ prorumpis, pauperem expellis, carnis tentationibus

nibus ſuccumbis. Hínc ſunt fructus quos profers? Nónne meritò de te conquereretur Deus, *An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?*

Vide inſuper ne tibi exprobret, quod olim Synagogæ: *Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum, quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea electa?* Id eſt, ſecundùm Vàtablum, in palmites degeneres vitis alienæ, quæ ſcilicet à ſua natura, natiuóque ſucco, & probitate degenerauit, vuáſque non veras, cultas, & ſuaues, ſed falſas & adulterinas, ſcilicet baccas agreſtes, amaras & acerbas infidelitatis, aliorúmque ſcelerum profert. In Hebræo pulchra eſt paronomaſia, vitis, *ſorec* verſa eſt in *ſure*, id eſt, in prauam. Ierem. 2.

Inuenimus & apud Iſaiam egregiam aliam paronomaſiam. Nam per hunc Prophetam Deus conquerendo de ſuo populo, ſic ait. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas*, &c. In Hebræo ſic habetur, *Expectaui miſpat*, id eſt, iudicium, *& ecce miſpach*, id eſt, iniquitas. Quaſi dicat: Expectaui æquitatem, & ecce iniquitas; iuſtitiam, & ecce iniuſtitia. Expectaui continentiam, & ecce luxuria. Expectaui inimicis remiſſionem, & veniam, & ecce vindicatio. Iſai. 5.

Fructus qui à nobis expetuntur, non Deum, ſed ditant nos, nobis ſunt; vnde Auguſt. Fructus noſter non facit illum ditiorem, ſed nos facit beatiores. Non tam ſunt tuæ diuitiæ, pro quibus acquirendis ſummos exantlas labores, quàm bona illa opera, veluti ieiunia, eleemoſynæ, orationes, patientia in aduerſis; illæ hic ac- Serm. 59. de verb. Domini.

quiruntur, hic relinquuntur: hæc verò ſemper hominem ſequuntur.

Quòd ſi fructus quos à te expectat,& expetit, non des,pœnas dabis.Audi minantem; *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam ſepem eius,& erit in direptionem. Ponam eam deſertam;non putabitur, & non fodietur; & aſcendent vepres, & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Quod Deus olim vineæ Iudaicæ, vel populo Iudaico ob illius peccata præſtitit,idem & nobis ob noſtra faciet, niſi reſipiſcamus:deſeret enim nos;non reſecabit,nec compeſcet noſtram luxuriantem malitiam. Rurſum cor noſtrum non ſuffodiet,non tanget, non compunget, non excolet;ſed ſinet illud vepribus, & ſpinis peccatorum oppleri, & ſuffocari. Ingens hæc eſt pœna,cùm peccator à Deo derelinquitur, & impunè ſuas ſequi libidines ſinitur, & in concupiſcentiis volutari. Nam teſte Greg. Qui à Deo auertitur, & proſperatur, tantò perditioni fit proximus,quantò à zelo diſciplinæ inuenitur alienus. Hæc omnia accidunt homini ob peccata.

Iſai.5.

Homil. 12. in Ezech.

Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum dicens; verebuntur fortè filium meum. Expende illud (*Nouiſſimè.*) Quaſi dicat: Miſi Iudæis amicos meos, Patriarchas,Prophetas,& tandem filium meum. Idem nobis pôteſt exprobrare: multa homini contuli beneficia; illum creaui, illum vocaui, conſeruaui,nutriui, tandem, ſiue *nouiſſimè*, miſi ad illum filium meum. Nam *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Qui quidem filius cùm ſit *primus & nouiſſimus*, meritò *nouiſſimè* mittitur.

Ioan.3.

Dices:

Dices: Cùm ſit primus, quomodo poteſt eſſe nouiſſimus; & ſi nouiſſimus, quomodo primus? Primus dicitur, quia eſt primum, id eſt, præcipuum donorum quæ Deus hominibus contulit: & nouiſſimus, quia nihil præter illum poteſt dari melius, vel Pater donando nobis Filium ſuum dilexit nos ad vltimum de potentia, vt aiunt, id eſt, in nullo alio dono, vel in nulla alia re poteſt Dei dilectio magis manifeſtari quàm in donando filio. Idcirco nouiſſimè, nouiſſimus, mitti dicitur: & non tantùm nouiſſimus vocatur, ſed & tempus ſuæ miſſionis à Ioanne *hora nouiſſima* dicitur. Vnde notat Auguſt. quòd Agnus Paſchalis, quo Chriſtus expreſsè figurabatur, ad veſperam manducabatur; vt ſignificaretur, quòd ſicut veſpera eſt vltima pars diei, ita Chriſtus, vel mors Chriſti fuit vltimum, extremum, & nouiſſimum quod conferri poteſt pro ſalute hominum, nec quicquam aliud melius ſperari poteſt. Multùm nos diligit, qui nos pluſquàm ſeipſum diligit: at Chriſtus nos pluſquàm ſeipſum dilexit, quando ſeipſum pro nobis obtulit, de quo Paulus, *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Vnde Auguſt. Dilexiſti me Domine pluſquàm te, quia mori voluiſti pro me. Ille certe magis me dilexit quàm ſe, qui nunquam pro ſe, ſicut pro me mortuus eſt. Rationi ergo conſentâneum eſt, vt illum pluſquàm me diligam, & offeram me ad ſubeundam quæque aduerſa, quæ mihi dignabitur immittere.

1.Ioan.2. Exod.12. Lib. Sol. cap 15.

. *Fortè verebuntur filium meum.* Cur dixit (*forte?*) Nónne Pater diuinus certò ſciebat Iudæos ſi-

lium ſuum occiſuros? Sciebat quidem; ſed ideò addidit (*fortè,*) vt oſtenderet quòd non obſtante illa certa præcognitione, poterant Iudæi illum honorificè tanquam Meſſiam excipere, & non occidere. Non fuit igitur cauſa illorum peccati, diuina præſcientia, ſed eorum malitia, qua ſe ad tantum flagitium excitantes dicebant; *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem.* Hoc perfecerunt; nam illum apprehenderunt, percuſſerunt, vulnerauerunt, occiderunt: ſed nihil profecerunt, imò ſibi plurimùm nocuerunt.

Geneſ. 4. Fuerunt illi Iudæi ſimiles Caino, qui fratrem Abelem occidit, vt ſolus Adami hæres remaneret, & fratris memoriam deleret; ſed hoc ei malè ceſſit. Non enim occidendo [illegible] eius memoriam, ſed auxit; & illum verebatur poſtea mortuum, quem noluit vereri viuum: & vnde ſperabat requiem, inuenit pauorem; & qui eum intrepidè necauit, perpetuò trepidauit. Audiamus

In Gen. Chryſoſtomum Caino loquentem. Hac tua cæde, Cain, non ſunt honores Abel diminuti; ſed aucti magis & ampliati, quia etſi ante hanc illum tibi ſubiecerat Deus, modò de te vel extinctus ſupplicium ſumet, & tanto eſt modò apud Deum habitus honore, vt mortuum diligentiùs cōquireret Deus. Non enim Dei deſiderium extinxit inuidia: viuentem Abel nihil es veritus, mortuum ergo pertimeſces. Cùm ferro eum eſſes inuaſurus nihil trepidaſti, formidine tamen ſanguine perfuſo perpetua capieris.

Idem nobis liceat Iudæis dicere: Hac veſtra cæde non ſunt Chriſti honores diminuti, ſed aucti,

aucti, cùm morientem cunctæ honorarint creaturæ; tunc enim Chriſtus exaltabatur quando moriebatur. Interim æternam ac temporalem perdidiſtis hæreditatem propter hanc veſtram iniquitatem: expulſi eſtis proprio ſolo, qui putabatis vos remanſuros ſolos:& eiecti extra patriam, quia hunc hæredem occidiſtis extra vineam. Et vt alter Cain nunc eſtis vagi, cùm nec vlli ſint vobis pagi;& profugi,quia ad Chriſtum Meſſiam noluiſtis confugere. Sicut non fuit Caino viuere gratia, ſed pœna; non ſubſidium, ſed ſupplicium, vt omnes eum vagum & profugum viderent, & ab eo tanquam ab homine ſignato & maledicto cauerent; eúmque cuncti à ſe eiicerent, quem Deus iam à facie ſua eiecerat. Ita vobis quidem ô Iudæi datur viuere, vt omnibus detur vos contemnere, & videant vos errantes, quia in occidendo Chriſto erraſtis; & vt ſitis omnibus in parabolam,quia noluiſtis hanc attendere parabolam.

Iam pro Iudæis huius hæredis interfectoribus rogatum fuerat ne interficerentur, ſed vt per omnes gentes diſpergerentur. *Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Pſal. 58. Huius autem diſperſionis & exilij nullam aliam cauſam reddere poſſunt ipſi Iudæi, quàm Meſſiæ illatam mortem. Debuerunt enim ſeruari ad vitam miſeram, diúque portare iudicium Dei, ac lento, longóque ſupplicio affici. Idcirco *Ne occidas eos*, ſed *diſperge illos.* Diſpengantur; vt cæteri eos videntes coërceantur. Quemadmodum facinoroſi hominis cadauer in

plures aliquando partes diſſectum, & in variis locis ſuſpenſum, commiſſum crimen cunctis magno cum terrore denunciat: ſic Iſraëliciti populi multitudo in multas partes diſſecta, & per varias mundi plagas diſperſa, patratum aduersùs Meſſiam ſcelus omnibus nationibus magno clamore prædicat. Audiatur Chryſoſtomus. In Pſal. 8. Nulla eſt, inquit, pars orbis terrarum, quæ ſit Iudæorum calamitatis expers: ſed quemadmodum Iudices cùm multos homicidas de medio ſuſtulerint, vnum furcæ affigunt, vt vel ipſis mortuis tanquam recenter inflictum ſupplicium, viuos coërceat: ita hic etiam Iudæos non mortuos, ſed viuos omnibus exemplum Deus propoſuit, eos quoquouerſus diſpergens; & ſi cauſam rogaueris, nullam aliam inuenies, quàm quòd Chriſtum crucifixerunt.

Sicut igitur Cain occidendo fratrem, non habuit quod intendebat; ita nec Iudæi Chriſtum crucifigendo. Heu cæca hominum pectora! ea via, qua ſua commoda quærunt, in maxima incommoda incidunt. Quærit prædo, quærit adulter, quærit ambitioſus, quærunt impij aliquid commodi, dum peccant; ſed per commoda, quæ quærunt, in varia, & grauia ſeſe præcipitant incommoda. Fallitur igitur, qui vt aliquid lucretur, malè operatur. Non erat occidendus hæres, ſed recipiendus, illíque debebant cohærere, vt poſſent eſſe cohæredes; cohæredes inquam Chriſti.

Vitis quærit cui innitatur, & præcipuè vlmum, iuxta illud,

Iuuen. Satyr. 8. *Stratus enim palmes viduas deſiderat vlmos.*

Ita

Ita homo quantum in ſe eſt quærat Deum ſuum cui innitatur, & à quo numquam diſiungatur. Sic faciebat qui dicebat: *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.* Vel dicat vnuſquiſque illud Ouidianum,

Vlmus amat vites: vitis non deſerit vlmum, Amor. 1. eleg. 15.
Separor à Domino cur ego ſæpe meo?

Ex hac igitur parabola colligere debemus, Deum noſtri ſicut patremfamilias vineæ ſuæ curam gerere: præterea eum etiam malis benefacere: eum à nobis fructus dignos pœnitentiæ expectare, tandem malos malè perdere, & bonos ac in vinea fideliter laborantes remunerare.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat IESVS *eijciens dæmonium, & illud erat mutum*, &c. Luc. 11.

Adeò erat exoſa olim apud Babylonios ebrietas, vt ſi qui ebrioſi inuenirentur, ſtatim in propatulo eos exponerent; vt titubantes, vacillantes, aut alios geſtus edentes, ab omnibus cernerentur, & riſui haberentur,

atque hoc pacto, eorum filij à nimio vino abſtinerent, ebrietatémque vitarent, ne ſimili deriſui ſubiacerent. Ebrietatem, aut ebrium ſimilem eſſe dæmoni, aſſerunt Patres. Quid, ait D. Chryſoſtomus, ebrietate miſerabilius? Ebrius dæmon eſt voluntarius. Et Diuus Baſil. Ebrius, inquit, ſpontaneo ſeruit dæmoni. Similiter & Diuus Chryſologus ait. Ebrietas eſt dæmon blandus.

Homil. 1. ad pop. Homil. de ebriet. & luxu. In illa verba Matt. 24. *Si dixerit ſeruus ille.*

Ipſa ſacra Scriptura teſtatur aliquos ebrioſos fuiſſe expoſitos, vt à nobis caueretur ebrietas. Audi Ambroſium. Non vtique vitia Patriarcharum, quos vino victos legimus, Scriptura expoſuit: ſed, vt tu diſceres, quid caueres. Inſtruunt Patriarchæ non ſolùm docentes, ſed errantes: ideo iterarum eſt exemplum ebrietatis, vt confirmetur magiſterium cautiônis. Itaque ſicut olim exponebantur ebrij, vt ebrietas, quæ eſt alter dæmon, euitaretur: ita modò exponuntur dæmoniaci, vt caueatur dæmon. Sicut autem, vt euitetur ebrietas, à nimio vino abſtinendum eſt: ita, vt euitetur diabolus, à peccato recedendum eſt. Nihil enim hominem tradit poteſtati diaboli, niſi peccatum, quod vt fugiatur, permittit Dominus aliquos hic à dæmone vexari, vt viſis, vel auditis eorum vexationibus, diſcamus, & excitemur odio habere peccata, & ab eis abſtinere, cùm nos manibus dæmonum tradant, & eorum tormentis, & vexationibus ſubiiciant.

Lib. de Noë.

Attende precor acerrimos cruciatus, quibus illorum corpora diabolus afficit, in quos iuſto, & occulto Dei iudicio ſæuiendi poteſtas à Deo

ei

ei tribuitur. Nàm ſi cuiuſdam corpus inuadat, ſenſus omnes lædit, & à propria ferè natura euertit, obſcurat lumina, obſtruit aures, debilitat crura, obſtupefacit linguam, turbat qua poteſt ratione mentem, & corpus vniuerſum velut inanimem truncum efficit, tundit, vulnerat, cruentat, allidit ad ſaxa, & in obuia quæque vitæ diſcrimina præcipitem agit miſerum hominem. Proponitur nobis hodie vnus dæmonium habens, à quo mutus, & ſecundùm Matthæum cæcus efficiebatur: vnde exclamat D. Chryſoſt. O peſtiferam dæmonis aſtutiã! vtramque viam occupauit, atque obſtruxit, quibus ille erat crediturus, viſum atque auditum, &c. Quid de illo dicat Lucas; & quænam ſint obſeruanda, videamus. Matth.12. In hunc locum.

Erat Ieſus eijciens dæmonium. Non dixit Euangeliſta, *Erat Chriſtus, vel Dominus eijciens*; ſed, *Erat Ieſus.* Ieſum appellauit qui dæmonem expellebat; quia licèt virtute diuina expellantur dæmones, tamen hoc faciliùs fit inuocato nomine Ieſu. Vnde ipſe de Eccleſiæ Exorciſtis ait; *In nomine meo dæmonia eijcient.* Voluit Deus, Ieſu Chriſti potiùs quàm Patris, aut Spiritus Sancti nomine dæmonibus imperari diſceſſum: quia illius in primis comprobanda erat diuinitas, & confirmanda doctrina, & omnes intelligere oportebat, dæmones cum ſuo principe ab ipſo Ieſu deuictos, eiectos & attritos eſſe. Idcirco nomen Ieſu præ aliis quæ non infructuosè in exorciſmis ponuntur, adhibetur. Marc.16.

Iam in ipſa primitiua Eccleſia adeò inoleuerat conſuetudo inuocandi hoc ſalutiferum no-

men Ieſu in eiectione dæmonum, vt vnus ex Iudæorum Exorciſtis, teſte Luca in Actibus Apoſtolorum, adiurans aliquos immundos ſpiritus dixerit: *Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat.* Habebant enim Iudæi Exorciſtas, teſte Ioſepho, qui ab obſeſſis corporibus dæmonia pellerent. De illis aliqui dicũt intelligi hæc verba Chriſti, *Filÿ veſtri in quo eyciunt?* Licet multi exiſtiment hic loqui Chriſtum de Apoſtolis, qui in nomine Ieſu obſeſſos à dæmone liberabant. Tunc enim, teſte Abulenſe, pauci erant apud Iudæos Exorciſtæ, & parum poterant. Ex quo fiebat, vt & multi eſſent energumeni, & mirarentur omnes, ſi quando dæmonem expulſum eſſe audirent. Vnde hodie expulſo hoc dæmonio dicitur; *Et admiratæ ſunt turbæ.*

Lib. 8. Antiq. cap. 11.

In cap. 12. Matth.

Obſeruat Lipomanus, quòd inter omnes creaturas diabolus primò Deum nominauit, dum dixit; *Cur præcepit vobis Deus*, &c. Sicut & in Euangelio primò vocauit Ieſum Nazarenum, dum ait; *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* Cogebatur nominare à quo cogebatur exire, Ieſum nominat, quia à Ieſu fugatur, & expellitur. Nouerat quò nomine eſſet eiiciendus; ideo præueniendo nominat, vt ſua voce Ieſum nominante dicatur exiiſſe, non iuſſu Ieſu. Etiam in hoc voluit ſuperbire ſuperbiſſimus inimicus, & ſic ſemper eius ſuperbia aſcendere demonſtratur.

In cap. 3. Geneſ.

Deinde obſeruandum eſt, Euangeliſtam non dixiſſe, *Eiecit Ieſus dæmonium*; ſed, *Erat Ieſus eyciens dæmonium.* Tum vt oſtendat Ieſum non tantùm tunc eieciſſe, ſed etiam nunc eſſe eiecientem dæmonia, cùm virtute eius nominis eiiciantur.

Tum

Tum etiam vt doceat nos debere ſemper eiicere dæmonia,id eſt,dæmonum reſiſtere ſuggeſtionibus; cùm enim maligni ſpiritus ſint tentantes nos, debemus nos etiam eſſe eiicientes illos. Nunquam vacant à tentatione, nec nos etiam debemus vacare ab eiectione.Cùm dæmon ſemper aggrediatur, ſemper reiiciatur.

*Erat Ieſus eyciens dæmonium.*Domini eſt dæmonia eiicere;ſed noſtrum peccata.Nam non vexat dæmon hominẽ,niſi Domino iubente:peccatum verò non maculat animam,niſi homine conſentiente.Erat Dominus eiiciens quod ſuo iuſſu vexabat;eſto tu eiiciens quod tuo conſenſu te dæmoni vexandum tradit.Num tam quis debet deſiderare liberari à dæmone, quàm tu à peccato, quod peius eſt dæmone? Audi Chryſ. Peccatum peius dæmone eiiciamus.Dæmon ſi quidem non omnino ſpoliat regno cœlorũ,ſedpotiùs prodeſt modeſto & vigilãti:peccatũ verò omnino excludit.Poteſt quis habere dæmonẽ ſine peccato,ſed non peccatũ ſine dæmone.Satius tibi ſit liberari à peccato,quàm à dæmone.Nam,ſecũdùm eumdem Doctorem, non ita magnum eſt, à dæmone liberari,vt à peccato.Peccatum dæmone grauius eſt.Magnus dæmon,peccatum eſt, quod ſi abs te eieceris, maior tu eris,mihi crede,quàm qui dæmonia eiiciunt. Non tamen maior eris Chriſto dæmonia eiiciente; ſed dico quòd maior eris eiiciendo ab anima tua,per confeſſionẽ,& pœnitentiam,peccata tua,quàm ipſimet diſcipuli,aut quicũque Exorciſtæ eiicientes per potentiã ſibi à Deo collatã immundos ſpiritus à corporibus.

Hom.28. in Epiſt. ad Rom.

Homil. 41. in Act.

Notum eſt illud Origenis:Qui peccatum habet

In c 8.Ioan.

bet,dæmonium habet.Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in verbo & confeſſione. Qui verò ſic eiecerit, cum Dauide cantet.
Pſal.93. *Niſi quia Dominus adiuuit me,paulo minus habitaſſet in inferno anima mea:*vel ſecundùm paraphraſim Chaldaicam, *parum abfuit,quin commoraretur in ſilentio anima mea.* Vides illud ibi vocari ſilentium quod à Dauide vocatur infernus, quaſi vnum & idem ſit infernus,& ſilere,quando confitendum eſt. Nam tot ille habet dæmonia,quot ſibi reſeruat crimina; eſt quaſi infernus eius conſcientia.

Apoc.16. De quibuſdam ſic D.Ioannes;*Commanducauerunt linguas ſuas, & non egerunt pœnitentiam.* Ecce quàm ſint inter ſe coniuncta, commanducare linguas,& non agere pœnitentiam. Ille dicitur comediſſe linguam ſuam, qui lingua ſuà non vult confiteri peccata ſua; qui autem peccata non confitetur non agit pœnitentiam. Mutus remanet qui manducauit linguam, impœnitens moritur qui peccata ſua non confitetur. Vel dicere poſſumus illud *(&)* poni pro*(quia.)* Quaſi dicat Apoſtolus: Quia non egerunt pœnitentiam,commanducauerunt linguas ſuas.

Et illud erat mutum. Cur dæmon obmuteſcebat, & hunc hominem obmuteſcere faciebat? Exiſtimo, hunc dæmonem timuiſſe ne ſibi à Chriſto imponeretur ſilentium, ſicut & illi, cui
Luc.4. Chriſtus dixerat,*Obtumeſce.* Adeò ſuperbè ſe gerit,'vt nollet imperari.Caue & tu ne in hoc dæmonem imiteris; imitaberis ſi iuſſiones reſpueris.

Præterea nollet diabolus,ſi poſſet,manifeſtari

&

& cognoſci dum hominem poſſidet, ideo obmuteſcit: vel ſaltem contendit & ſatagit vt ſigna & agitationes inſolitæ, quæ in energumenis apparent, cauſis naturalibus tribuantur. Id ſuadebat patri illius dæmoniaci, qui dum ad Chriſtum accederet, vt filium curaret, ait illi, *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè torquetur.* Matth.17. Non dixit, dæmoniacus eſt, ſed lunaticus, vt ea quæ patiebatur, Lunæ potiùs quàm dæmoni tribuerentur. Vnde eleganter de illo ſic Chryſologus. Serm.52. Aut humanæ naturæ, aut cœleſtis elementi, quod ſuæ artis erat, voluit dæmon tunc videri, aptans Lunæ curſibus hominis paſſiones, vt eſſe Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris. Hoc autem præſtat dæmon, ne dignoſcatur, atque ita eiiciatur: non enim libenter à corpore pellitur, cui vexandi gratia ad tempus conceditur. Propterea ipſum eſſe in aliquo corpore, vellet omnes latere; Chriſtus autem vult vt omnibus pateſiat, & illius malitia dignoſcatur, & caueatur.

Et illuderat mutum. Vocat D. Hieronymus diabolum quaſi quæſtionarium Domini. In Pſal.107. Sicut malefactores quæſtionario, aut carnifici traduntur, vt puniantur: ſic interdum Deus tradit homines diabolo, tanquam quæſtionario, vel vt purgentur, aut puniantur, aut mereantur; vel vt cohibeantur. Diabolus quaſi quæſtionarius Domini eſt: qui enim non rectè ambulant, traduntur diabolo, vt ab ipſo cruciati ad Deum reuertantur. Quoſdam D. Paulus tradidit Satanæ, tanquam Dei quæſtionario. *Tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* 1.ad Tim. Idipſum fecit idem circa

alium.

alium. *Quem*, inquit, *tradidi Satanæ in interitum* 1.Cor.5. *carnis*. Expendit D.Chryſoſt.illud (*Tradidi:*) & videtur Apoſtolus vti eadẽ loquendi formula, qua Deus cum dæmone reſpectu Iobi, *Ecce tibi trado eum*. Non dico, *do tibi illum*, ſed, *trado*; nec Apoſtolus dixit, *quos*, vel *quem dedi*; ſed, *tradidi Satanæ*. Non inquam trado, vel tradidi illos, vt ſint dæmonis, ſed vt corrigantur à dæmone. Non dixit, Homil. 15. in 1.ad Corint. inquit ille Doctor, dare huiuſmodi Satanæ, ſed tradere, aperiens ei pœnitentiæ ianuas, & tanquam pædagogo huiuſmodi tradens. Heu, quàm multi hodie vltrò ſe dæmoni tradunt, & non tantùm ſe tradunt, ſed etiam dant! Ille enim ſe dæmoni quæſtionario, vel dæmoni ſe cruciandum tradit, & dat, qui voluntariè peccat, & poſtmodum confiteri recuſat.

Et illud erat mutum. Cùm (vt dicetur infrà) ex lingua multa enaſcantur mala; vel, cùm poſſit eſſe lingua plurimorum malorum inſtrumentum, cùm per illam blaſphemetur Deus, improperetur homo, ſeminentur iurgia, lites emanent, ſuadeantur homicidia; miror cur dæmon hunc hominem effecerit mutum, cur inquam In Mat.10. impediat eius loquelam. Reſpondet D.Paſchaſius his verbis. Obtorpuerat dæmon linguam, ne confeſſionis vocem emitteret. Plus enim perdit diabolus, dum homo peccata ſua confitetur, quàm lucratus fuerat dum homo malè loqueretur: quia confitendo poteſt homo delere, quod malè loquendo commiſerat; & eadem lingua ſibi mederi, qua ſeipſum læſerat.

Interdum diabolus tam à ſacra Scriptura, quã à Patribus vocatur Lupus, & meritò: eſt enim Lupus

Lupus voci inimicus, ſi ouem inuadat, collo rapit, vt balatum impediat. Imò verò etiam vtriuſque mortua cadauera hoſtilitatem ſeruant. Nam tympanum, *vn tabourin*, ex ouis pelle nihil inſonabit, inſonante tympano ex Lupi pelle confecto. Id egregio carmine expreſſit Alciatus,

Cætera muteſcunt, coriúmque ſilebit ouile,
Si confecta Lupi tympana pelle ſonant.

Similiter dicitur de lyra, chordis lupinis, & ouinis compoſita, & adaptata. Si enim ouinæ ſummis digitis premantur, minimè reſonabunt. Humanæ etiam voci aduerſatur Lupus: nam ſi hominem prior viderit, raucum reddit. Vnde Theocritus ad quemdam. *Mihi non loqueris? Lupum vidiſti.* ſup. poſtquam ipſe te viderit. Et Poëta Virgilius.

——————— *Vox quoque Mœrim*
Iam fugit ipſa, Lupi Mœrim videre priores.

Hoc ſatagit Lupus infernalis; vt ſcilicet peccatorem reddat mutum, ne ſuum valeat confiteri peccatum. Talem reddebat hunc hominem; nouit enim quantùm ſibi compareт homo, ſi loquatur, & peccata ſua confiteatur. Quidam ſic à D. Iſidoro quærebat. Noſſe cupio ſi eſt ſpes in confeſſione, ſi eſt remiſſio, ſi eſt venia? Ipſe autem ita affirmatiuè reſpondit, vt omnia aduerbia affirmantia quibus lingua vtitur Latina, in medium ei attulerit, dicens. Eſt planè, eſt prorſus, eſt vtique, eſt profectò, eſt proculdubio. Confeſſio ſanat, confeſſio iuſtificat, confeſſio peccati veniam donat, &c. Quin Lib. 1. c. 12.

Lib. de clau-ſtro animæ. & Hugo audet dicere. Si veniret dæmon ad Capitulum confeſſionis, impetraret indulgentiam remiſſionis. Satan expulſus eſt à Capitulo cœli, Adam à Capitulo Paradiſi, Iudas à Capitulo Chriſti; quia nemo illorum agnoſcere, & confiteri culpam ſuam voluit. Sentit itaque dæmon, quantùm ſibi prodeſſet, ſi videlicet feriò pœnitere, conteri, & confiteri poſſet: & inde colligit quantùm homo lucretur, ſi peccata confiteatur. Loquere igitur peccator, & confitere, ne cogaris in æternum dicere: *Væ mihi, quia tacui*; (Iſai. 6.) quod vnuſquiſque damnatorum dixit.

Lib. 2. Satyr 3. Fuit olim, teſte Horatio, vir quidam nomine Opimius, qui aliquando morbo quaſi lethargico, ſiue potiùs phantaſtico laborans, nihil penitus dicebat, ſed obmuteſcebat, & interroganti Medico non reſpondebat. Videns autem Medicus illum tacere potiùs voluntate, quàm infirmitate; remedium excogitauit, quo eum loqui faceret. Sciebat autem iſtum Opimium eſſe valdè auarum, & pecuniæ cupidum. Iuſſit igitur filiis & domeſticis eius, vt ſupra menſam nummos apponerent, eóſque numerarent, & in ſacculos iniicerent, atque ſonitum ederent, quo audito excitaretur infirmus, & loqueretur. Accipientibus igitur domeſticis nummos, ipſóſque numerantibus, accedit Medicus ad caput lectuli, vbi iacebat infirmus, cui ſic locutus eſt. Ego video, quòd facilè poteris conualeſcere, ſi mihi velis morbum tuum patefacere: ego doleo quòd filij tui & domeſtici cùm videant te loquelam amiſiſſe, exiſtiment actum eſſe de te,

&

& iam ſibi diuidant pecunias tuas. Arrige aures, & audies illos numerantes iſtas tuas pecunias. Crede mihi, expergiſcere, & ne permittas hos nummos quos maximo cum labore comparaſti, ita deperdi & diſſipari. His auditis ſtatim infirmus quaſi graui ſomno expergefactus, locutus eſt, dicens, *Men' viuo?* Quomodo autem hæc res ſe habuerit dicat ille Poëta.

Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri, &c.
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, vt hæres
Iam circum loculos & claues lætus, ouánſque
Curreret: hunc Medicus multùm celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: Menſam poni iubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem ſic erigit: addit & illud,
Ni tua cuſtodis, auidus iam hæc auferet hæres.
Men' viuo? Vt viuas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

Simili induſtria liceat nobis vti erga aliquos, qui tanquam lethargico morbo laborantes, loqui renuunt, confiteri peccata recuſant: ſed certò ſciant, quòd niſi confiteantur, accedent non hæredes, ſed dæmones numeraturi, non pecunias, ſed eorum peccata, & nihil aliud expectant & deſiderant, quàm egreſſum animæ è corpore, vt illam ad infernum deducant. Expergiſcere ergo peccator, loquere & dic, *Men' viuo?* Loqui volo, confiteri deſidero. *Vt viuas igitur, vigila, hoc age*, &c. Simili morbo labora-

uerat Dauid; ſed Nathan veluti expertus Medicus prudenti induſtria, ac propoſita parabola, illum loqui, ac euomere fecit illud verbum, *Peccaui Domino.* Ac deinde, *Ego ſum, qui peccaui, ego qui iniquè egi.* Ferè per annum mutus remanſerat; ſed timore æternæ gehennæ recuperata loquela, ſemper peccatum ſuum confitebatur.

Audiamus ſimul & ſequamur Oſeam hor-
Oſee 14. tantem: *Tollite vobiſcum verba.* Non dixit Deus; Tollite vobiſcum pecunias, diuitias, ſanitatem, ſcientiam, &c. non enim omnes ſunt diuites, ſani, docti, ſed nullus eſt qui non poſſit ſecum tollere verba, id eſt, confiteri peccata ſua. Non quærit præterea Deus, vt tollas verba aurea, vel verba auro, aut argento, vel gemmis incluſa: ſed verba tua ſimpliciter peccatum tuum exprimentia, nec illa aliunde quæras, cùm ſint
Ad Rom. 10. in te. Audi dicentem, *Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* O peccatores, cur obmuteſcitis? cur peccata non confitemini? *Tollite vobiſcum verba.*

Cæterùm multùm Deo debemus, qui poteſtatem dedit hominibus: ſed quam? Vt ſcilicet dicendo, ſicut & ipſe tam ſublimia operemur: Deus enim dicendo creauit; *Dixit, & facta ſunt.* Vult etiam vt nos dicendo, id eſt, peccata nòſtra confitendo, noſtram ſalutem operemur. Equidem *verbo Domini cœli firmati ſunt:* at verbo hominis cœli poſſeſſi ſunt. Hoc nos Deus inſigniuit honore, vt ſcilicet ſicut verbo ſuo cœli firmantur, ita verbo noſtro iidem cœli à nobis tandem poſſideantur. Igitur *Tollite vobiſcum verba.*

Adeò

Adeò eſt antiqua peccatorum confeſſio, vt ab initio mundi ſtatim poſt lapſum primorum parentum cœperit. Audi quærentem, *Adam vbi es?* Et dicentem ad Cain, *Quid feciſti?* Sed diabolus quos fecit peccare, fecit tacere. Expendit Tertullianus hanc Domini interrogationem, ex qua tanquam ex figura colligit futuram peccatorum confeſſionem. Interrogat Deus, inquit, quaſi incertus, vt & hinc liberi arbitrij probans hominem in cauſa vel negationis, vel confeſſionis, vt daret ei locum ſponte confitendi delictum, &c. atque ita nobis conderemus exempla confitendorum potiùs delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc inuitaretur Euangelica doctrina: *Ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo damnaberis.* Geneſ. 3. Geneſ. 4. Lib. 2. aduerſus Marc.

Poſtea in lege ſcripta fuit confeſſio exercitata, & illos Deus vult confiteri peccata, qui ſponte voluerunt patrare peccata. *Loquere, ait Deus Moyſi, ad filios Iſrael: Vir, ſiue mulier cùm fecerit ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, confitebuntur peccatum ſuum.* Num. 5. 6.

Quæritur, quomodo antiquitus in lege Moyſis populus confitebatur peccata ſua? Verbo, & oblatione. Audi Ioſephum. Qui ſciens peccauit, nemine conſcio, arietē offert, lege ita iubente, & is qui peccat, iubetur adire Sacerdotem, & peccatū illi detegere, vt pro eius arbitrio aries deligatur, & ipſe pro peccatore oret. Legitur in Leuitico quòd per ſingulos annos celebrabatur feſtū expiationis, in quo omnes tenebātur cōfiteri peccata ſua: vnde Paulus de illo feſto ſic ſcribit; *Commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.* Ita Lib. 3. Antiq. c. 10. Leuit. 23. Ad Heb. 10.

Pſal. 31. confitebatur Dauid dum ait, *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.* Ad Hebr. 4. Quid Deo non eſt notum, *cùm omnia nuda & aperta ſint oculis eius?* Tunc dicimur facere noſtrũ delictũ Deo cognitum, quando illud manifeſtamus homini à Deo inſtituto. Vel ſecundùm Greg. illud peccatum dicitur cognitum Deo fieri, quando peccator accuſando oſtendit ſe ſolum eſſe culpabilem, & dicit, delictum meum, Greg. in hunc locũ. non alterius. Feci tibi, inquit ille Doctor, cognitum delictum, dicens illud eſſe meum: mihi enim quia deliqui, imputo; me ſolum in operum meorum prauitate culpabilem clamo.

Præterea, ille facit cognitum peccatum, qui omnes eius circunſtantias confitetur. Secundùm eumdem Doctorem, ille delictum cognitum facit, qui non ſolùm quod facit anunciat, ſed etiam omnem peccati cauſam, originem, narrat, qui non ſuperficie tenus peccatum loquitur, ſed & quando, & vbi, & quomodo, & ſi vel ignorantia, vel caſu, vel ſtudio deliquerit, confitetur.

Volebat Deus etiam in lege veteri hominem In Pſal. 31. confiteri peccata ſua. Refert Genebrardus ex Rabbi Aben Ezra, & ex aliis Rabbinis in hiſtoriam Regum, præſcriptam olim in lege veteri confitendi obligationem, hoc ritu, vt fieret coram Sacerdote; vt imponeret confitens manus inter cornua hoſtiæ immolandæ; vt diſtinctè commemoraret peccatum, de quo pœnitentiam agebat: vt peccatum deteſtaretur, pollicens non amplius peccaturum.

Dices: Ex illo verſiculo Dauidis, *Dixi: confitebor*

bor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino ; non colligitur antiquam peccatorum confeſſionem fieri homini ſiue Sacerdoti, ſed Deo; cùm Dauid dicat, *confitebor Domino*, non homini. Reſpondet Anaſtaſius Antiochenus, quem citat Turrian. Confitebatur, inquiens, Dauid Domino per Nathan, & à Domino conuertebatur per eumdem. Præſente Nathan, Dauid dixit, *Peccaui Domino:* ſed qui peccat Domino, non poteſt confiteri Domino, ſi non obediat Domino. Ille autem confitetur Domino, qui confitetur homini vices gerenti Domini. Vnde Auguſt. Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis oſtendat; repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confeſſionem.

Lib. 3. de dogmat. charact. verſ. 79.

Tom. 4. lib. de vera & falſa pœnitentia.

Adeò olim erat in vſu confeſſio, vt propterea dixerit Sapiens. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Nullus autem eſt qui ſcelera ſua Deo ſe abſcondere poſſe credat, niſi fortè inſaniat: ſed hominibus, vel ob pudorem, vel alia de cauſſa, multi peccata ſua abſcondita eſſe cupiunt. Ergo loquitur hic Scriptura de confeſſione quæ fit homini, vel Deo, per hominem, Dei gerentem vices.

Prou. 28.

Quòd olim Iudæi hanc confitendi Sacerdotibus ſuis habuerint legem & conſuetudinem, teſtatur adhuc illa quæ etiamnum apud modernos obſeruatur conſuetudo. Nam refert Thomas Vualdenſis, ſe ab ipſiſmet Iudæis Viennæ in Auſtria didiciſſe, ſolitos confiteri de peccatis ſuis apud Sacerdotem potiſſimùm in tribus caſibus, in priuato adulterio, in homicidio

Tom. 2. de Sacramẽtis, cap. 137.

occulto, in occulta blaſphemia Dei aut legis.

Part. 3. ſummæ tit. 14. cap. 6.

Diuus Antoninus hunc dictum verſiculum; *Dixi: confitebor*, &c. de ſacramentali confeſſione accipiens teſtatur aſſeruiſſe aliquos ex Hebræis bene peritis, quòd cùm reperiunt Sacerdotem Leuitici generis, confitentur ei vocaliter peccata ſua ante mortem.

De Inſt. Laconicis. Et in Apoph. Lacon. nu. 384. & 407.

Extitit apud Gentiles aliquod eiuſdem confeſſionis veſtigium: apud Lacedæmonas, teſte Plutarcho, dum ſcribit de Antalcida, & Lyſãdro iuſſis, vt initiarentur crimina ſua fateri: & ſi quis in delicto deprehenderetur, debuiſſe aram circuire, & compoſitam in ſeipſum vituperationem cantare. Pythagoras dicebat peccata non eſſe verbis tegenda, ſed detegenda, vt reprehenſionibus curentur. Vnde Seneca. Vbi eſt confeſſio, ibi eſt remiſſio. Quid Chriſtianius? Creuſa apud Euripidem in Ione, vt flagellantis conſcientiæ ſtimulos confeſſione leniret, detexit occultum ſuum ſtuprum. Nam ſecundùm Virgilium, *alitur vitium, viuitque tegendo.* Extat & illud Ouidianum, *Numen confeſſis aliquod patet.*

Lib. de moribus.

Virgil. 3. Georg.

Lib. 10. Metam.

Iuxta illam naturalem legem confitendi peccata, Iob ita loquebatur: *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Quod exponens Diuus Greg. ait. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem iuſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minùs admiror confeſſionem humillimã peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum. Et ſanè miranda erat huius ſancti viri confeſſio, quam faciebat naturali tantùm lumine ductus.

Lib. 22. Moral. c. 14.

Vt

Vt igitur egrediatur à te diabolus, ſiue peccatum peius diabolo, & ingrediatur in te Deus totius conſolationis, vtere Sacramento confeſſionis. Nam, ait Auguſt. antequam confitearis peccata, intercluſeras ad te viam Dei, non erat, qua ad te veniret, confitere vitam, & aperi viam, & veniet Chriſtus. Os igitur aperiatur, & peccatum confiteatur, & Dominus laudetur. In Pſal. 14.

Obſeruat, ſimúlque laudat Diuus Chryſoſtomus, quod latro in cruce præſtitit: antequam Chriſtum laudaret, voluit ſua peccata manifeſtare, & humiliter confiteri. Audiamus hunc Doctorem. Sponte ſua peccata publicabat, dicens: *Nos quidem digna factis accipimus*, &c. Non eſt auſus dicere; memento mei, niſi confeſſione peccati, ſarcinam remiſiſſet. Ex ipſo Chriſti conſpectu didicit, à nemine poſſe ſperari veniam, qui non præmittat cōfeſſionem peccatorum. Certū eſt enim, quòd nec peccator miſericordiam conſequetur, nec Deo vllo modo placebit, niſi omnia ſua facinora humili confeſſione patefecerit. Iſte latro ſibi non parcebat, & Deus illi parcebat. Qui non confitetur peccata, parcit ſibi, ſed Deus illi non parcit. Audi Tertullianum, dum vnumquemque ad peccatorum confeſſionem hortaretur. In quantum non peperceris tu tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. D. Chryſ. Lib. de pœnit.

Sæpiſſimè miratus ſum vltionem illā in Sichimitis factam ob Dinæ filiæ Iacob raptum. Sanè Princeps Sichem rapuit Dinā; ſed poſt raptum, ſtatim adit puellæ parentes, & fratres, illámque in vxorem expoſtulat, ingentémque dotem pro-

mittit,& quod maioris momenti eſt, circumciſo præputio, Iſraëliticam religionem profitetur. Interea Simeon & Leui puellæ fratres, arreptis gladiis hunc Principem ſibi cognatum interficiunt, facta etiam in populo magna ſtrage. De hoc Simeonis facinore ſic Iudith ad Dominum, *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum.* Putà in perniciem Sichem, gladium à Deo accepit Simeon. Cur ita? Cur, inquam, voluit Dominus vt puniretur Sichem? Nónne Princeps iſte plenam ſui criminis ſatisfactionem fecerat? quæ maior ſatisfactio debebatur puellæ raptæ, quàm ea? Raptor homo nobilis, & Princeps regni, illam petiit in vxorem; ampla dote coëmit; eius amore rigidam Iſraëlitarum religionem accepit; circumciſionem paſſus eſt. Quid amplius debuit facere? Cur adhuc ſæuiebat ira Dei in illum? Cur in vltionem dedit Dominus gladium Simeoni? Dionyſius Carthuſianus hanc reddit cauſam, nimirum, quòd Princeps ille nunquam inueniatur confeſſus fuiſſe ſuum facinus, nec ſe criminis reum appellaſſe, & ideo nulla alia ſatiſfactione, nec regalibus nuptiis, nec ingenti dote, nec fœdere inito, nec religione ſuſcepta potuit Deum placare, & ſe ab eius ira liberare. Hinc diſcamus, nihil nobis prodeſſe ad placandum Deum, niſi peccata confiteamur.

Iudith. 9.

Ille quærit peccatorum veniam, qui Domino Deo dat gloriam: ille autem dat Deo gloriam, qui ſuam confitetur culpam. Vnde ſtrenuus dux Ioſue ad ſacrilegum illum Achan. *Fili mi*, inquit, *da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere,*

Ioſue 7.

tere, atque indica mihi, quid feceris, &c. Ecce quo pacto ex confeſſione peccatorum aliqua gloria immortali Deo deferatur. Dicat igitur D.Auguſtinus.Nunquid & hoc pertinet ad laudem Dei,quando confiteris peccata tua?Imò verò maximè pertinet ad laudem Dei, quia tantò amplius laudatur Medicus,quantò plus deſperatur ægrotus,& tantò maior eſt laus ignoſcentis, quantò maior eſt exaggeratio peccata confitentis. Cùm peccata noſtra agnoſcimus, Dei gloriam commendamus. Illuſtrior igitur præpotentis Dei gloria redditur ex hominum confeſſione; tum quia in ea mira illius clementia in peccatis condonandis elucet, tum etiam, quoniam homines ipſius cauſa ſeipſos abiiciunt; & ad Confeſſariorum pedes iacentes innatum pudorem, multáſque difficultates, Deo placendi gratia, vincunt. Loquatur itaque peccator mutus;& hic Dominum laudare incipiat in confeſſione peccatorum, vt illum in futuro laudare valeat in congregatione beatorum. Amen. In Pſal.94.

FERIA SECVNDA
poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ.

Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua,&c. Luc.4.

QVÆ Medicorum ſunt tractant Medici. Diuus Lucas, teſte Apoſtolo Paulo, Medicus erat, *Salutat vos Lucas Medicus chariſſimus.* Idcirco hanc ſimilitudinem de Medico à Chriſto allatam, & à nullo alio Euangeliſta relatam, ipſe tanquam Medicus retulit; *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum.*

Ad Col. 4.

Chriſtus tam his verbis, quàm multis aliis Scripturæ locis oſtendit ſe eſſe ἀρχίατρον, verum Medicum, & Medicorum principem. Olim de ſuo populo ſic apud Prophetam conquerebatur; *Nunquid Dominus non eſt in Sion?* & poſt pauca; *Nunquid Medicus nõ eſt ibi?* Quaſi diceret: nũquid ego ſum Dominus, vt liberem vos, & Medicus, vt

Ierem.8.

vt ſanem vos? Quibuſdam Phariſæis murmurantibus ait Dominus de ſeipſo, *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* Matth. 9.

In mundi exordio poſt lapſum primi hominis oſtendit Dominus ſe eſſe verum Medicum: tanto enim ab Adamo perpetrato delicto, tantóque Deo offenſo, merebatur ille audire, ac ſubitò mortis æternæ ſubire ſententiam: ſed clementiſſimus Dominus volens potiùs curare, quàm damnare, venit ad eum, illique non maledictionem inflixit, ſed curationem præſcripſit. Nam in primis aſſignantur ei herbæ, tum ad eſum, tum ad purgationem, *Comedes herbas terræ.* Gen. 3. Deinde ſudor ei iniungitur, cùm ei dicitur, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Tum demum mutatio aëris, aut ſaltem ad propriam patriam regreſſus, tanquam ei ſalutaris prædicitur, *In pulverem reuerteris.* Ipſa mortis ſententia non eſt damnatio, ſed aëris, aut ſtatus mutatio. Deus igitur tunc, imò & nunc nos puniendo, non tam Iudicis, quàm Medici partes gerit. Dicat itaque Auguſtinus ærumnam patienti. Fili, quid plangis? medicina eſt, non pœna; purgatio, non damnatio. In Pſal. 102.

Habebat ſe Chriſtus erga iſtos Nazarenos quibus loquebatur, veluti Medicus, citando eis hoc adagium, *Medice cura teipſum.* Querebantur illi, quòd Dominus ſuos infirmos non curaret, & apud eos miracula non ederet, ſicut in Capharnaum: veruntamen Dominus tanquam Medicus etiam non curando, eos curare volebat, id eſt, priuando eos ſuis miraculis, ad ſe trahere volebat. Quos enim miraculorum operatio

ratione non ſanari, aut non conuerti viderat, eos ſubtractione miraculorum ſanare intendebat. Si Medicus præcipiat ægroto, verbi gratia, bibere vinum; & deinde animaduertat vinum ei nocere, prohibet bibere. Itaque ſiue Medicus prohibeat, ſiue bibere concedat, ſemper intendit curare, ac ſaluti infirmi conſulere.

Lib. 1. de Clem. c. 9. Extat apud Senecam egregium Luciæ mulieris dictum: Fac quod Medici ſolent, qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Nonnullos infirmos curauerat Dominus in patria ſua Nazareth, vt affirmant Matthæus & Marcus. (Matth. 13. Marc. 6.) Ibi etiam editum eſt miraculum miraculorum, nimirum diuini Verbi Incarnatio, nec propterea meliores euaſerunt Nazareni: imò ſemper increduli, ingrati, & queruli extiterunt. Tentandum ergo erat contrarium, priuatio ſcilicet miraculorum. Mos medicinæ eſt, ait Gregorius, (Lib. 24. Mor. c. 1.) vt aliquando ſimilia ſimilibus, aliquando contraria contrariis curet. Veniens ergo ad nos deſuper Medicus noſter, tantíſque nos inueniens languoribus preſſos, quiddam nobis ſimile, & quiddam contrarium appoſuit.

Tanta fuit iſtorum Nazarenorum incredulitas, vt noluerit Dominus ibi naſci, vbi dignatus eſt concipi. Natus eſt enim in Bethleem, qui conceptus erat in Nazareth: imò domunculam, ſiue ædiculam illam in qua Beatiſſima Deipara fuit ab Angelo ſalutata, & in qua Verbum caro factum eſt, retinere non meruerunt ciues illi: nam anno à reconciliata diuinitate nonageſimo quarto ſuper millenum & ducentenum, decima die Decembris ſub Bonifacio Octauo Pontifice

Maxi

Maximo, fuit à Nazareth ciuitate relictis fundamentis auulſa, & eleuata, eo iubente qui ſolus facit mirabilia magna, in cuius poteſtate cuncta ſunt poſita, Angelorum miniſterio, & tandem in agro Piceno, ſiue Recanetenſi, in media ſylua nobiliſſimæ cuiuſdam fœminæ, cui nomen erat *Laureta*, à qua domus illa Lauretana appellatur, depoſita. Erant igitur priuandi miraculis, qui ad Chriſtum nolebant adduci miraculis.

Quando autem dicitur à Matthæo & Marco, quòd Chriſtus *non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit*; non eſt intelligendum, ipſum fuiſſe impotentem ad patranda miracula, aut virtutem agendorum miraculorum ei defuiſſe: ſed ſic à Diuo Gregorio Nazianzeno explicatur. *Non poterat*, id eſt, nolebat: ſæpe enim in Scripturis ſacris, id facere non poſſe dicimur, quod facere nolumus: vt apud Geneſim de filiis Iacob, fratrem Ioſeph odio habentibus, dicitur, *Nec poterant ei quicquam pacificè loqui*, id eſt, nolebant ei pacificè loqui. Et Chriſtus ipſe nonnullis ſic ait, *Non poteſt mundus odiſſe vos*, id eſt, non vult odiſſe vos, cùm vos mundani ſitis.

Matth. 13. Marc. 6.

Orat. 4. de Theol.

Gen. 34.

Hoc modo Chriſtus dicitur non potuiſſe in patria ſua Nazareth miracula facere, id eſt, noluiſſe propter ciuium illorum incredulitatem, quam vt exaggerarent Euangeliſtæ, maluerunt dicere, non potuiſſe, quàm noluiſſe: vt indicarent Chriſtum impeditum quodammodo fuiſſe incredulitate hominum, quominus poſſet miracula edere: nec per illum, ſed per auditores

ſtetiſſe,

ſtetiſſe, quominus ea faceret. Vel, adeò eſt omne peccatum, & præcipuè infidelitatis, Deo exoſum, vt propter illud, ita mereantur priuari peccatores diuinis beneficiis, ac ſi Deus illa non poſſet conferre. Vel ſic: peccatum eſt tantæ malignitatis, vt in quantum in ſe eſt auferat, vel auferre conetur Deo poteſtatem & patrandi miracula, & homini conferendi beneficia.

Præterea, Diuus Gregorius docet illud fieri non poſſe, quod fieri non expedit. Sic ſumitur
Matth. 9. illud, *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus?* Id eſt, non conuenit, non decet, vt lugeant, vt ieiunent. Hoc etiam modo hic locus poteſt intelligi, vt dicatur Chriſtus non poſſe facere miracula; quia non expediebat, non erat iuſtum, vt faceret. Quemadmodum ſi æquus Iudex homini aliquid à ſe iniuſtum poſtulanti, reſpondeat: Non poſſum hoc tibi concedere. Hoc enim modo ipſe Chriſtus alio loco ſignificat non poſſe ſe filiis Zebedæi concedere, vt vnus ad dextram, alter verò ad ſiniſtram ſuam ſederet: quia iuſtum non erat, quo tempore id poſtulabant. *Sedere*, inquit, *ad dextram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Sic hoc loco dicitur miracula facere non potuiſſe: quia æquum non erat, vt ingratis, & indignis hominibus ea faceret, vt interpretatur
Lib. 3. hiſt. Euang. Theophylactus. Vnde canit Iuuencus,

Talibus indignans preſſit ſua munera Chriſtus.

Verùm notat hic Origenes Matthæum & Marcum ita dixiſſe, non poſſe Chriſtum in patria ſua facere miracula, vt ſimul tamen docuerint feciſſe aliqua, dum ille ait, *& non fecit ibi virtutes multas;*

multas; indicans paucas quidem feciſſe, ſed tamen aliquas: hic autem ait, *niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit*; nimirum, vt intelligeremus, qui aliqua ibi fecit miracula, plura facere potuiſſe, ſi eius regionis homines meruiſſent.

Quæritur autem, an illud prouerbium, *Medice cura teipſum*, potuerit aliquando Chriſto competere. Reſpondeo, Chriſtum adeò eſſe bonum, ac ita noſtri curam habuiſſe, vt maluerit noſtris peccatis mederi, quàm ſuis doloribus & infirmitatibus. Habuítne Chriſtus infirmitates? habuit, non ſuas, ſed noſtras. Nam teſte Matthæo, *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Qui quidem locus deſumptus eſt ex Iſaia, qui de Chriſto ſic prædixerat: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Matth. 8. Iſai 53.

Dices: Cùm non legatur Chriſtum vnquam ægrotaſſe, quomodo dolores, & ægrotationes noſtras portaſſe dicitur? Quare etiam idem Propheta vocat illum *virum dolorum*? Quia tanti, ac tam intenſi fuerunt dolores, quos Chriſtus pertulit, vt omnes dolores, labores, cruciatus, & tormenta omnium ægrotorum, & Martyrum longè ſuperauerint, vt probat Diuus Thomas. Nam primò Chriſti anima plena fuit doloribus: cogitabat enim omnia omnium hominum qui ſunt, fuerunt, & erunt, peccata etiam ſummè horrenda, & de omnibus intimè dolebat, ac ſi ipſe ea patraſſet, vt hoc dolore ea expiaret, Patríque diuino ſatisfaceret; & ad hunc dolorem exprimendum dicebat, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Ibidem. 3. part. q. 46. art. 5.

Deinde, in corpore ſingula Chriſti membra ſuos habebant dolores acutiſſimos, vt patet ſingula conſideranti. Nam ſecundùm tactum, fuit flagellatus, & clauis confixus: ſecundum guſtum, felle & aceto potatus: ſecundùm olfactum, in loco fœtido cadauerum mortuorum, qui dicitur Caluariæ, appenſus patibulo: ſecundùm auditum, laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium: ſecundùm viſum, videns matrem, & diſcipulum quem diligebat, flentes.

Tertiò, paſſus eſt Chriſtus in omnibus, in quibus homo poteſt pati. Paſſus eſt enim in ſuis amicis, eum deſerentibus: in fama, per blaſphemias contra ſe prolatas: in honore & gloria, per irriſiones & contumelias ſibi illatas: in rebus, per hoc, quòd etiam veſtibus ſpoliatus eſt. Denique in anima, per triſtitiam, tædium & timorem: in corpore, per vulnera, & flagella. Atque hæc omnia pure & merè paſſus eſt, ſine vllo conſolationis & lætitiæ temperamento. Præterea, paſſus eſt ab omni genere hominum, à Iudæis & Gentibus, à plebe & Principibus, à laicis & Sacerdotibus, & Pilato; à Iuda proditus, ab Apoſtolis negatus & derelictus. Senſit Chriſtus non tantùm ſuos dolores, ſed & omnium hominum.

Ierem. 1. Dicat igitur, *Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Cùm itaque Chriſtus ſenſerit, non tantùm ſuos, ſed & omnium dolores, id eſt, non omnes morbos omnium hominum: ſed omnes dolores, quos ſolent morbi in hominibus infirmis parere; meritò dicitur vir dolorum; & noſtras portaſſe ægrotationes, ſiue dolores ex ægrotationibus & infirmitatibus procedentes,

licèt

licet formaliter ægrotationes & infirmitates non habuerit.

Dico itaque, quòd, licèt Chriſtus ſit ſummus Medicus, & Medicorum princeps, ac intenſiſſimos dolores pertulerit, plagíſque affectus fuerit, tamen illud ei competere non potuit, *Medice cura teipſum.* Quia non venerat curare ſeipſum, ſed nos; nec pati pro ſe, ſed pro nobis: non enim indigebat curatione, qui ideo venit, vt ſua nos curaret paſſione, & redimeret ſui ſanguinis effuſione. Audi Auguſtinum. Fuſus eſt ſanguis Medici, & factus eſt medicamentum phrenetici. Voluit Medicus infirmari, & dolere, vt ſuis doloribus curaretur infirmus. Perperam ergo clamabat impius ille latro, *Salua temetipſum & nos.* Nam, vt ita dicam, ſi ſaluaſſet ſeipſum, non ſaluaſſet nos, id eſt, ſi tunc de Cruce deſcendiſſet, mortémque Crucis non ſubiiſſet, nos non redemiſſet. Voluit Chriſtus dolere, vt ſuis doloribus noſtros dolores deleret. Lib. cont. 5. hæret.

Hinc cenſent aliqui viri docti & pij, noſtros morbos, & languores (cùm ſint pœnæ peccati originalis, & ſæpe ob peccata actualia cuique à Deo infligantur) aliquid addidiſſe doloris, & cruciatus Chriſto patienti, ipsumque, vt eos curaret & tolleret, peculiares aliquas pœnas, vel pœnarum augmentum aliquod, præter illa grauiſſima tormenta quæ patiebatur, ſubiiſſe, & toleraſſe. Omnes ergo dolores quos tolerarunt, vel tolerant electi, tranſierunt per illam ſacram humanitatem, indéque facti ſunt nobis dulces & amabiles, vt aiebat quædam ſancta Virgo graui morbo afflicta. Dicat igitur Diuus Chryſologus. Serm. 150.

Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras,& ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare diuina: accipere iniurias,& reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates: quia Medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit:& qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.

Non debemus ei dicere, *Medice cura teipſum*, ſed, *Medice cura nos ipſos.* Noſtræ iniquitates il-
Iſai. 53. lum vulnerauerunt, iuxta illud, *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*: tamen illis vulneribus, præcipuè quinque plagis, ſcilicet manuum, pedum & lateris, mederi noluit, vt animæ noſtræ vulneribus mederetur illas Patri cœleſti
In Luc. cap. vlt. inceſſanter exhibendo. Audi Ambroſium. Non ſolùm fidem firmat, ſed etiam deuotionem acuit, quòd ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit; vt Deo Patri pretia noſtræ
In Luc. c. 24. libertatis oſtenderet. Audi & Bedam. Noluit obliterare ſigna mortis, vt Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, ſemper oſtendat.

Quantæ curationis fuerint iſtæ plagæ etiam exiſtente adhuc Chriſto in hoc mundo, nouerat
Ioan. 20. Apoſtolus Thomas, dum in eas manum,& digitum inferre cupiebat. De illo ſic Chryſologus.
Serm. 84. Cur cœleſtem Medicum probaturus de vulnere diſcipulus ſic requirit? Reſpondet idem Doctor, vt reſurrexiſſe Dominum, nec ipſa in poſterum dubitaret impietas. Itaque non tantùm plagæ illæ ſeruandæ erant, vt ſeruaretur ille diſcipulus; ſed ne impij deinceps de Chriſti Domini reſurrectione dubitarent: ac etiam, vt ad eas,

tanquam ad tutiſſimum effugium peccatores confugerent. Vnde Bernardus. Vbi eſt tuta, firmáque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum. Ora eum, vt ſuis plagis plagas animæ tuæ, ſuis vulneribus tua vulnera curet; & dic cum Auguſt. Heu mihi, ego vulnera mea non abſcondo: Medicus es, æger ſum. Serm 61. in Cant. Lib. 10. Conf.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Certum eſt Ieſum multa miracula in Capharnaum edidiſſe, nec propterea Capharnaitas meliores euaſiſſe. Vnde ipſe Dominus hęc eis exprobrando & comminando, dicebat; *Et tu Capharnaum, vſque in cœlum exaltata, vſque ad infernum deſcendes; quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem.* Matth. 11. Ac ſi diceret: Quia apud te habitaui, concionatus ſum, miracula edidi, tu exaltata es vſque ad cœlum, id eſt, tantum honorem hæc tibi attulerunt, vt nihil tibi aliud ſuperſit, niſi in cœlum exaltari: hoc enim maius eſt omnibus, quæ poſſunt in hoc mundo conferri: interim, quia peior euaſiſti, *vſque in infernum deſcendes.* Perierunt Capharnaitæ, quia tantæ gratiæ miraculorum apud ipſos factorũ non ſunt cooperati. Præuidebat Dominus Nazarenos miraculis non futuros meliores ipſis Capharnaitis: ideo conſulens vtilitati eorum, noluit apud eos tanta operari miracula, ne eamdem quam Capharnaitæ acquirerent dãnationem. Nouit enim bonus Medicus, ait Ambroſius, quæ eſca cui apta ſit infirmitati, & cui tempori ad profectum Lib. 5. epiſt. 23. ad Horontianum.

Ouid. valetudinis. Et ſecundùm Poëtam,

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt.
Nazarenis tunc non profuiſſent miracula; ideo non erant ibi patranda.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Capharnaum interpretatur, ager pœnitétiæ. Multa Chriſtus fecerat in Capharnaum, vt innueret ſe multa velle præſtare his qui erunt in agro pœnitentiæ; id eſt, multa Deus conferet his, qui agent pœnitentiam. O peccatores, ó impœnitentes, fortè conqueremini dicentes: Quanta audiuimus facta multis aliis hominibus, fac & nobis Domine. Quanta feciſti Iobo? duplicata ei reddidiſti. Quanta Dauidi? veniam ei contuliſti. Quanta latroni tecum in Cruce pendenti? Paradiſum ei donaſti. Et quanta multis aliis peccatoribus feciſti, eadem fac & nobis. Vultis, ô peccatores, vt duplicatā vobis donet ſicut & Iobo? eamdem habete patientiam: Deum in aduerſis benedicite, ac ſicut Iob in iactura veſtrarum facultatum, dicite, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.* Vultis eamdem quam Dauid conſequi miſericordiam? eamdem quam Dauid agite pœnitentiam. Quando ſicut Dauid fleuiſtis? quando lectum veſtrum lacrymis rigaſtis? Hoc ille fecerat, *Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis ſtratum meum rigabo.* Vultis vt ſicut latroni Paradiſus vobis promittatur? Crucem ſicut ipſe patiamini. Nam, teſte Bernardo, cognouit latro iter regni eſſe crucem. Itineri ſe commiſit, quando patienter crucem pertulit. Vt quis regnum cœlo

Iob. 1.

Pſalm. 6.

Serm. 1. in ram. pal.

cœlorum mercatur, in cruce, id eſt, in ærumnis, & pœnitentia moriatur. Qua fronte audet quis petere Paradiſum, reſpuendo crucem, qua itur ad Paradiſum, & qua aperitur Paradiſus? Crux clauis eſt Paradiſi, inquit Chryſoſtomus. Homil. de dicite.

Fac & hic in patria tua. Habuitne Chriſtus patriam? Maximè: nam de illo ſic habet Matthæus, Matth.6. *Egreſſus Ieſus abijt in patriam ſuam*, ſcilicet in Nazareth. Verùm liceat mihi cum Diuo Chryſologo ſic percunctari. Ad quam patriam vadit, Serm.49. orbem qui fecit & poſſidet vniuerſum? Reſpondet idem Doctor. Abiit Ieſus in patriam ſuam: Ibidem. non vt ſuam ſibi, ſed vt tuam tibi, quam Adam perdiderat, patriam redonaret. Voluit Chriſtus habere patriam in terra, vt ſic recuperaret homo patriam, quam perdiderat in cœlo. Abiit ergo Dominus in patriam, & ab ea aliquando exiuit, egreditur, & ingreditur, donec, inquit idem, te Ibidem. intromittat expulſum; exulem reuocet; reducat & reportet eiectum.

Docet nos Chriſtus de terreſtri patria non eſſe curandum, ſed de cœleſti: vnde Apoſtolus ab eodem Domino edoctus clamabat. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Hebr.13. Inquirenda eſt cœleſtis patria in æternum permanſura: terrenæ autem ciuitates, ædes omnes, cunctáque loca in quibus moramur, ſint nobis, ſicut auibus niduli ſui, in quibus aliquandiu habitant, ſed affectum in ipſis non collocant; imò tandem illis relictis, ſurſum per aëra volitant, nec de nido amplius curant. Vide quid de his noſtris ædibus, & habitationibus dicat Chryſoſtomus. Nidus eſt præ- Hom.50. ad pop.

ſens vita, ex feſtucis & luto coagmentatus: licèt mihi magnas ædes oſtendas, ſiue regias ipſas auro multo fulgentes, & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre cenſebo, hyeme quidem inſtante corruit. Volatilia reſpicienda, & imitanda proponit Chriſtus, *Reſpicite volatilia cœli.* Reſpicite inquã volatilia, quæ licèt in terra nata ſint, non tamen terræ, ſed volatilia cœli dicuntur, eo quòd his nidulis in terra, ſiue arboribus derelictis tendant verſus cœlum. Quaſi dicat Chriſtus: Non curant aues de nido in quo natæ ſunt, & in quo implumes nutritæ ſunt; ſic nec curare debent homines de domibus, de ciuitatibus, vbi nati & educati ſunt, cùm cœlo nati ſint, & terrena patria, omnéſque ciuitates deſtruendæ.

Matth. 26.

At dices: Proprium natale ſolum adeò dulce eſt, vt ſua dulcedine cunctos attrahat, iuxta illud,

Ouid. 1. de Ponto.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Hoc poterit eſſe verum in his, qui non niſi carnaliter, aut pueriliter viuere conſueuerunt, quibus dulcis eſt patria: non autem in his, qui fortiter ſe gerunt, & qui ad cœlum tendunt, & nihil, niſi cœleſtia meditantur. Delicatus autem adhuc ille eſt, cui patria dulcis eſt, inquit Hugo Victorinus. Olim Vlyſſi, teſte Luciano, fumus patriæ ſplẽdidior videbatur alieno quouis igne; ſed ridendus erat, ſicut & ille qui apud Poëtam, ſaltem optabat

Lib. 3. cap. 2. Didaſc.

Fumum de patriis poſſe videre focis.

Ouid. lib. 1. de Pont.

Vtinam illi ex fumo didiciſſent omnia eſſe

veluti fumũ tranſitura & peritura; fumus enim minimo vento diſſipatur,& euaneſcit : ita terrenæ patriæ minimo caſu pereunt, aut minima clade corruunt & delentur. Vnde Dauid, *Sicut deficit fumus, deficient.* Et non tantùm parum nobis curandum eſt de terrena patria,quia tandem eſt deſtruenda, & ciues veluti fumus deficient; cœleſtis autem maximè inquirenda, quia ſemper permanſura: ſed & ob hoc præcipuè vna eſt negligenda, altera verò diligenda, quia vt plurimùm, & ferè ſemper quis in terrena patria à ſuis ciuibus deſpicitur; in cœleſti autem quiſque honorificè excipitur. Quid dicat Chriſtus, audiamus.

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Idem Dominus dixerat alibi, *Quia Propheta in ſua patria honorem non habet.* Ioſeph à propriis fratribus venditur,& regnat inter extraneos. Moſes à ſuis exponitur fluuio, & à filia Pharaonis adoptatur. Dauid à fratribus deſpicitur,& à mulieribus Hieroſolymitanis honorificè excipitur. Elias in terra Iſraël perſecutionem patitur. Eliſæus à pueris deluditur : ſed vterque ab alienigenis magno ſtudio requiruntur, & in pretio habentur. *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Cur hoc? Reſpondet Diuus Hieronymus. Naturale eſt ſemper ciues ciuibus inuidere : non enim conſiderant præſentia viri opera, ſed fragilitatem recordantur infantiæ. Ideo ſæpe ciuis à ciuibus deſpicitur. De ſtatua Nabuchodonozoris dicitur, quòd, licèt caput haberet aureum, pectus argenteum, tibias ferreas : tamen, quia luteos habuit pedes, in puluerem redacta eſt:

Ioan. 4. (margin)
In Matt. 13. (margin)
Dan. 5. (margin)

à quibuſdam ſpernebatur, quia terrenis plantis ſuſtentabatur. Quod erat firmum & ſolidum non attendebant: ſed infirmum duntaxat reſpiciebant: & ſicut lapis relicto capite, cæteriſque membris validioribus omiſſis percuſſit pedes qui debiliores erant, ſic ſunt nonnulli qui duntaxat ad ea quæ imperfectiora ſunt, reſpiciunt: ſi quid autem ſit perfectionis non curant. Et quia conciues potiùs quàm cæteri cognitionem habent imperfectionum aliorum ciuium; ideò raró ciuis à ciuibus æſtimatur. Licèt in Chriſto nulla eſſet imperfectio: tamen Nazareni apud quos erat enutritus, illud quod erat exterius, nempe ſolam humanitatem attendebant: non autem miracula, quibus cognoſcere poterant eius diuinitatem. Ideo illis priuari meruerunt.

Præterea, *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*, ob nimiam familiaritatem. Solemus enim, quod tritum, ac quotidianum eſt paruipendere, quamuis magnum eſſet. Conſueuimus ea contemnere, quæ valde familiaria ſunt, ait Theophylactus. Eamdem rationem aſſignat hoc loco Diuus Thomas, vbi oſtendit, cur familiaritas cum hominibus contemptum hominum: familiaritas verò cum Deo reuerentiam Dei pariat. Non habet, inquit ille, honorem Propheta in patria: quia conuerſatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit: & ideo, quos familiares magis habemus, minùs reuereri conſueuimus: & quos familiares habere non poſſumus, magis reputamus.

D. Thom. in Matth. 13.

Cuius contrarium de Deo contingit. Nam, quantò

quantò quis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tantò eum excellentiorem reputans magis reueretur, & ſeipſum minorem reputat. Vnde Iob, *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam.* Et huius ratio eſt; quia, qui cum homine conuerſatur, cognoſcit in eo aliqua infirma; & ex eo diminuitur reuerentia. At quantò plus homo in cognitione Dei perficitur, tantò magis excellentiam admiratur, & magis eum reueretur. Hactenus D. Thomas. Iob. 42.

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, &c. Exempla proponit Chriſtus duorũ Medicorum, Eliæ, & Eliſæi, qui ſeipſos, id eſt, ſuos non curarunt, ſed alienos. Elias viduæ Sarephtanæ miraculo ſuperditauit alimoniam. Eliſæus Naaman hominem alienigenã, non Iudæum lepræ morbo liberauit. Sic non mirum, ſi Chriſtus ſummus Medicus non ſuos Nazarenos, quòd indignos ſe præſtent, miraculis curet, ſed alienos. 3. Reg. 17. 4. Reg. 5.

Illis itaque verbis, & exemplis non ſolùm docet Chriſtus, quod probare volebat, ſe nuſquam minùs, quàm in patria ſua gratum & acceptum eſſe: ſed etiam cauſam indicat, cur ibi miracula non faceret, quòd ciues ſui increduli eſſent: quemadmodum olim propter Iudæorum incredulitatem, neque Elias ad vllam Iudæam viduam miſſus fuiſſet: nec Eliſæus vllos Iudæorum leproſos curaſſet. Cur autem Chriſtus apud ſuos, id eſt, Nazarenos miracula non ederet, rationem reddit Matthæus, *Non fecit ibi virtutem propter incredulitatem eorum.* In quæ verba hic Ambro-

Ambroſius. Voluntatis eſt medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur. Expendamus autem præcipue miſſionem Eliæ ad viduam Sarepthanam.

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, &c. *ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarreptha Sydoniæ, ad mulierem viduam.* Quædam ſunt maximè conſideranda in hac hiſtoria, quæ plurimùm commendant huius viduæ charitatem. Primò, mulier erat gentilis & barbara, alienigena & ethnica, teſte Chryſoſtomo. Numquam audierat illud, *Qui recipit Prophetam, mercedem Prophetæ recipiet.* Matth. 10.

Secundò, erat tunc tempus famis validiſſimæ & generalis, ait enim ſacer textus, *Cùm facta eſſet fames in vniuerſa terra*, ac tanta, vt ipſe Rex fame premeretur.

Tertiò, Elias erat ignotus huic mulieri. Vnde idem Chryſoſt. Venit ignotus ad ignotam, ad inopem indigens, & numquam ab ea viſus. Ita vt cùm ipſa & filius eius indigerent, poſſet iuſte denegare Eliæ quod petebat, eíque dicere quod olim Nabal, *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & dabo viro, quem neſcio, vnde ſit?* Serm. 2. de Elia. 1. Reg. 25.

Quartò, inuenit illam Elias ad portam ciuitatis colligentem ligna. Poterat igitur dicere Eliæ: vade, ingredere ciuitatem, & inuenies ciues, qui melius tibi poterunt ſubuenire, quàm ego, quæ pauperrima ſum: ſine me; noli mihi eſſe moleſtus: vade vias tuas.

Quintò, modus quo poſtulabat Elias nimis importunus videbatur: nunc enim poſtulabat aquam, poſtea panem; ita vt verè dici poſſet

tritum

tum illud, *Si detur aqua Iudæo petet panem.*

Sextò, Elias petendo promittebat, & promittendo petebat, dicebat enim, *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* At indigenti Prophetæ poterat mulier reſpondere: vnde habebis farinam, & oleum? Si habeas, cur à me petis parum aquæ, & buccellam panis? Lib. de viduis.

Septimò, petebat Elias ex illa modica farina quam habebat mulier, primò ſibi fieri panem ſubcinericium, & poſtea matri & filio; *Mihi primum fac de ipſa farina ſubcinericium panem, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facies poſtea.* Quod omnino ridiculum videbatur, cùm teneretur mulier priùs ſibi & filio ſubuenire, quàm alteri.

Verùm, his non obſtantibus ſimpliciter credidit hæc mulier, & nulla habita ratione famis, & ſummæ indigentiæ, omnia quæ habuit, Eliæ, quamuis ignoto tribuit, nihílque ſibi & filio reſeruauit. Vnde illam ſic laudat Ambroſius. Tam hoſpitalis fuit, vt totum daret: tam fidelis, vt citò totum crederet. Dei Prophetam filio prætulit, & ſaluti; cui non exiguum victum, ſed vitæ ſuæ omne ſubſidium exiſtimanda eſt detuliſſe, quæ nihil ſibi reliquit.

Videte, qualiter ab alienigenis excipiatur, honoréque afficiatur Elias. Si ad viduas Iſraëliticas, aut ad alios ſuæ gentis diuertiſſet, ſanè repulſam paſſus fuiſſet, præcipuè tempore tantæ famis. Hoc præuidebat, qui eum ad hanc viduam mittebat. Proponit igitur Dominus hanc mulierem, vt pudefaciat, & confundat ſuos ciues Nazarenos, qui numquam ei talem hoſpita-

cepiſſet,

litatem exhibuerunt, ſed nec ei crediderunt. Hæc autem mulier ob ſuam in Prophetam liberalitatem meruit toto tempore famis farinam non deficientem: Prophetam pro ipſa orantem, & filium mortuum ſuſcitantem. Similia beneficia Nazareni recepiſſent, ſi in Chriſtum crediſſent.

Cæterùm obſeruandum eſt Deum dixiſſe Eliæ, dum illum mitteret: *Vade in Sarephta Sydoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Expende illud (*Præcepi mulieri*, &c.) Non legimus Deum expreſsè mulieri præcepiſſe, vt Eliam paſceret: & tamen, niſi Deus præcepiſſet, mulier Prophetam non pauiſſet. Quando ergo, & quomodo præcepit Deus? Reſpondeo: poterat Deus miſiſſe quamdam huic mulieri inſpirationem, qua cognouit, aut cognoſcere potuit dandum eſſe panem huic Prophetæ. Vel dicimus, tunc Deum præcepiſſe huic mulieri, vt paſceret Eliam, quando ad eam miſit Eliam. Tunc Deus vult & præcipit, vt diues paſcat indigentem, dum ad eum mittit indigentem. Deus,
Luc. 16. verbi gratia, præcipiebat diuiti epuloni, vt paſceret Lazarum, dum permiſit, vt ad ianuam domus eius iaceret Lazarus. Pauper erat hæc vidua, quæ nihil habebat, niſi pugillum farinæ; videns tamen Eliam ad ſe miſſum, & ab eâ poſtulantem, agnouit ſe teneri ex illa modica farina ei ſubuenire. Peccauit epulo non adimplendo præceptum, quod fecerat ei Deus mittendo pauperem, vt eam paſceret: peccaſſet & iſta mulier, ſi tunc Eliam ad eam miſſum non pauiſſet, quia præceptum Domini non adimpleuiſſet.

Peccas & tu, ſi, cùm poſſis, fameſcentem non paſcas.

Paſcendo autem hæc mulier Eliam, & præceptum Dominicum adimpleuit, & bene ſibi conſuluit: quia dando Prophetæ eleemoſynam, plus habuit farinæ, quàm dederat, & quam antea habuerit. Itaque mittens Dominus Eliam ad hanc mulierem, non tam conſuluit neceſſitati Eliæ, quàm viduæ. Hoc obſeruauit Auguſt. Deus, inquiens, religioſam viduam, per obſequium exhibitum ſeruo ſuo, benedicere diſponebat. Idem ſentit Chryſoſtomus, qui ſic ſcribit. Non pro ſua tantùm requie ad eam miſſus eſt Propheta, vt ab inope paſceretur, quantùm vt egentem paſceret. Non enim perdidit hæc mulier farinam, ex qua Prophetæ fecit panem; imò auxit. Largiendo non perdebatur, aut minuebatur illa farina, ſed augebatur. Serm. 26 de verb. Dom. Hom. 15. in Matth.

Inde colligunt Doctores nullum melius dari medium, quo augeatur triticum, oleum, & cætera id genus, quàm ea pauperibus erogando. Quod Diuus Clemens oſtendit hac ſimilitudine. Quemadmodum, inquit, putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram reuertuntur: ita etiam elargitio, quæ eſt fons bonus benignitatis, potum ſitientibus communicans, rurſus augetur, & repletur. Eadem ſimilitudine vtitur Baſilius, dum de eleemoſynam erogantibus ait. Puteos imitantur, qui continuò exhauſti minimè deficiunt, ſed duplò copioſiores euadunt. Lib. 3. Pæd. c. 7. Hom 8. in diuit & aua

Itaque, quando Deus ad te mittit pauperem, non tam conſulit illius neceſſitati, quàm tuæ vtilitati: & quando das, tam tibi quàm illi das.

Poterat

Poterat Deus ſubuenire neceſſitati Eliæ,ſed ope huius viduæ vſus eſt,vt dando Prophetæ, ipſa ſibi etiam daret,cùm inde cœpit farina & oleum eius magis abundare. Ita poteſt Deus pauperi quem ad te mittit, ſubuenire: ſed per te vult pauperem ſubleuare, quem aliunde poterat ſuſtentare. Quando igitur vides venientem ad te pauperem, gratias agas Deo,& noli gloriari, ſi pauperibus largiaris.Nam qui paſcit vos, paſcit

In hom.50. hom.13. illos per vos, inquit Auguſtinus. Tuis, quæ tibi dedit Dominus bonis vtitur, vt pauper ſubleuetur.Deus te ſubleuauit, opes tibi tribuendo: tu pauperi ſubuenias, ex eis largiendo; & cùm à Deo quæ habes acceperis, Deo in perſona pauperis non das, ſed reddis, quod debes; & illud reddendo debitum,non propterea tibi minuitur

Serm.9. conceſſum. Audi Chryſologum. Vult Deus in paupere ſibi dari:& qui vult ſibi dari,vult quod datum eſt ſe debere, & qui vult ſe debere quod datum eſt,vult largientibus nil perire.Deus parua poſcit,maxima redditurus.

Errant interim,qui exiſtimant pauperem ſine ipſorum adminiculo non poſſe ſuſtentari, ideo, dum dant volunt gloriari. Narrat ſacra Scriptu-

2.Reg 6. ra Ozam arcam Dei tenuiſſe calcitrantibus bobus eam deferentibus, atque ob id fuiſſe à Domino percuſſum. *Iratus eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, & mortuus eſt*: vel ſecundùm Hebræum notante Caietano, *percuſſit eum ſuper facto erroris*. In quo errauit? Sanè errabat, quia exiſtimabat actum eſſe de arca, niſi manum admouiſſet, eámque ſuſtentaſſet: temeraria ergo fuit eius opinio, exiſtima

exiſtimabat enim arcam, in qua Deus præcipuè morabatur, & quæ eum repræſentabat, ita ab eo deſtitui, vt ſine ſuis manibus omnino laberetur & deſtrueretur. Ita falluntur, qui opinantur pauperes non poſſe aliunde, ſine ipſorum adminiculo, ſubleuari: Deus enim, cùm in pauperibus præcipuè repræſentetur, eorum non obliuiſcetur: ſed curam geret. Vult quidem, vt tu eis ſubuenias, licèt non deſint ei multa media ad eos ſuſtentandos: tua tamen vtitur ope, vt tam merearis tu erogando, quàm ipſi rogando. Poſtulantibus igitur à te pauperibus, plus debes Deo, ac maiores teneris ei gratias agere, quàm pauperes tibi. Audi Diuum Auguſtinum hæc omnia egregiè confirmantem. Omnes pauperes, quos videtis, potuit Deus paſcere, quomodo per coruum pauit Eliam: tamen & ipſi Eliæ ſubtraxit coruum, vt à vidua paſceretur; non Eliæ præſtitit, ſed viduæ, &c. Viduæ, inquam, prouidebat, quando ipſa Eliam paſcebat. In Hom. 50. hom. 13.

Imitare igitur hanc viduam, quæ dimidiatam farinam quam habebat Prophetæ tribuit. Ex modico modicum, ex multo tribue multum. Si, verbi gratia, vnicus tantùm tibi ſit panis, & accedat ad te pauper, eleuans oculos in cœlum, dic: Domine Deus, nihil habeo præter hunc panem, quem diuido, in hunc paupere habebis partem: ego, vel potiùs tu in me, alteram. Hoc conſilium dedit Diuus Baſilius. Ne verere ex paruo dare: ſi vnus tantùm tibi ſit panis, ad fores autem rogator adſit, dans, manus ad cœlum attolle, & dic: vnum hunc panem habeo, quem vides Domine; &c. Serm. ad diuit.

Ibidem. Pungit idem Doctor eos, qui verbo dicunt non habere, quod pauperibus dent: & tamen ſe poſſe dare, digitis aut digitorum annulis oſtendunt; ſic enim ſcribit. Tu negas te daturum, impoſſibile eſſe affirmans ſufficere, ac ſuppeditare tot petentibus, & lingua quidem te excuſas; à manu autem redargueris. Nam manus tua tacens, vanitatem declarat, dum gemmæ, ac annuli fulgore coruſcat. Quot poteſt vnus tuus annulus ab ære alieno exoluere: quot domos corruentes erigere? Hæc mulier vnum, aut duos annulos non gerebat, quæ duo ligna colligebat. Illam Dominus proponit, & laudandam, & imitandam, & ad Nazarenam gentem pudefaciendam.

Præterea, licèt *multæ viduæ eſſent in diebus Eliæ*, tamen *ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi ad mulierem hanc viduam*, vt hic maximum miremur, contemplemur, & laudemus Dei artificium, ſiue admirabilem Dei aſtutiam, dicamuſque: *Aſtutias eius quis agnouit?* Grauiſſima peccata patrauerat populus Iudaicus, propter quæ rogauit Elias Dominum, ne plueret ſuper terram, vt fame, ſitíque premeretur. Promiſit Dominus ſe non miſſurum pluuiam, niſi ad petitionem Eliæ. Vnde ipſe ait; *Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* (Eccleſ. 1.)

Dominus autem, cùm ſit clemens & miſericors, ſuam volebat reuocare ſententiam, populóque facere miſericordiam, dando nimirum pluuiam: at obſtabat promiſſio eius facta Eliæ, qua obſtringebatur, ne daret aquam, niſi petente

tente illo Propheta. Quid igitur agendum, vt cogatur Elias aquam à Domino pro populo poſtulare? Mittitur ad iſtam viduam, vt ab ea, graſſante fame, paſceretur. Contigit autem tunc filium huius viduæ mori, propter quod ſeſe excruciabat Elias, qui quaſi conquerendo, ſimúlque pro filio deprecando, *clamauit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiámne viduam apud quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius,* &c. *Reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.*

Ideo Dominus voluit hunc puerum mori, vt miſericordiæ neceſſitate conſtringeretur Elias, ac Dominum orare cogeretur, atque ita à iuramento ſolueretur; & quaſi diceret: Iam agnoſco Domine mirabilem aſtutiam tuam, & quid à me velis. Tu bene ſcis, quòd debitor ſim huic mulieri, & quòd tenear pro filio eius mortuo maieſtatem tuam deprecari: verùm petitioni meæ non acquieſces, niſi ego acquieſcam, vt pluat ſuper terram. Vis dare pluuiam, ſed, ne ſoluatur iuramentum, non dabis, niſi poſtulem; ideo cogis me poſtulare: &, vt video, non dabis vnum, niſi concedam alterum, id eſt, non reſuſcitabis hunc puerum, niſi ego orem, vt alteri puero, ſcilicet populo Iſraelitico [illegible] pluuia. Hæc excogitatio eſt Diui Chryſoſtomi, qui Eliam Domino ſic loquentem inducit. Heu mihi Domine, viduæ apud quam ego habito, tu occidiſti filium. Non eſt mors iſta naturæ euentus: tuum opus eſt, tuæ technæ, quibus me in miſericordiæ neceſſitatem adigis; vt, ſi dicere tibi noluero: Domine miſerere filio viduæ mortuo, Serm. 1. de Elia. Tom. 6

tu mihi ex aduerſo reſpondeas, miſerere filio Iſraël. Ad miſericordiam me compellis. Sentio artes tuas. Hoc agis Domine, vt ſi dixero tibi: ſalua filium viduæ, tu mihi reſpondeas: filium meum Iſraël tu fame occiſum miſericordia dignare. Petis à me gratiam, petitur viciſſim & à te gratia. Solue famis ſententiam, & ſoluam mortis calculum, &c.

Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, &c. *vt præcipitarent eum.* Hoc tam impio impetu confirmant Iudæi, quod iam Chriſtus dixerat, nimirum, quòd *nemo Propheta acceptus eſſet in patria ſua.* Non tantùm iſti non excipiebant, ſed & eum ab aliis exceptum eiiciebant: atque ita incredulitatem ſuam patefaciebant, ac ſe miraculis indignos oſtendebant. Ducunt igitur iſti Nazaeni Dominum ad montis ſupercilium, vt agant in præcipitium: in hoc diabolo peiores, qui licèt Chriſto ſuaderet, vt ſe præcipitaret, illum tamen non eſt auſus præcipitare. Iſti verò, ſi potuiſſent, præcipitaſſent. In hunc locum. Exclamet igitur Ambroſius. O peior magiſtro diſcipulorum hæreditas! Ille verbo Dominum tentabat; hi facto. Ille dicit, *Mitte te deorſum:* iſti adoriuntur, vt mittant.

Heu, quoties peccator fit dæmone deterior? Multa enim committit, quæ nec ipſe dæmon vnquam commiſit, nec committere vellet. Dicat Lib. de caſ. diab. igitur peccator illud Anſelmi. Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta ſuperbiens peccauit; ego viſa eius pœna non continens ad peccatum properaui. Ille in innocentia conſtitu-

tus,

tus; ego verò reſtitutus. Ille periſtitit in malitia Deo reprobante; ego verò reuocante. Ille obduratur ad punientem; ego verò ad blandientem: & ſic vterque contra Deum. Ille contra non requirentem ſe: ego verò contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, horrorem in multis aſpicio me horribiliorem. Horremus, inquam, dæmonem, & tamen in multis imitamur dæmonem, imò aliquando peiores, vt iſti Nazareni, efficimur dæmone. Quæ infœlicitas, inquit Auguſtinus, & quanta miſeria, imparem etiam dæmonibus inueniri? Meruerunt illi ciues ob ſua peccata priuari Chriſti miraculis, & ab eo derelinqui: vide ne tuis peccatis diuino priueris auxilio.

De 5. hæreſ. c. 4.

FERIA TERTIA
POST DOMINICAM tertiam.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. Matth. 18.

QVÆ Diuo Petro dicta eſſe à Chriſto legimus, ſunt in triplici differentia. Quædam enim dicta ſunt ei ratione officij paſtoralis, quæ proinde dicta intelliguntur non tantùm ſibi, ſed & omnibus ſucceſſoribus eius, & Eccleſiæ Paſtoribus: vt, *Paſce oues meas*; &, *Confirma fratres tuos*; &, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Quædam verò dicta ſunt ei ratione aliqua propria perſonæ ipſius; & illa ipſi tantùm, & non alteri dicta ſunt, vt, *Vade poſt me Sathana*; &, *Ter me negabis*, & ſimilia. Alia dicta ſunt ei, tanquam vni ex fidelibus, & idcirco non tantùm ipſi, ſed & omnibus Chriſti fidelibus dicta eſſe dicimus, vt iſta quæ memorantur hodie a Matthæo, qui ait.

Dixit Ieſus Petro: *Si peccauerit in te frater tuus,*

tuus, vade, & corripe eum. Sciendum eſt nos eſſe ſimul, quaſi corpus vnum myſticum cum proximo noſtro. Ita ſentit Diuus Paulus; *vnum corpus, & vnus ſpiritus, quoniam ſumus inuicem membra.* Hoc non latuit Senecam. Membra ſumus corporis magni. Sicut autem quando læditur, aut infirmatur vnum membrum noſtri corporis, cætera etiam infirmantur, & dolent, & conantur pro poſſe ſuccurrere ei: ita non poteſt quis peccare, quin peccet in nos, id eſt, quin dolere debeamus. Audi infirmantem, & cæteris infirmantibus condolentẽ: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Audi & alium. *Vidi prauaricantes, & tabeſcebam:* quare? quia in ſe ipſo ſentit quæ alij in ſe ipſis ſentiunt. Debemus igitur charitatiuè corripere delinquentem, ſicut conantur cæteræ partes corporis curare partem infirmantem. Quia, inquit Ambroſius, cùm vnum membrum patitur, & cætera membra compatiuntur. Epiſt. 96. Pſal. 118. In Pſal. 118. Serm. 7.

Qui autem non corripit quando poteſt, ſimilis eſt ei qui non curat ſuccurrere alicui membro ſui corporis malè ſe habenti, ex qua quidem incuria ſequitur interdum cæterorum membrorum infirmitas; non enim infirma eſſent ſi infirmum curaſſent: ita plurimi non vexarentur, ſi ab eis peccantes corriperentur. Quærit Diuus Auguſtinus, cur plerumque cum malis affliguntur boni? Reſpondet. Iure iſtam vitam, quando diuinitus affliguntur cum eis, amaram ſentiunt, cuius amando dulcedinem, peccantibus eis amari eſſe noluerunt. Et paulo pòſt. Illud eſt culpabile, quòd hi qui diſſimiliter viuũt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen pec- Lib. 1. de ciuit. Dei. c. 9.

catis alienis, quæ dedocere, & obiurgare deberent. Non ſatis eſt igitur non peccare, ſed & peccantes debemus, quoad fieri poteſt, increpare, vt pœnam non corripientibus debitam valeamus euitare.

Homil. de terræ motu. Ad hoc nos hortatur Chryſoſtomus hac ſimilitudine. Si calcaneo ſpina ſit infixa, deorſum oculus ſe inclinat, quòd membrum ſit corporis; nec dicit quandoque, in altis ſedeo, membrum quod deorſum eſt nihili facio: ſed inclinat ſe, ſuámque deſerit altitudinem. Quòd ſi oculus calcaneum intueatur, vt ei medeatur, cur Chriſtianus deſeret proximum ſuum? Cur non ſe inclinabit ad illum corrigendum?

Luc. 17. Idcirco nõn eſt prætereundum, imò maximè obſeruandum quod Chriſtus apud Lucam dum agit de correctione fraterna, non dixit ſimpliciter: *Si peccauerit in te frater tuus*, ſed præmiſit; *Attendite vobis: ſi peccauerit in te frater tuus*, &c. quaſi dicat. Res veſtra agitur, cùm frater veſter corripitur, ſicuti cæterorum membrorum ſaluti conſulitur, dum vnum membrum infirmum curatur: ergo *Attendite vobis*, &c. Si enim negligatis corripere culpam, ſuſtinebitis pœnam. Ob vnius

2. Reg. 24. Dauidis peccatum, totus populus fuit caſtigatus. Propter vnius Ionæ inobedientiam, periclitabatur nauis, ſimul & nautæ. Tempore Ioſue,

Ioſue 6. propter vnius furtum vexabatur totus populus,

Reſp. 4. 7. quod expendit Diuus Baſilius, dum ſic ſcribit. Quando Achan furatus eſt regulam illam auream, populus delictum, & delicti auctorem ignorabat, vſque dum ipſe Dei indicio manifeſtè deprehenſus fuit; & tunc totus populus illum

cum

cum ſuis omnibus exitio ſubiecit. Si ergo aduerſùs eos qui ſceleris auctoris conſcij non fuerant, vehemens Dei ira adeò exarſit, quid his dicendum, qui & conſcij ſunt, & tacentes diſſimulant? Infert optimè Chryſoſtomus, quando ſic quærit. Quid dicis? alter peccauit, & ego plorabo? In corpore tametſi pes vulnus accipiat humi declinans, caput inclinamus. Caput inclinatur, quando pes infirmatur: ita dum vnum membrum, id eſt, proximus labitur, ab alio membro erigatur, & corrigatur. Igitur Homil. 15. in 1. ad Cor.

Vade, & corripe eum. Vult Chriſtus in hac ſaltem correctione, noſtram in eum oſtendamus dilectionem: quando quis Deum offendit, etiam te offendit. Si videas aliquem iniuriis afficere patrem tuum, nónne ſi verè filius ſis, hanc iniuriam tibi etiam fieri dices, & illam vindicare conaberis? Cùm iniuria patris redundet in filium, & è contrà, nónne patri iniurium increpares? Sic dum vides aliquem Deum offendere, ſcito etiam te offendi, cùm ſis creatura & filius tanti Patris, cui ſi fiat iniuria, in te etiam, eius creaturam redundabit. Cuius quidem iniuriæ eris particeps, & de ipſa dolebis & conquereris, tanquam ſi tibi ſoli fieret, iniuriúmque increpabis & argues, ſi verè filius ſis, & illum diuinum Patrem ardentiſſimè d[illegible]gas.

Docent te ipſa animalia ratione carentia, quorum quæd[illegible]m heros, aut nutrit[illegible]os ſuos defendunt; nec ſinunt illos lædi, & ſi lædantur, l[illegible]dentem adori[illegible]ntur. Teſtes ſunt ipſi canes, qui l[illegible]tu ſuo, & morſu, ſuos defendunt dominos. Lib. 6. Hexam. c. 4.
R[illegible] Ambroſius quemdam canem ita do-

luiſſe de domino occiſo, vt queſtu lacrymabili domini defieret ærumnam, irruerétque in occiſorem, illúmque teneret, ne tantum ſcelus inultum remaneret. Tum canis ſequeſtrato pauliſper queſtu, dolens, arma vltionis aſſumpſit, atque apprehenſum tenuit. Exclamat igitur idem
Ibidem. Doctor. Quid nos dignum noſtro referimus creatori, cuius cibo veſcimur, & diſſimulamus iniurias, & ſæpe inimicis Dei eas quas à Deo accepimus, epulas exhibemus? Fieríne poteſt, vt in hoc ab ipſis canibus vincamur?

Multos videmus Deum offendentes, & ridemus, ſi Deo tanquam membra capiti vniremur, has offenſas ſentiremus; quia non vnimur, non ſentimus. Ideo Deum non defendimus, ſed offendimus, peccantes ei non increpamus, ſed laudamus, aut ſaltem peccata diſſimulamus, cùm tamen ipſe iniurias nobis illatas, tamquam pro-
Luc 10. prias ſibi arrogget. Nónne audis, *Qui vos ſpernit, me ſpernit?* Saulus adhuc ſpirans minarum fideles
Act. 9. perſequebatur, at ipſis tacentibus, quaſi non ſentientibus, Chriſtus vociferabatur, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Quæ verba attendens Au-
In Pſal. 3. guſtinus, ſic obſeruat. Non ait Chriſtus, quid Sanctos meos, quid ſeruos meos, ſed quid me perſequeris? Caput pro membris clamat: vocem namque pedis ſuſcipit lingua; quando forte in turba contritus pes dolet, clamat lingua: calcas me: non ait, calcas pedem meum, ſed ſe dicit calcari, quia per id quod calcatus eſt, à lingua [illegible]tus non eſt. Vere Deum non diligis, ſi pe[illegible]s
Prou. 13. in illum corripere negligis. *Qui diligit [illegible] corripit.* Peccat autem in illum, qui in te, vel co-

ram,

tam, aut contra te, peccat. Neſcitis quòd *peccantes in fratres, in Chriſtum peccatis?* ait Apoſtolus. 1. Cor. 8

Si quis igitur peccauerit in te, *vade, & corripe illum*, non ſolùm quia peccauit in te, ſed quia peccando in te, peccauit etiam in Deum. Punit Deus offendentes te, argue ſratrem & corripe offendentes Deum, ac ſi teipſum offenderent. Studeamus, inquit Chryſoſtomus, par Domino rependere & referre. De quibuſdam conqueritur idem Doctor, qui de peccatis in Deum non curant, ſed de his tantùm quæ ad eos referuntur. Neſcio, inquit, quomodo fit, nam omnia peccata quæ ad Deum pertinent, inulta ſinimus, ſi quis autem parum in nos peccauerit, eius ſumus graues vltores & accuſatores. Non corripimus peccantes in nos, ſed percutimus, lædimus, iniuriis afficimus, in Deum autem peccantes ſinimus, quia nos pluſquam Deum diligimus. Hom. 26. in Gen.

Vade, & corripe illum. Dices, quid mihi cum aliis? Conſulat vnuſquiſque ſibi, ego meæ tantum ſaluti volo inuigilare, non de aliis, de anima mea tantùm mihi eſt curandum. Non ſatis eſt tui ſolius habere curam, ſed tibi attendendum eſt, quod omnibus dicatur, *Unicuique Deus mandauit de proximo ſuo.* Qui vult vt cum illo in cœlis regnemus, iubet vt cum illo proximum noſtrum in terris corrigamus. Vult Diuus Auguſtinus, vt attendamus eum qui ſibi talentum abſconderat, & in lucrum, vt aliis prodeſſet, non erogauerat. Dices, inquit ille Doctor: Quid mihi eſt curare aliena peccata? Sufficit mihi animam meam integram ſeruare Deo. Eia non tibi veniat Tract. 10. in Ioan.

in mentem ſeruus ille qui abſcondit talentum, & noluit erogare? Nunquid accuſatus eſt, quia perdidit,& non quia ſine lucro ſeruauit?Ita, ille accuſabitur, & caſtigabitur, per quem peccator non corripitur.

Adhuc dices:Operam & oleum perdam,ſi delinquentem corripiam, cùm ſciam illum duræ eſſe ceruicis,& cor habere induratum, nihil igitur proficiam. Reſpondeo. Noli conſiderare quod ille facturus,aut non facturus ſit,ſed quod tibi præſtandum eſt:tuum enim eſt,ire ad delinquentem, *vade*;illúmque corripere, *corripe illum.* Delinquentis autem eſt audire te, & niſi te audierit pœnas dabit; nam tu fac quod tuum eſt, & relinque ei quod ſuum eſt. Qui præcipit tibi vt vadas, & corripias, non mandat, vt ſanes & conuertas;non inquam dixit,*ſana eum*,ſed,*corripe eum.* Noſtrum eſt ſalutem proximi procurare, ſed non facere, vel cauſare. Ponderat Diuus Bernardus illud, quod ſtabulario dictum fuit à Samaritano de homine ſauciato. Audiſti,inquit, curam illius habe, & non,cura, vel ſana illum. Proximum non poſſumus curare, ſed ſaltem curare debemus,vt curetur,nec poſſumus ſaluare, ſed laborandum nobis eſt, vt ſaluetur. Sicut enim *non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger:* ita non eſt corripientis peccantem conuertere, aut lucrari; ſed tantùm illi ſatagendum eſt, vt conuertatur. Non tenetur quidem illum conuertere,ſed ad illum diuertere, *vade*; nec illum de malo eripere,ſed de peccato corripere, *corripe illum.* Ad hoc autem tenetur, quamuis ſciret quòd peccator non conuerteretur.

Lib. 4. de Conſid.

Ouid. de Pont. eleg. 4.

Vult

Vult igitur Deus, vt erga proximum, quod in nobis eſt faciamus, licet nos ad illius conuerſionem nihil profuturos ſciamus. Deus ipſe non minùs eos monet, vocat & inuitat, quos ad ſe minimè venturos agnouit. De Pharaone à Domino quidem dictum eſt, *Pharao non audiet vos*, nec propterea deſtitit Dominus illum vocare Moyſis prædicatione, miraculorum operatione, plagarum immiſſione. Quid dicat Chryſoſtomus audiamus. Tametſi Deus, cui explorata ſunt futura, ſæpe dixit, & nihil perfecit, & neque ſic deſtitit tamen, præſciret licet non eſſe perſuaſurum. Non minùs miſit Ezechielem ad populum, de quo iam illi dixerat, *Domus exaſperans eſt, & irritatores ſunt.* Domine ſi tales futuri ſunt, non audituri, & non credituri, vel non conuertendi, cur mittis ad illos? Cur etiam nobis præcipis illos corrigere, quos ſcis nolle ſe dirigere, nec conuertere? Hoc ideo præſtat Deus, vt vnde ſe excuſet non habeat homo: ſi enim peccator non corriperetur, forte, quòd cum nullus monuerit, aut corripuerit, conquereretur. Vt igitur deſint peccatori excuſationes, non vult Deus, vt deſint ei correctiones. Itaque, *vade, & corripe illum*, &c.

Exod. 11. Hom. 44. in 1 ad Cor. Ezech. 2.

Ideo hortamur vt errantem corrigamus, ne maledicamur. Audi & nota quid dicat Angelus, *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt in auxilium Domini, in adiutorium*, &c. Deus noſter non indiget auxilio, ſed eo quo non eget vtitur, vt proximus corrigatur, & corrigens mereatur. Qui fecit te ſine te, non vult ſaluare te ſine alio, neque

Iud. 5.

neque alium ſine te. Idcirco mittit te ad peccantem, ac ſi tua indigeret ope; *vade ergo & corripe illum.* Si in hoc ſimus Dei coadiutores, erimus tandem cœli habitatores, &c. Conquerebatur

Iſa. 64. Dominus apud Iſaiam, *Circunſpexi, & non erat auxiliator, quæſiui, & non fuit qui adiuuaret.* Qui proximum errantem corrigere negligit, ſimilis eſſe vult Caino reproborum principi, qui dice-

Gen. 4. bat, *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?*

Et non tantùm Caino fit ſimilis, ſed & impio epulone in inferno exiſtente fit deterior, qui in medio flammarum adhuc fratrum ſuorum recordabatur, eorumque ſaluti conſulebat, dum Abraham orabat, vt aut Lazarum, aut aliquem alium ex mortuis ad eos mitteret, eóſque moneret. Vides deploratum, damnatúmque hominem de fratrum ſalute eſſe ſolicitum, & tu non curabis? &c.

Inter te & ipſum ſolum. Non dixit Chriſtus, vade, & quòd frater tuus peccauerit, omnibus enarraueris, hoc ſuadet diabolus. Sed Chriſtus ait, *corripe illum inter te & ipſum ſolum.* Clàm debet proximus corripi, non palam diffamari. Audi m[illegible]m. Audiſti verbum aduersùs proximum tuum, moriatur in te, non enim te diſrumpet. Id ait, ita parum aliis patefacias peccatum alterius, acſi non commiſiſſet, ſint in te fratris peccata mortua, ſicut in aliis velles mori tua. Nunquam enim prodeſt, imò ſæpe obeſt aliena peccata certatim propalare. Quid mihi enim

Epiſt. 4. ad Ruſt. prodeſt, inquit Hieronymus ad Ruſticum, ſi aliis mala mea referas, & cùm certatim omnibus narres, ſic ſingulis loquaris, quaſi nulli dixeris

alteri?

alteri? Hoc non eſt me emendare, ſed vitio tuo ſatisfacere.} Fugiamus diffamationem, amemus correctionem.

Lucratus eris fratrem tuum. Ecce quid conſequeratur ex illa correctione. Fœlix qui huiuſmodi lucro ſtudet, quo nihil eſt maius. Non lucraberis fratrem, niſi te audiat, non audiet niſi corripias, non poterit te habere lucrantem, niſi te habuerit corripientem. Quantum autem ſit huiuſmodi lucrum, attendendi ſunt quos lucramur. Lucramur enim homines qui vocantur diuitiæ Dei, teſte Nazianzeno, Deus nos pro diuitiis ſuis habet. Vt iſtas diuitias, ſcilicet homines lucraretur, Deus factus eſt homo, huic tantùm lucro ſe dedit: dedit diuinus Pater Filio homines in hæreditatem. *Poſtula à me, & dabò tibi gentes in hæreditatem.* Pluris Deus facit homines quàm cœlum & terram, illa enim propter homines condidit. Apud Deum, inquit Chryſoſtomus, nihil viſibilium homini par eſt: nam & cœlum, & terram, & mare, propter eum fecit, & in eo magis, quàm in cœlo delectatur inhabitans. Homil. 1. de pace. Pſalm. 2. Homil. 35. ad pop.

Ille igitur lucrabitur cœlum, qui corripiendo lucratur illum, propter quem factum eſt cœlum, & ad quem lucrandum Deus deſcendit de cœlo. *Filius hominis venit animas quærere & ſaluare.* Caue ne tua culpa aut ſubtractione correctionis damnetur, propter quem deſcendit Filius Dei. Vnde idem Doctor, vt ad huiuſmodi lucrum nos hortaretur ſic ſcribit. Si immenſas pecunias pauperibus eroges, plus effeceris ſi vnam animam conuerteris. Magnum ſane & laudabile Luc. 9. Hom 3. in 1. ad Cor.

dabile eſt miſereri pauperibus, ſed magis, ſi errantem ab errore reuocaueris. Erogando enim pauperi, corpori ſubuenis: at, corrigendo errantem animæ conſulis. Si autem pauperi eleemoſynam denegantes audituri ſint, *Diſcedite maledicti in ignem æternum*, &c. qualem incurrent punitionem, qui proximo peccanti denegarunt correctionem? Ergo pium latronem imitare, qui in cruce non tam ſuam, quàm ſocij ſalutem curabat, quando illum ſic increpabat; *Neque tu times Deum.* Illum ad Deum timendum, & ad ſuam culpam agnoſcendam inuitabat, propter quod non tantum Paradiſum, ſed & lauream Doctoratus meruit obtinere. Audi Auguſtinum. Latro clauis affixus, quæ circa ſeipſum erant relinquens, de altero curam gerebat in cruce, Doctor effectus.

Serm. 130. de temp.

Lucratus eris fratrem tuum. Verè illum lucraris, ſi te corripientem audiat: quia niſi audierit te, & emendetur, ad pœnam ſibi debitam etiam nemine impellente proficiſcetur. Si enim quis læſerit te, & non ſatisfecerit tibi, haud dubiè ipſemet ad vltionem tendet. Hoc innuere voluit quædam mulier, dum Dauidi mortem filij ſui Amnon vindicare, & in Abſalomem animaduertere quærenti, ſic loqueretur. *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur*: quaſi diceret, noli, mi Rex, vindictam quærere, quia ſicut omnes naturali quodam curſu tendimus ad mortem, & aquæ etiam ad ima deſcendunt, vel ad mare fluunt: ita qui alios iniuria affecerunt, niſi ſatisfaciant ad vltionem properabunt. Hoc in ipſomet Abſalome perſpicuum eſt, qui interfecerat,

aut

aut interfici iuſſerat fratrem ſuum ; ſed tandem ipſemet interfectus eſt ; nam capillis ad quercum ſuſpenſus miſerè periit. Ei quidem pepercerat pater;ſed quia nondum planè ſatisfecerat, ſui criminis dedit pœnas , atque ad vindictam, & ad pœnam ſibi debitam currendo peruenit. Quod præuidens mulier illa prudens , ſuperuacaneum ducebat de illo vindictam ſumere.

Grauiſſimm crimen proditor ille Iudas commiſerat : poterat Chriſtus iuſtè vlciſci , ſed noluit;imò verò illum multo ſtudio multíſque officiis ad meliorem mentem reuocare voluit:renuit proditor ad pœnitentiam confugere, &, vt decebat,ſatisfacere;quid tandem ? Nemine, niſi dæmone inſtigante , ipſemet ad vindictam properauit : nam *abiens laqueo ſe ſuſpendit*. Et notandum eſt,Scripturam non dixiſſe,*abiit*,ſed,*abiens*; quaſi ſtatim patrata proditione, iam eſſet abiẽs, vel abiret ad vltionem. Quod etiam ex verbis Diui Petri , & aliorum Apoſtolorum de illius Apoſtolatu colloquentium colligitur:*de quo*, inquiunt , *præuaricatus eſt Iudas , vt abiret in locum ſuum*. Non fuit opus , vt quis illum duceret ad talem locum ſuo crimini aſſignatum, cùm ipſemet ex ſeipſo abierit. Sicut enim omnia tendunt ad proprium locum:ita offenſæ ad pœnam ſibi debitam tanquam ad ſuum locum. Dole itaque ſortem lædentis te,quia illum manet grauiſſima vltio , quam accelerare non cures , cùm ad eam , ſtatim ac tibi nocuit , tendere incipiat.

Matth. 26.

Act. 1.

Cæterum,ſicut præcipit Dominus , vt errantes corrigamus , ita vult , vt corrigentes audia-

mus, & ex illorum correctione vtilitatem capiamus. Neque enim minoris eſt meriti corripi, quàm corripere; nec minoris ſupplicij nolle corrigi, quàm nolle corrigere. Quæ autem tormenta maneant abiicientes correctionem, indi-
Eccl. 19. cat Scriptura; *Qui odit correctionem minuetur vita.* Quid quæſo hominibus magis inuiſum, quàm mors? Quid magis gratum & optabilius, quàm vita? At cùm quis vita priuatur, mortem incurrit. Mortem igitur correptionem abiicienti comminatur Dominus: mortem, inquam, naturæ, culpæ, & gehennæ. Quare & in Prouerbiis
Prou. 15. dicitur; *Qui increpationem odit, morietur.*

Exod. 4. Quid eſt, obſecro, quòd proiiciente Moyſe virgam in colubrum verſa eſt? Hoc ipſum forſitan ſignificari voluit, quòd virgam correctionis abiicientibus, id quod ſibi alioquin ad ſalutem prodeſſet, in colubri venenum conuertitur: & qui nunc non corrigitur, ab infernalibus ſer-
Pſ. 2. pentibus occidetur? Vnde Pſaltes; *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Diſciplinæ nomine intelligimus tum correctionem, tum etiam & corripien-
Cypr. tis verba. Ita ſentit Cyprianus hunc locum Pſalmiſtæ explanans; Diſciplina eſt morum ordinata correptio: ſæpiùs tamen diſciplinæ nomine pro ipſis corripientis verbis, atque corrigentis increpatione vtitur Scriptura.

Sed quare, ô Dauid, apprehendenda eſt diſciplina? Quid ad hanc apprehendendam vrget? *Ne quando*, inquit, *iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cùm exarſerit in breui ira eius.* Duas vrgentiſſimas rationes ad hoc nos impellentes adducit.

adducit. Prima eſt, *Ne quando iraſcatur Dominus:* ac ſi dicat, iuſtè iraſcetur, qui ne iraſcatur, facit vt homo corrigatur: & ne eius experiamur indignationem, vult vt libenter fratris audiamus correctionem. Altera ratio eſt, *Ne pereatis de via iuſta.* Qui enim diſciplinam reiicit, conſortio Sanctorum priuabitur: hoc namque eſt perire de via iuſta, id eſt, à iuſtorum communione. Ille perire merebitur, qui contra corripientes iraſcitur, & tamen ne periret corrigebatur.

Quomodò Deus ſe habebit in contemnentem correptionem, notat etiam Iob his verbis; *emittet ſuper eum, & non parcet.* Diuus Gregorius expendens hæc verba, *non parcet*, ſic ſcribit. Illi non parcet: nam Deus cùm corrigit, ad hoc corrigit, vt parcat: at cùm peruicacem, durum, ac obſtinatum conſpicit; qui priùs vt parceret corripiebat, ad hoc poſtea corripit, vt non parcat. Satius nobis ſit, hic corripi ab homine, quàm poſt mortem increpari à Domino. Iob.27. Lib. 17. Moral.c.12.

Vnde nos hortatur Salomon ne diſciplinam Domini & correptionem hic abiiciamus: *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Non tantùm loquitur Sapiens de illa correptione quæ ab ipſo Domino immediatè fit; ſed de illa quam per proximum noſtrum facit, vt ſuam euitemus. Scito tamen Deum te corrigere, quando fratri tuo mandat hoc perficere. Corripiebat olim Iſaias Regem Ezechiam, ſed Deum in Propheta corripientem Rex agnoſcebat: vnde non Prou.3.

Iſai 38. Prophetæ, ſed Domino ait; *Corripies me Domine, & viuificabis me.* Quare ait, *viuificabis me?* Quomodo agnouit Deum velle illum viuificare? Dum mandauit homini, ſcilicet Iſaiæ, eum in-
1. Reg. 2. crepare. *Dominus*, ait Dauid, *mortificat, & viuificat.* Tunc *viuificat*, aut viuificare vult, quando te per proximum tuum increpat: tunc *mortificat*, quando ipſemet increpat.

Filij Iſraël Dominum non arguentem, ſed ſimpliciter loquentem, audierunt, & tamen
Exod. 20. ferre non potuerunt. *Perterriti, ac pauore concuſſi, ſteterunt procul dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quid ſi illum increpantem audiuiſſent? Reuera niſi hic audias proximum corrigentem, audies in Iudicio Dominum arguentem, atque
Pſal. 49. ita te increpantem, *Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum*, &c. Quomodo hæc audire poteris, cùm, ne audires, potiùs mori eligeres?

Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vſque ſepties? Cur potiùs numero ſeptenario vtitur quàm alio Diuus Petrus? Sciendum eſt hunc numerum quieti conſecrari; vnde Sabbatum, quod quietem ſignificat, deriuatur à *(Sabat)* id eſt, quieuit, erat enim Sabbatum
Gen. 1. tempus quietis. Deus ipſe peracta ſex diebus rerum omnium molitione, tandem die ſeptimo quieſcere voluit, vel ſe ad modum quieſcentis habuit. Præcepit quoque, vt eodem die homo
Deut. 5. quieſceret. *Sex diebus operaberis, ſeptimus dies Sabbati eſt, id eſt, requies Domini Dei tui*, &c. Hinc
Ouid. Poëta de illa die,

Cunctáque

Cunctique Iudæo ſeptima ſacra viro.

Et Seneca, teſte Diuo Auguſtino, ridebat Iudæos, quòd ſeptimam ætatis & vitæ partem otiando perderent. Sed inepte ridebat; nam tempus non perditur illud, quod Dei obſequio, Deo ipſo mandante, impenditur. Præceperat Dominus, vt & ſeruis, & ancillis, & animalibus daretur quoque requies, ne nimio labore opprimerentur. Volebat etiam Deus non tantùm homines, & animalia die ſeptimo quieſcere; ſed & ipſam terram anno ſeptimo. *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fructus eius: anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies*, &c. Nihil eſt in hoc mundo quod ad ſeptenarium numerum non quieſcat, etiam labores, & moleſtiæ. Audi Hieronymum. Galenus docet, febres ardentiſſimas ſeptimo die ſolui: ſi non proximo, ſecundo, id eſt, decimo quarto die: ſi non ſecundo, tertio, id eſt, vigeſimo primo, vt omnes labores, & moleſtiæ ſeptenario numero conquieſcant. Vita ipſa in homine videtur etiam ſingulis ſeptenniis conquieſcere: inde anni climacterici, id eſt, ſcalares, qui ſingulis ſeptenniis clauduntur, putà anno 7.14.28.35.42. ſed maximè 49. & 63. eo quòd annus 49. ex ſeptem ſeptenniis, 63. ex nouem ſeptenniis confletur. Hi anni vocantur ſcalares, eo quòd in his vita hominis, quaſi per gradus ſcalæ aſcendat. Gradus enim ſunt ipſa ſeptennia, & in his gradibus videtur vita quieſcere & deſinere. Vnde mutationes in ipſis ſeptenniis accidunt, multóſque morbis tentari, quin & emori contingit, præſertim anno 49. & 63. quem proinde

Exod. 23.

In Amos 5.

formidabat Auguſtus Cæſar.Præterea fuit ſeptenarius numerus remiſſioni & indulgentiæ conſecratus.Septimo menſe cuiuſlibet anni,& ſeptimo quoque anno fiebant remiſſiones. *Numerabis*, inquit Deus Moyſi, *tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta nouem*, &c. *Sanctificabis annum quinquageſimum,& vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim Iubilæus.* Tranſactis ſeptem illis hebdomadibus annorum, ſi quis poſſeſſionem diſtraxiſſet, recipiebat; *Reuertatur homo ad poſſeſſionem ſuam.* Si liber in ſeruitutem incidiſſet, libertatem aſſequebatur illo anno.Indulgentiam debitor accipiebat;exul in patriam redibat. Huc accedit, quòd populus ex captiuitate Babylonica anno ſeptuageſimo rediit, ſicut Ieremias prædixerat. Eſt igitur ſeptenarius remiſſionis & liberationis annus.

Exod.23.

Vult itaque dicere Petrus: Domine, cùm omnia vel die, vel anno ſeptimo, quieſcant, nónne mihi quoque licitũ erit acceptis ſeptem iniuriis à meo proximo,vindicare me,& quieſcere à venia concedenda, ac ceſſare ei ignoſcere, præſertim cùm iam ſepties ei pepercerim? At Dominus: *Non dico tibi vſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Quaſi dicat: Ille verè quieſcit, qui ignoſcit; perturbatur qui vindicatur.De D.Stephano ſcribitur, quòd cùm pro inimicis oraſſet,eíſque peperciſſet, *obdormiuit in Domino.* Hanc dormitionem & requiem conſiderans Diuus Auguſtinus ſic ait.Fœlix ſomnus, & requies vera; ecce, quid eſt requieſcere, & pro inimicis orare, &c. eíſque ignoſcere. Si ergo optas quieſcere,debes ignoſce

Serm.de D. Stephano.

ignoſcere. Propterea, *Non dico tibi vſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Eodem quoque ſicut & Petrus vtitur ſeptenario numero, vt illi reuocet in mentem, non tantùm tempus quietis, ſed & remiſſionis & indulgentiæ, cui erat ſeptenarius numerus conſecratus.

Non dico tibi vſq; ſepties. ſed ſeptuagies ſepties. Vult Chriſtus vt toties dimittamus, quoties offendimur, quia toties volumus vt nobis dimittatur à Deo, quoties illum offendimus. Diuus Chryſoſtomus pulchra ſimilitudine nos adhortatur quotidie agere pœnitentiam. Non conquieſcam hoc dicere: quotidie peccas? quotidianam age pœnitentiam. Id quod in ſingulis ſingulis quibuſque ædibus & ipſi facimus: mox enim vt verriculo collectæ ſunt quiſquiliæ eas efferimus domo. Nouas inſtauramus & ſuperaddimus, nec ſic interquieſcimus ab aſſidua hac diligentia conuerrendi domum. Sicut licèt quotidie in domo quiſquilias contrahamus, quotidiéque eiiciamus: ita licèt quotidie offendamus, quotidie à Deo nobis remitti optamus. Sed non dimittet, niſi nos ipſi dimittamus. Si ſepties in die cadat iuſtus, quoties iniuſtus? ſi centies iniuſtus caderet, centies reſurgere vellet, id eſt, ſi centies aliquem offenderet, centies ſibi remitti optaret. Rationi etiam conſentaneum eſt, vt quis, cùm centies offendat, cẽties dimittat. Vnde ipſe Dominus alibi ſine vlla reſtrictione ait, *dimittite, & dimittemini.*

In proœm. ſup. Iſai. in princip.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM tertiam.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus, &c. Matth. 15.

CVm iuſti bene apud omnes audiant; & licèt vnuſquiſque contendere debeat vt iuſtus euadat, miror, cur ita nobis conſulat Sapiens, *Noli eſſe iuſtus multùm.* Hoc loco agit Salomon in rigidum & trucem aduersùs aliena peccata, faciléque alios iudicantem, atque damnantem. Qui tenet normam iuſtitiæ, aut qui verè iuſtus eſt, debet imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & errantes in ſpiritu lenitatis inſtruere. Vnde Gregorius. Cùm alienos exceſſus aſpicimus, noſtra quibus in aliis exceſſimus, delicta cogitemus; conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena. Iſti Phariſæi, diſcipulorum errata patefaciendo, iniuſti meruerunt haberi, quia iuſti voluerunt videri. Et qui cum (*Quare*) Chriſtum aggreſſi

Eccleſ. 7.

Lib. 5. Mor. cap. 30.

aggreſſi ſunt, per aliud (*Quare*) à Chriſto reprehenſi ſunt. *Quare*, inquiunt, *diſcipuli tui tranſgrediuntur*, &c. Ait Chriſtus, *Quare & vos tranſgredimini*, &c. Non prohibet Dominus correctionem, cùm illam heri maximè commendauerit; non inquam repellit corrigentes, ſed diffamantes. Non quærebant iſti Iudæi diſcipulos corrigere, ſed deprimere: non intendebant emendationem, ſed derelictionem.

Acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi. Et quò venerunt? In Galilæam, vbi erat Dominus, vt aduertit Chryſoſtomus, & colligit ex illo loco, *Ambulabat Ieſus in Galilæam; non enim volebat ambulare in Iudæam*, &c. Quis non miretur primarios populi, longum conficere iter conqueſturos de lana caprina, vt aiunt, quòd ſcilicet diſcipuli non lauent manus, cùm panem manducant? Illos ridemus, & reuera digni ſunt riſu, quòd huc, illuc curſitent, vt diſcipulos de re tam leui accuſent. Sed væ nobis, ait Hieronymus, ad quos vitia Phariſæorum tranſierunt. Quoties enim minima re turbamur, Phariſæos imitamur, qui quod parum, aut nihil erat, grauiſſimum putabant: ſed veriſſimum eſt, quòd *Pes fatui, facilis in domum proximi.* Homil. 52. in Ioan. Eccleſ. 22.

Si ſeipſos conſideraſſent, tantam viam non ambulaſſent. Intra ſeipſos primò debebant ambulare, quàm de aliis coram aliis murmurare. Non ita faciebat, qui hæc dicebat. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Quæ verba expendens Auguſtinus ſic ſcribit. Domus noſtra interior, cor noſtrum eſt: Pſal. 100.

Hanc domum quiſquis habet malam, pellitur ab illas foras. Et ſic expulſus, non propria vitia conſiderat; ſed aliena, vt arguat & iudicet.

Olim Deus ſic per Prophetam conquerebatur. *Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael.* Placet Diuo Hieronymo verſio Septuaginta, quæ ſic habet, *Sicut vacca aſilo percuſſa declinauit Iſrael.* Eſt aſilus muſcæ genus gregibus maximè infeſtum; & dicitur Græcè œſtros, vulgò tabanus, Gallicè *taon.* Hoc inſectum boues præcipuè & vaccas exagitat, & mordet: videbis per prata, per campos, vaccam paſcentem, & poſtmodum ſurſum ac deorſum curſitantém, huc, illuc diuagantem, ac per præcipitia ſeſe ferentem: cauſa autem tantæ agitationis eſt aſilus, ſiue muſca. Miror, dices, quòd hæc beſtiola in tantam rabiem tam magnum adigat animal, inquietúmque reddat. Sed mirare potiùs, quòd hi Phariſæi moueantur, quia diſcipulorum manus non lauantur. *Ils faiſoient d'vne mouſche vn Elephant.*

Oſee 4.

Mirare etiam quòd homo tam nobile animal moueatur, magnóque impetu feratur, ſi vel vno verbulo, aut minima iniuria afficiatur, aut ſi tantillum tangatur, vel percutiatur. Pete ab aliquo: Cur tuo vicino non loqueris? Cur ei ſalutationem denegas? Cur, inquam, illum odio habes? Reſpondebit: Me tranſeunte expuit in terram, quod fortè in mei dedecus fecit. Bene dixiſti, fortè, ſed eſto, quòd de induſtria hoc faciat. Quid ad te quòd expuat in terram, dummodo in tuam non expuat faciem? Nónne vides te ſimilem fieri vaccæ aſilo, & muſca percuſſæ?

cuſſæ? Alius dicit: Quoties ille me reſpicit, digitum ſuum minitabundus dentibus premit. Quid curas ſi ſuum mordeat digitum? Satis tibi ſit, quòd non mordeat tuum. Mordentem ſe, aut tibi minitantem, non pertimeſcas, nec propterea excandeſcas. Nonnulli etiam ſeipſos conficiunt, quando alij honore eos non afficiunt. Aſilo igitur, vel muſca percutitur, ſimilíſque Phariſæis efficitur, qui propter huiuſmodi iraſcitur, aut leui alia de cauſa mouetur. Ille magnus & nobilis eſt, inquit Seneca, qui more magnæ feræ latratum minutorum canum ſecurus obaudit. Puerorum eſt leuiter ob minima verbula concitari. Noli magna æſtimare, quæ tibi, vel contra te, fiunt, aut dicuntur. Inde enim, ait idem, ira inſania eſt, quòd exigua, magna exiſtimatis. Magnum quid & graue ſcelus exiſtimabant Phariſæi, illotis manducare manibus. Lib. 2. de tranquil. vitæ. c. 3. Ibidem.

Elephantem mirantur Naturaliſtæ, qui, cùm ſit tantæ magnitudinis, & inter terrena animalia primas teneat, omnibúſque aliis emineat, conturbatur tamen à minoribus beſtiolis, & ab eis laceſſitus, motibus furioſis, & inordinatis circumagitur. Nam, teſte Plinio, grunnitu porci ita grauiter perturbatur, vt quamuis à primo ætatis tempore domitus ſit, & manſuetus, tanquam furiis incitetur, nullúmque teneat ordinem; cuius exempla tradit Ælianus. Mouetur etiam viſo mure, quem maxime odit. A vermiculis quoque cæruleis, qui prope Gangem reperiuntur, mirum in modum torquetur, vt teſtis eſt idem Plinius. Sed quis non magis mirabitur, hominem ratione eminentem contur- Lib. 8. c. 10. Lib. 1. c. 33. Ibidem.

bari alicuius verbis, aut geſtibus? Quis non mirabitur hos Scribas & Phariſæos, ab Ieroſolymis ad Chriſtum accedentes, & de diſcipulis murmurantes, quòd manus non lauent panem manducantes?

Similes ſunt aliqui iſtis Phariſæis, alij verò peiores. Similes ſunt, qui ſicut & ipſi ob minima mouentur, & in proximum excandeſcunt, & de proximo paſſim, apertè & coram omnibus murmurant. Peiores verò illis ſunt, qui ſuo ſilentio magis quàm verbis proximo detrahunt. Illos ſerpenti in ſilentio mordenti comparat Salomon; *Si mordeat ſerpens in ſilentio: nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit.* In quæ verba ſic Hieronymus. Serpens & detractor æquales ſunt, quomodo enim ille mordens venenũ infert; ſic iſte detrahens, pectoris virus ſui in fratrem effundit.

Eccl. 10.

Dices: Cùm detractor nihil minùs habeat ſerpente in ſilentio, & abſque ſibilo mordente: quæro, quomodo poſſit in ſilentio & abſque verbis famam proximi mordere? Si quis nihil dicat, quomodo alteri poterit detrahere? Poteſt quidem, non vitia verbis patefaciendo, ſed vel ſuſpiriis, & gemitu, vel demiſſis ſuperciliis, vel fronte contracta, aut aliis geſtibus, plurimorum vitiorum ſuſpicionem auditoribus ingerendo. Verbi gratia, contingit aliquando tres, vel quatuor, aut quinque homines inuicem congregari, ſimúlque de alicuius vita, & moribus confabulari; vnus dicit, ille vſurarius eſt: alius ait, ambitioni operam dat, adulter eſt: alter verò fronte parum obducta, aut emiſſo aliquo ſuſpirio, aut voce nihil expreſsè ſignificante, proteſtabitur, dicétque:

dicétque : ſi ego auderem loqui, certè de illo multa haberem dicenda. Vides illum nihil velle expreſse dicere, & tamen multa dicit, qui tunc ſe nolle dicere dicit, multúmque detrahit, quia tunc frontem contrahit. Nam hoc pacto præbet audientibus occaſionem ſuſpicandi, & iudicandi illum de quo eſt ſermo, plura adhuc & grauiora his quæ dicta ſunt commiſiſſe. Tacendo igitur detrahit, & veluti ſerpens in ſilentio mordet. Eſt etiam veluti canis, qui ſine latratu dentes infigit : atque ita peior eſt illis Scribis & Phariſæis apertè murmurantibus de diſcipulis, quia cùm apertè quæ de illis ſentiebant dicerent, alia de illis iudicandi nemini occaſionem dabant. Ni fallor, de huiuſmodi detractionibus loquebatur Diuus Bernardus, dum detractionis ſpecies ſic deſcriberet. Sunt ſpecies peſtis, dum alij quidem nudè, & irreuerenter, vt in buccam venerit, virus euomunt detractionis. Alij autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſícque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangente egredi maledictionem: & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Serm. 24. in Cant.

De hoc genere detrahentium loquitur Sapiens, *Verba bilinguis, quaſi ſimplicia : & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.* Illud (*quaſi*) inquit Hugo, prætextum ſonat; quaſi dicat: detractor ſæpiùs pietatem obtendens, tamen famam proximi Prou. 18. Hugo in illũ locum.

ximi admordet. Sic enim, inquit ille Doctor, loqui conſueuit detractor: Deus ſcit & ſanctiſſima Virgo, quia non dico, niſi pro bono, & quia tangit cor meum, & quia vellem bonum eius; hæc ſunt præparatiua ſui mendacij credendi. Itaque illud, *quaſi ſimplicia*, ſic accipiendum eſt, ſimplicitatẽ imitantia, & beneuolentiam adumbrantia. Subiungit; *Et ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.* Nemo ſanè verbis aſſequi poterit, quantam, & quàm profundam plagam detractoris lingua infligere ſoleat. Illam crudeliorem vocat Diuus Bernardus lancea, qua Domini latus fuit confoſſum. Nec verò eiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone quo Domini latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis; fodit enim hæc Chriſti corpus, & membrum de membro; nec iam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo.

Ibidem.

Sunt detractores etiam ſerpentibus peiores & nocentiores. Primò, quia ſerpens vni vnico nocet morſu; detractor verò tribus, ſcilicet, ſibi, audienti, & cui detrahit; ſibi, inquam, nocet, quia in ipſius caput recidit lapis, quem in alium mittit, vt patet in his Phariſæis, qui, vt diximus, per vnum (*Quare*) meruerũt à Chriſto increpari, quia per aliud (*Quare*) voluerunt diſcipulos increpare. Ei etiam qui audit nocet, quia cum veneno prauæ opinionis imbuit, vt priùs iam credat rem enarratam quàm compertam habeat. Et demum illi nocet, cui detrahit: abſentem enim, & inauditum accuſat, condemnat & perimit. Hoc luculenter obſeruat idem Bernardus, dum de maledica lingua ſic ſcribit. Nunquid non

Ser. n. 17. de modo bene viuendi.

non vipera eſt lingua iſta: ferociſſima planè, nimirum, quia tam lethaliter tres inficiat flatu vno.

Secundò, eſt detractor ſerpente pernicioſior, quia detractoris virus immedicabile, & inſanabile, multò quàm ſerpentis videtur. Quis enim poterit mederi famæ alicuius à lingua maledica ſauciatæ & vulneratæ? quis illam dilaceratam reſarcire? Vnde Poëta ad quemdam detractorem:

At ſi quid noſtræ tibi bilis inuſſerit ardor, Mart. lib. 6. epigr.
Viuet & hærebit, totóque legetur in orbe.

Præterea, non ſemper nocet ſerpens; quippe ſerpentes hyeme dum frigore rigent, aut nihil, aut parùm lædere ſcribit Galenus. Sunt etiam aliqui ſerpentes, qui non omnibus nocent. Nam, teſte Æliano, naſcuntur ad primos Euphratis ortus, quidam ſerpentes exteris, non indigenis nocentiſſimi. Item, in Syria, angues Syros circa Euphratis ripas dormientes non attingunt, vt ſcribit Plinius. Aliquando etiam erga benefactorem ſuum Aſpis ſe gratum præbet; & apud Ægyptios manſueſcere tradunt Plutarchus & Ælianus. Serpentes etiam, vel alia venenata abſentes, vel mortuos nó lædunt. At longè exitialior eſt detractoris lingua, quæ ſuos perinde, ac externos; amicos, inimicos, probos, dormientes, vigilantes, mortuos, viuentes, inuadit, mordet, denigrat, inficit, perimit vniuerſos. Lib. 1. de locis.

De quadam lingua maledica ſic Pſalmiſta. *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua.* Non eſt linguæ cogitare, ſed intellectus: tamen ſicut intellectus modò peruolat in vnum, modò in Pſal. 50.

alium locum, nunc cogitat de his, qui in Oriente, modò de his qui in Occidente ſunt : ſic lingua maledica, modò iniuſtè & malè loquitur de præſentibus, nunc de abſentibus; modò de viuis, nunc de mortuis, nemini parcit. Et ſicut intellectus tam de bene quàm de malè agentibus cogitat, ita de vtriſque malè loquitur lingua. Si quando Phariſæi videbant Ioannem Baptiſtam non manducantem, dicebant illum dæmonium
Matth. 11. habere : hoc illis exprobrat Chriſtus. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens & vos dicitis quia dæmonium habet.* Chriſto manducante, & bibente, dicebant, *Hic eſt potator vini.* Eidem Chriſto
Matth. 12. dæmonia eiicienti, dixerunt, *In Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia.* Manducante etiam Chriſto cum peccatoribus dicebant diſcipulis;
Matth. 9. *Quare cum peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Ita ſunt multi iſtis ſimiles de vnoquoque, & propter vnumquodque murmurantes : ſi ſis diues, dicunt te eſſe vſurarium, vel te lucris illicitis bona tua comparaſſe : ſi pauper, dicunt te ludo, comeſſationibus, aut aliis exceſſibus omnia conſumpſiſſe : ſi rideas, indeuotum te prædicant : ſi non rideas, eris hypocrita : ſi eleemoſynam pauperi deneges, eris crudelis : ſi erogas, tui cauſa, aut propter tuum commodum, te hoc facere iudicabunt. Nihil eſt quod non vituperetur, ac perperam iudicetur à lingua maledica. Lamentetur ergo Hieronymus. Væ nobis ad quos vitia Phariſæorum tranſierunt.

Quare & vos tranſgredimini, &c. Docet nos Chriſtus detrahentibus aures non præbere: quia ſi nullus eſſet auditor, nou eſſet detractor. Audi monen

monentem, *Cum detractoribus ne miſcearis; quoniam repente veniet perditio eorum*, ſcilicet tam detrahentis, quàm detrahentem audientis. Eſto detractori durus & aſper: nam, teſte Hieronymo, detractor cùm triſtem faciem viderit audientis, illicò conticeſcet. Nemo inuito auditori libenter refert. Durum ſe præbuit Chriſtus erga iſtos Phariſæos, illóſque meritò increpauit. Prou. 14. Epiſt. 4. ad Ruſticum.

Debet eſſe vir probus audiens detractorem, veluti Echo voces retorquens: ſic docet Plutarchus, quaſi non aliter obloquentium detractionibus obſiſtere, atque illas in dicentes remittere debeat, quàm prædura, immota, & inconcuſſa cautes Echo reddit. Sic nunc ſe habuiſſe Chriſtum erga Phariſæos, legimus. Dicunt iſti, *Quare?* Reſpondet Chriſtus, *Quare?* Detrahunt inquam Phariſæi dicentes, *Quare?* Retorquet Chriſtus tanquam Echo eandem vocem, *Quare?* Verba enim contumelioſa ſemper reddunt Echo, nimirum repercuſſa ad eum redeunt, qui illa emiſit. Audi Baſilium. Non enim ſic Echo in ipſos clamantes intempeſtiuè infringitur, ſicut in hominem iniuſtum, & contumelioſum contumelia reuertitur. In Moral. Hom. de Ira.

Quare & vos, &c. Multi alios condemnantes, ſeipſos condemnant. Citiùs aliena videmus errata, quàm propria: imò grauiora nobis videntur aliorum peccata, quàm noſtra. Nullus eſt qui Adamum non condemnet, quòd vxoris perſuaſione tam grauiter Deum offenderit: & tamen nullus ferè eſt, qui ſimilia non committat. De hoc meritò conqueritur mellifluus

Serm. 1. in feſt. omnium Sanct. Bernardus. Quàm multi vſque hodie factum Adam grauiter diiudicant, & tamen inſipienter imitantur! Indignantur aduersùs Adam quòd obedierit voci vxoris ſuæ, pluſquàm Dei; & ipſi quotidie Euam ſuam, carnem videlicet, audiunt, pluſquàm Deum. Si modò præſentem videremus Adam, in eo articulo poſitum, aſcendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem vxoris & præceptum Creatoris; nónne clamaremus aduersùs illum dicentes: Caue tibi miſer, vide ne feceris: ſeducta eſt mulier, non acquieſcas ei? Vt quid ergo quoties nos apprehendit tentatio ſimilis, non perſuademus ſimiliter nobis ipſis? Qui carni obedit, vxori ſine dubio obediret: qui carnem contra Domini præceptum comedit, pomum comediſſet. Non igitur alios condemnemus, qui ſimilia patrauimus, aut patraremus, ſi ſimiliter tentaremur. Meritò itaque reprehenduntur, qui in diſcipulos inuehuntur, quod traditiones hominum tranſgrediantur, cùm ipſi diuina mandata non cuſtodiant.

Quare & vos tranſgredimini mandata Dei? Tranſgreſſores diuinorum mandatorum, audent vocare diſcipulos tranſgreſſores humanarum traditionum. Hoc ſæpe contingit, vt qui grauiora committit, minora patrantem condemnet. Oculus puluere grauatus non poteſt alterius oculi maculam videre: nec manus luto plenæ poſſunt alias manus ſordidas tergere. Lib. 7. Mor. cap. 16. Hæc ſimilitudo eſt Diui Gregorij ſic ſcribentis. Nequaquam purè maculam conſiderat oculus, quem puluis grauat; & ſuperiectas ſordes

des manus tergere non valet, quæ lutum tenet. Erant iſti Phariſæi omnino ſordidi, quorum anima peccatorum puluere & luto grauabatur, & tamen manus diſcipulorum obſeruabant, & ad ſuam conſcientiam non attendebant. Cæterùm, ſicut ſuis laudibus non potuiſſent Phariſæi prodeſſe diſcipulis, ita nec ſuis obeſſe conuiciis: nam ſecundùm Auguſt. Nec malam conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium conuiciantis. Lib. 3. contra Petilia. cap. 17.

Quare & vos tranſgredimini, &c. Non mirum ſi Chriſtus tam acriter illos arguat; quod vt intelligatur, vnum occurrit obſeruandum in Patriarcha Ioſeph, qui *accuſauit fratres ſuos apud patrem ſuum crimine peſſimo*. Sed quid ex illa accuſatione ſibi vendicauit? Certè fratrum odium in ſe concitauit, qui illius regnum exhorreſcentes, illum vendiderunt Iſmaëlitis, à quibus in Ægyptum aſportatur, vbi ſecundò venditus, tandem ob adulterij falſam accuſationem truditur in carcerem. Vide interim accuſatorem accuſatum. At incarceratus didicit ad aliorum crimina non reſpicere, ſed ſibi ipſi vacare. Nam poterat facilè ex Ægypto fratres ſuos apud patrem accuſare de venditionis ſcelere; ſed tacuit: Ne, inquit aliquis, patrem certiorem faceret, à fratribus ſuis ſe fuiſſe crudeliter diſtractum; & vt exitum ſomniorum expectaret. Gen. 37. Honcala

Puer ſe ad regni culmen aſcenſurum ſomniauerat, & dum fratrum mores & ſcelera carpit, miſeram inde ſeruitutem venatur. Qui volebat regnare, non debebat accuſare; ſed poſt illam fratrum accuſationem, nullius fuit poſtea accu-

ſator, qui futurus erat regni gubernator. Poterat Dominam ſuam, ipſum falsò accuſantem, verè apud virum de adulterio accuſare, ſed noluit, quia ſibi alios accuſanti nihil profuiſſe, imò plurimùm nocuiſſe, didicit. Verum, quod accuſatione non potuit, tandem patientia impetrauit: nam, quia patienter tulit ſuam venditionem, falſam Dominæ accuſationem ac ipſam incarcerationem, ad maximam meruit peruenire dominationem. Hoc videtur obſeruaſſe

Serm. de Patien. Diuus Zeno, cùm ait. Ioſeph patiens inuenitur, cùm à fratribus rapitur: pàtiens, cùm in puteum demittitur: patiens, dura cum haſta diſtrahitur: patiens in carcere, & patientior in regno. Quaſi idem fuiſſet in viro ſancto patientiæ culmen attigiſſe tacendo de iniuriis, & ſceleribus fratrum, & promiſſi regni culmen intrare. Itaque dum aliorum delicta reſpexit, ac aliorum fit accuſator, ſeruitutem incurrit, & cùm patienter aliorum defectus tolerat, viſi ſibi vacans regni clauum obtinuit. Si igitur iuſta accuſatio non bène ceſſit Ioſepho, quid boni potuit obuenire iſtis Phariſæis, tam vanè & temere diſcipulos apud Chriſtum accuſantibus, atque dicentibus, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur*, &c.

Quare & vos, &c. Increpationem ad eos conuertit Dominus, quia illi ſunt digni increpatione, qui pleni ſunt detractione. Qui alium vult lædere, primò ſeipſum lædit. Notanda ſunt

Prou. 26. verba Sapientis; *Sicut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quò libet vadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet.* Quæ verba expo-

nens

nens Brixianus ait. Sicut auis auolat & reuolat in nidum: ita maledictio redit in maledicentem, & non venit ſuper eum, qui maledicitur. Et in hunc ſenſum intelligit Diuus Bonauentura etiam illud Sapientis, *A detractione parcite linguæ*; quòd ſeipſum primò lædat detractor. Sap. 1.

Diuus Athanaſius hoc exponit hac aptiſſima ſimilitudine. Quemadmodum, ſi quis ſerpentem manu apprehendat, dum conatur in alterum proiicere, prorſus ipſe mordetur. Aut ſi quis ignem manu tenens, dum vult hoſtem lædere ipſe primus exuritur: ſic malitia magis lædit eos, à quibus habetur, quam in quos tenditur. Comparat Auguſtinus malitiam, ſine iniuriam faculæ incenſæ, quæ priùs ardet & conſumitur, quam aliud incendat. Faculam, inquit, apponis, vt aliquid incendat; nunquid non ipſa facula prior ardet, vt aliquid poſſit incendere? Malitia autem procedit ex te, & quem priùs vaſtat niſi te? Putabant iſti poſſe diſcipulis nocere, ſi de illis obmurmurarent, atque contra illos Chriſto obiectarent vnum *Quare?* Sed meritò audierunt retorquentem, eiſque dicentem aliud *Quare?* De paſſ. Simile. In Pſal. 34.

Qui candelam ardentem digitis propriis mungit, candelæ quidem clarius lumen efficit; ſuos autem digitos adurit & contaminat: ſic qui iuſto detrahit, aut contra proximum obmurmurat, ſuam quidem mentem, & conſcientiam, & linguam contaminat, & reatu peccati adurit: iuſto autem meriti materiam præbet, eiuſque famam celebriorem reddit. Quapropter, tanquam ob illam murmurationem Simile.

contaminatus mereretur increpari & reprehendi, ac eadem, quæ iſti audire, *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei?*

Eccl. 8. *Lingua imprudentis ſubuerſio ilius eſt,* ait Eccleſiaſticus; cui quadrat illud Pſalmiſtæ, *Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo:* vel, vt legit Ambroſius, *vt delinquat ſibi.* Nam quidquid dicit iniuſtus, præcipuè contra proximum, peccatum eſt, quod nō ad proximum, ſed ad ſuum refertur auctorem. Confirmat hoc iſte Doctor exemplo partus viperæ, qui primò ſuam ſcindit parentem. Eſt iniuſtus peioris conditionis, quàm ſerpens: nam ſerpens venenum aliis fundit, iniuſtus ſibi. Cuius grauior eſt pœna, ait idem Doctor, quàm eius, qui pro omni ſermone dat pœnas? Pro vno (*Quare?*) iſti audiunt aliud (*Quare?*) Pro indebita murmuratione aduerſus diſcipulos, iuſtam audierunt increpationem à Magiſtro, quia, ſecundùm Diuum Hieronym. Accuſamus ſæpe quod facimus, & contra noſmetipſos diſerti, in noſtra vitia inuehimur. Reuera iſti volentes diſcipulos tanquam tranſgreſſores traditionum accuſare; ipſi tanquam diuinorum mandatorum tranſgreſſores ab ipſamet veritate conuicti ſunt.

Pſalm. 35.

Ad Ruſt. de forma bene viuendi.

Noſmetipſos primò inſpiciamus, & poſtea alios corrigamus, in nos priùs inuehamur, quàm de aliis loquamur. Hoc cōſulit Diuus Chryſoſt. Lingua armetur aduersùs peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Manus diſcipulorum non lotas reſpiciebant iſti Iudæi: & proprias manus ſanguine, & muneribus plenas in præiudicium mandatorum Dei non attendebant.

Hom. 3. ad pop.

Væ

Væ illi, inquit Bernardus, qui ſuam renuit corrigere vitam, & alienæ non deſinit detrahere. Si vis detrahere, tua in te peccata retorque. Noſtra errata corrigamus, antequam aliena inquiramus; lapſus non erigitur aliorum lapſu: ſeipſum primùm erigat, & poſtea aliis manum porrigat. Diuus Hieronymus ſic contra aliquem calumniatorem inuehebatur. Eſto, ego flagitioſus ſum, vt vulgò iactitas, ſaltem mecum age pœnitentiam: criminoſus ſum, vt ſimulas, imitare lacrymas criminoſi. Num mea peccata virtutes tuæ ſunt? an malorum tuorum putas ſolatium, ſi multos ſimiles habeas? [illegible] fuiſſent putrificatæ conſcientiæ Phariſæorum, lotione manuum diſcipulos [illegible] enim tranſgreſſione diuinorum mandatorum. Vnde Dominus exprobrans eis cuiuſdam præcepti tranſgreſſionem, ait. De interiori domo. cap.41. Epiſt. ad Sabinian.

Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem, & irritum feciſtis mandatum Dei. Multa alia mandata tranſgrediebantur iſti Phariſæi: ſed de nullo alio voluit Chriſtus conqueri præterquàm de iſto, vt oſtenderet quanti faciat honorem parentibus exhibitum. Obſeruat Pererius reperiri in Scriptura ſacra nouem præmia, quæ promittuntur filiis, patri & matri honorem & opem præſtantibus. Primò, promittitur eis vita diuturna: *Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram.* Secundò, theſaurus: *Sicut qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem ſuam.* Tertiò, gaudebunt in propriis filiis: *Qui honorat patrem, iucundabitur in filiis.* Quartò, firmabitur domus illorum: *Benedictio patris firmat domus filiorum.* Quintò, In cap. 9. Gen. Exod. 20. Eccl. 3. Ec. l. 3 Eccl. 3.

Eccl. 23. exaudietur illorum deprecatio: *Qui honorat patrem, in die orationis ſuæ exaudietur.* Sextò, honore afficientur: *Ex honore patris, gloria filiorum.* Septimò, illorum Deus ſemper recordabitur: *Eleemo-*
Eccl. 3. *ſyna patris non erit in obliuione, & in die tribulationis memor erit tui.* Octauò, illorum peccata abſoluentur. Nam ibidem habetur: *Sicut in ſereno glacies, reſoluentur peccata tua.* Nonò, à Deo benedicentur: *Honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio Dei.*

Sicut autem filij parentibus obedientes, opémque præſtantes, non ſolùm in alia vita, ſed & in præſenti ſæpe remunerantur: ita inobedientes & proterui, non ſolùm in futuro, ſed in hoc ſæculo ſæpe puniuntur. Vnus nobis ſuf-
2. Reg. 17. ficiat Abſalom, qui ſumptis armis ſurrexit aduersùs patrem ſuum, illiúſque volebat inuadere regnum. Plures ſequebantur partes Abſalomis,
2. Reg. 15. quàm Dauidis, *toto corde vniuerſus Iſrael ſequebatur Abſalom.* Paucos homines habebat Dauid ſecum, cum quibus cogebatur ſe defendere contra Abſalomem, qui licèt multò plures haberet milites, quàm Dauid, veruntamen ferè omnes cæſi ſunt ab exercitu Dauidis. Audiamus Scriptu-
2. Reg. 18. ram; *Et factum eſt prælium in ſaltu Ephraim; & cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu David, & facta eſt plaga magna in die illa viginti millium, & multo plures fuerunt, quos ſaltus conſumpſerat, quam hi quos vorauerat gladius in die illa.*

Ex quibus verbis notandum eſt, illud nomen (*Ephraim*) non eſſe nomen proprium loci, vt obſeruat hic Caietanus, ſed appellatiuum, quod ſignificat *augmentum.* Nam ex multipli-

uatione, inquit, animalium nominata videtur ſylua illa Ephraim ab augmento. Itaque quando dicitur quòd *factum eſt prælium in ſaltu Ephraim*, idem eſt ac ſi diceret Scriptura, *in ſaltu, ſiue in deſerto augmenti.* Quia ſecundùm Hebræos, licèt exercitus Dauidis longè minor eſſet exercitu Abſalomis, tamen tempore prælij & certaminis, & dum dimicandum fuit, auctus eſt exercitus Dauidis, non hominibus, ſed leonibus, vrſis, & ſimilibus animalibus, ſeſe ruentibus in milites Abſalomis rebellis. Et hoc colligitur ex textu Hebraïco, ſecundùm quem legimus, *Et multiplicauit ſylua ad vorandum populum, præ iis quos vorauerat gladius in die illa.* Quærit idem Caietanus, quid multiplicauit ſylua? Reſpondet, multiplicauit feras ad vorandum milites Abſalom vagantes per ſyluam. Voluit Deus ſuſcitare ipſas feras aduerſùs Abſalom & eius exercitum, quia ſeipſum ſuſcitauerat aduersùs patrem ſuum.

Et non tantùm multiplicauit feras, ſed & lapides, ac etiam arbores, quibus ſaltus abundauit; quibus quidem iunctis cum exercitu Dauid, debellauit Deus exercitum Abſalomis. Ideo dicitur, *multo plures fuerunt, quos ſaltus conſumpſerat, quam hi quos vorauerat gladius.* Lapides enim qui erant in ſaltu iaciebantur, fortè per Angelos, in milites Abſalomis, eóſque interficiebant. Merebatur inſurgens in patrem, vt in eum inſurgerent ipſi lapides, & ipſa ſaxa in ſaxeum & durum cor. Sed quem lapides non occiderunt, tandem occiſum cooperuerunt, vt qui merebatur lapidari viuus,

ſaltem lapidaretur mortuus. Ipſo enim mor-
2 Reg. 18. tuo dicit Scriptura, quòd *tulerunt Abſalom, &*
proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & com-
portauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum
nimis.

Ligna quoque & ipſas arbores quibus ſaltus abundabat, armauit Deus aduersùs parricidam Abſalom, ad quem ſic loquitur Chryſoſtomus.

Serm. in Abſal. perſ. parem. tom. 1.

Reſpice parricida, reſpice, inquam, vſquequaque in te cuncta conuerti: te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna ſuſpendent. Adeſt arbor, quæ nec patrem, vt tibi parcatur, audiuit, & iuſſa Dei inſtanter implere contendit: nec poteris hoc bellum impunitus euadere, qui genitori necem conatus es irrogare.

Igitur commiſſo bello, proſternuntur hoſtes, aduerſarij cadunt, inimici vinciuntur, nudatur hoſtis, deſeritur parricida. Iam ſuam in ſuis conſpicit pœnam: iam ſupplicium debitum ſibi, ſuorum interitu recognoſcit. Pergat itaque idem Doctor, ſimulque exclamet.

Ibidem.

O nefandum meritum parricidæ! iniuriam patris, non pugnantis gladius, non hoſtilis manus, non iaculantis ictus defendit; ſed vindicant ligna, arbor vlciſcitur, rami defendunt, nec eſt vlla creatura, quæ mota non ſit, cùm ipſum Dominum ſenſerit moueri authorem. Habet cuncta ſibi aduerſantia, qui patri, vel matri aduerſatur. Eos, inquam, creaturæ non verentur, qui parentes non reuerentur. Non deſunt Deo media, quibus filij contumaces puniantur. Meritò igitur hi reprehen

reprehenduntur, quorum conſilio parentes à filiis deſeruntur. Quænam prætereà ſint quæ conſcientiam maculant, oſtendit Dominus, dicens.

De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Ne aliqua mala cogitatio exeat è corde noſtro, non permittamus vt intret, & ne intret, diabolo illam ſuggerenti reſiſtamus. Obſeruant Patres quid de proditore Iuda dicat Euangeliſta; *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor*, pulchra ſimilitudine ſumpta ab iis, qui ſe poſſeſſores oſtendunt alicuius agri, in illum mittentes, & intrantes abſque vlla reſiſtentia. Etenim tunc dicitur domus, ſeu terra alicui tanquam poſſeſſori patere, quando is à nemine impeditus in illam mittit ſua. Ioan. 13.

Itaque eò impœnitentiæ, & reprobationis deuenerat Iudas, vt in eius cor diabolus, ſine reſiſtentia mittens, inibi vt poſſeſſor & dominus ſibi ſedem pararet. Hanc excogitationem refero Diuo Gregorio ſic ſcribenti. Reprobi quidem corda ſua non habent, quia ea diabolus poſſidet. Vnde & de proditore dicitur; Cùm diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas, Simonis Iſcariotis. Si enim Iudas, & non diabolus poſſideret, ipſe potiùs in eo bonum, quam diabolus malum poneret. O miſeram & deploratam conditionem illius, cuius cor diabolo occupanti, ſuáque pro libito immittenti patet! Væ tibi homo, vbi diabolo licet ſine reſiſtentia ad tuum cor ſua nefaria mittere. Sanè reproborum eſt non habere corda vbi bonum reponant, Lib. 1 cap. 2.

quæ

quæ ſibi poſſeſſor diabolus immiſſis malis perſuaſionibus præoccupat.

Igitur his malis cogitationibus in quibus homo immoratur, coinquinatur anima, non autem illotis manducare manibus. Itaque eſt præcipuè lauanda anima per pœnitentiam. Vt enim anima ſaluetur, neceſſe eſt, vt non coinquinetur, vel coinquinata lauetur, cum Apoc. 21. de ſuperna Hieruſalem ſcriptum ſit; *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

FERIA QVINTA POST DOMINICAM tertiam.

Surgens IESVS *de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

Serm. 18. DICEAT mihi cum Diuo Chryſologo ſic exordiri. Ad domum Petri venit Chriſtus, vt domus Petri veniret ad Chriſtum. Venit Chriſtus in mundum, vt etiam mundus veniret ad eum. Adeò eſt Dominus Deus noſtræ ſalutis

ſalutis cupidus, vt dignetur ad nos venire, vt nos ipſi ad eum veniamus. Poterat olim e cœlo legem dare Moyſi, ſed voluit ad montem Sina deſcendere, vt Moyſes ad eum poſſet aſcendere. Hoc obſeruauit Diuus Auguſtinus ſic ſcribens. Qui poterat ex ipſo cœlo legem dictare, nouerat vtile eſſe hominibus, ſi de Sinai eam promulgaret: idque ideo fecit, vt & Moyſes aſcendere poſſet. Lib. 3. contra Arria.

Intrauit igitur in domum Simonis non manducaturus; ſed curaturus, vt ait idem Chryſologus, non epulas percepturus ſed vitam redditurus intrauit. Deus quærit homines, non humana; Chriſtus ergo recepturus nos, non quæſiturus aduenit. Et vt domum Simonis ingrediatur, de Synagoga egreditur, ait enim ſacer textus, *Egreſſus Ieſus de Synagoga, intrauit in domum Simonis:* hoc eſt, derelicta Iudæorum Synagoga, Deus aſſumpſit ſibi in ſponſam Eccleſiam, quæ communiter vocatur domus Petri. De Synagoga iam minando prophetauerat, & prophetando minatus fuerat Dominus, *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* Ibidem. Matth. 23

Hanc autem domum Petri, id eſt, Eccleſiam nunquam Chriſtus deſeret, ab ea nunquam egredietur. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Ideo non caret myſterio, quòd hanc mulierem curaturus, eius manum apprehendit, *tenuit manum eius*, ait Matthæus. Similiter fecit omnibus illis infirmis, quos in eadem domo curauit, *ſingulis manus imponens, curabat eos.* Poterat omnes ſolo verbo curare, ſed huius febricitantis tenendo manum; & aliis Matth. 8.

inſir-

infirmantibus imponendo manus, voluit quodammodo promittere, ſe nunquam derelicturum hanc domum, id eſt, hanc Eccleſiam, cuius Paſtor futurus erat Petrus. Nam porrigere manum, aut alicui manum exhibere, vel alicuius manum apprehendere, ſemper fuit apud antiquos ſignum fœderis & protectionis, vt teſtis
Lib. 35. eſt Pierius. Vnde dum aliquando Petrus ambu-
Matth. 14. laret ſuper mare, & iam mergeretur, *continuò extendens Ieſus manum apprehendit eum.* Vt indicaret ei tanquam capiti, ac toti ſuæ Eccleſiæ, in poſterum, tantum ſe præbiturum auxilium, vt nunquam eius fides deficeret, quod & aſſeuerauit & fecit, *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Cur etiam Christus manum illius mulieris
Serm. 18. tenuerit, indicat Chryſologus. Quæ neceſſitas tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? Quia Adam per manum mulieris acceperat mortem; tenuit manum, vt quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris. Tenuit manum, vt afferret indulgentiam manus, quæ carpſerat de morte ſententiam.

E[illegible]dum autem erat de Synagoga, quæ erat tamen figura huiuſce domus, huiuſce Eccleſiæ; quam quidem Eccleſiam voluit firmari, & corroborari operatione miraculorum, quæ vt oſtenderet nullibi præterquàm in ea eſſe patranda,
Cypr. lib. 8. de vnit. Eccleſ. voluit Dominus in hac domo Petri curare infirmos, & alia miracula agere, vt innueret, quòd extra Eccleſiam non eſt ſalus.

Præterea, nullibi niſi in hac Eccleſia voluit relinquere corpus ſuum. Ibi miniſtratur ei; *&*

ſurgens

ſurgens miniſtrabat ei, vt innueret nullum aliud miniſterium fore ſibi gratum extra hanc domum, vel hanc Eccleſiam. Ibi fiunt & audiuntur orationes Sanctorum, *& rogauerunt pro ea.* Ibi eiiciuntur dæmonia, *exibant autem dæmonia à multis.* In ſola Eccleſia fiunt bona, & acceptanda opera; extra illam nullus poteſt eſſe Chriſtianus, nec vnquam eſt, & erit Eccleſia, vbi hæc non reperiuntur. Hoc indicat Diuus Auguſtinus his verbis. Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Sola quippe eſt, per quam ſacrificium Dominus libenter accipiat: ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. In vna Catholica Eccleſia vera hoſtia Redemptoris immolatur, de cuiûs carnibus iuſſio efferri foras prohibet, quia dari ſanctum canibus vetat. Sola eſt, in qua opus bonum fructuosè peragitur: ſola eſt, in qua myſteria ſuperna veraciter contemplantur, &c. quia ex ſola Catholica Eccleſia veritas conſpicitur. Tom. 10. Serm. 181. de temp. quæ eſt in vigilia Pentec.

Merebatur Synagoga vt Chriſtus de illa exiret; tanta facinora patrabant Iudæi, vt indigni eſſent præſentia Chriſti. Narrat Ioſephus, & refertur ab Egeſippo, quòd è Sanctuario ſæpe audiebatur hæc vox, *tranſeamus ex his ſedibus.* Ideo, teſte Hieronymo, tempore paſſionis velum templi ſcindebatur, vt oſtenderet Dominus quòd apud Iudæos amplius non morabatur. Et vbi nos legimus, *velum templi ſciſſum eſt*, teſtatur idem Doctor ſe legiſſe in quodam Euangelio Hebræo, *ſuperliminare templi lapſum eſt.* Quo ſignificabatur inde exeundum eſſe, vbi ipſa liminaria cadebant, Lib. 5 de excid. Hieroſol. c. 44 Epiſt. 8. ad Hedib.

quæ

quæ portas iungebant. Aliquando Deus loquens
Ezech.8. Ezechieli, ſic conquerebatur de quibuſdam nefandiſſimis peccatis & abominationibus, quæ fiebant in templo; *Fili hominis, putáſne, vides tu, quod iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic, vt procul recedam à Sanctuario meo?* Quaſi dicat: multas iam vidiſti abominationes, ſed non omnes, ego quem nihil latet vidi, & video, quæ quidem me templo abigunt & recedere cogunt: ſum itaque ab hoc loco, à Synagoga receſſurus, per ſubtractionem gratiæ, & fauoris, & ingrediar domum Petri, id eſt, Eccleſiam aduersùs quam *portæ inferi non præualebunt.*

Interim, ſi propter peccata tam dilectus populus derelinquitur, Synagoga tantis ornata beneficiis deſeritur, dic mihi quid tibi continget, ſi tot vitiis te dedas? Multas viderat Propheta abominationes, ſed non omnes, & tamen propter illas quas viderat, merebatur Synagoga deſeri. Multa etiam nos videmus patrari peccata: ſed Deus bone, quot nefandiſſima committuntur, quæ à nobis non cognoſcuntur, nec agnoſcuntur, nec ſciuntur? ita vt liceat nobis
Lib.2.Epiſt. nunc eadem dicere quæ Diuus Cyprianus ſuo æuo, & fortè adhuc grauiora. Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, & ſpeculare inde rerum infra te iacentium ſpecies, &c. Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum bella vbique diuiſa, madet orbis mutuo ſanguine, &c. O ſi & poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus, oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam

luminum

luminum, penetralia occulta reſerare ! aſpicias ab impudicis geri, quod nec aſpicere poſſit frons pudica; videas, quod crimen ſit & videre: libidinibus inſanis in viros, viri proruunt; fiunt, quæ nec ipſis, nec illis poſſunt placere, qui faciunt ibidem in publico accuſatores, in occulto rei, in ſemetipſos cenſores, pariter & nocentes: damnant foris quod intus operantur; admittunt libenter, quod cùm admiſerint, criminantur. Nunquam Chriſtus ab Eccleſia in quam ſemel ingreſſus eſt, & quam ſibi deſponſauit, recedet; ſed ſi ſimilia crimina opereris, ab ipſo ſine dubio relinqueris.

Socrus autem Simonis, &c. Hæc verba perpendens Tertullianus ſic ſcribit. Agnoſco Petri maritum per ſocrum. Dices : Cur Chriſtus Petrum iam vxoratum vocauit ad Apoſtolatum, cùm alios diſcipulos non vxoratos elegerit ? Vt oſtenderet etiam in ſtatu coniugali ita poſſe hominem viuere, vt etiam mereatur ad aliquam dignitatem, imò ſanctitatem peruenire. Ita viuebat Petrus cum vxore, vt potuerit eſſe Apoſtolus ſine vxore, nec poſt Apoſtolatum requirebat vxorem, qui pro Apoſtolatu libenter reliquit vxorem. Non poteſt quis cum vxore promoueri ad ſacerdotalem dignitatem; ſed poteſt iuſtè viuendo cum vxore peruenire ad ſanctitatem. Vnum obſeruat Chryſoſtomus notatu dignum ; Henoch erat vir iuſtus, & vxoratus, habuítque filios & filias, his non obſtantibus ambulauit cum Deo : non tam vacauit vxori & familiæ, quam Deo & conſcientiæ. Quod vt innueret Scriptura, dixit eum ſemel filium genuiſſe, & ambulaſſe Hom 30. in Gen.

cum Deo; & poſt hunc filium genitum, iterum diu vixiſſe, & genuiſſe filios, & filias, & ſemper cum Deo ambulaſſe; & poſtea raptum fuiſſe ad
Gen.5. alium ſtatum. *Vixit Henoch ſexaginta annis, & genuit Mathuſalem; & ambulauit Henoch cum Deo, & vixit poſtquam genuit Mathuſalem, trecentis annis, & genuit filios, & filias, & ambulauit cum Deo, nec apparuit, quia tulit eum Deus.* Hinc colligit ille Doctor, non repugnare matrimonium vitæ ſanctitati, licèt non conueniat Eccleſiaſticæ dignitati. Audiant viri & mulieres, inquit, & diſcant iuſti virtutem, nec putent nuptias in cauſa eſſe, quòd quis Deo non placeat. Nam idcirco ſacra Scriptura ſemel & iterum id ſignificauit, dicens, *Henoch genuit Mathuſalem, & placuit Deo*; & ideo ingeminat dicens, *& placuit poſtquam genuit*, ne quis arbitretur virtutis obſtaculum eſſe coniugium.

Quando autem Deus voluit Henoch ex hominum conſortio ſubducere, non tulit cum eo vxorem eius, ſed illa relicta *tulit eum Deus*; etiam cum vxore ita piè vixerat, vt hanc meruerit
Quæſt 45. in Gen. tranſlationem. Deus, inquit Theodoretus, Henoch ſibi gratiſſimum tranſtulit, cúmque ſeiunxit à mortalium vita, vt quicunque piè viuere ſtatuerit, animaduertat quanto in honore habendus ſit. Ita quamuis Petrus ante vocationem habuerit vxorem, tamen ſic ſe geſſit in illo ſtatu, vt ad ſublimiorem meruerit promoueri, non tamen cum vxore, quia hoc ſtatui repugnabat.

Fuit quidem Petrus vxoratus; ſed ipſe & alij, ſi qui fuerint diſcipuli vxorati, vbi primùm fuerunt à Chriſto ad Apoſtolatum vocati, officio

coniugali renunciarunt, vt teſtis eſt Hieronymus, & ſatis colligitur ex illis verbis, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Statim enim Dominus explicans, quid ſit relinquere omnia, dicit; *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem,* &c. Rationem reddit Origenes cur debent Sacerdotes eſſe cælibes: Quia, inquiens, impeditur ſacrificium indeſinens his, qui coniugalibus neceſſitatibus ſeruiunt; vnde ſolius eſt offerre ſacrificium, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati. Iuſtè etiam prohibetur Sacerdotibus coniugium, vt animaduertant quanta puritate dignum ſit eorum miniſterium. Si enim quod laicis permittitur, illis interdicitur, quantò magis quod omnibus eſt illicitum: nempe adulterium, ſacrilegium, inceſtus, fornicatio, &c. Quanta autem puritas requiratur in Sacerdotibus, conſtat ex his leproſis, quos Chriſtus miſit ad Sacerdotes. Legitur enim apud Matthæum, quòd cuidam leproſo ad Chriſtum venienti, & ab eo ſanitatem poſtulanti, dictum eſt; *Vade, & oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum.* Idem dictum eſt & decem aliis leproſis curationem petentibus, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Notat Scriptura quòd iſti leproſi, *dum irent mundati ſunt.* Cur curantur, ſix t curentur, mittantur? Reſpondet Ambroſius, ideo curari euntes, ne immundi ſeſe Sacerdotibus offerrent. Si autem qui offertur Sacerdoti, debet eſſe mundus, quantò magis ipſe Sacerdos? Vide Sacerdos, ait ille Doctor, ſi mundos eos qui antè fuerant leproſi, Chriſtus iubet occurrere Sacerdotibus, quantò magis ipſum conuenit eſſe Sacerdotem? Quo-

Lib. 1. in Iouini. Matth. 19.

Hom. 23. in Num.

Matth. 8.

Luc. 17

Lib. de viduis.

modo autem poterit eſſe mundus, ſi inter ſordes verſetur muliebres?

Quærit Diuus Ambroſius, cur Matthæus enarrando Chriſti genealogiam, quarumdam perſonarũ quæ malè vixerant meminerit, veluti Achaz, Iechoniæ, Berſabeæ, quas quidem perſonas tacuit Lucas ſimilem referens generationis ſeriem. Reſpondet ille Doctor, quòd Matthæus loquebatur tunc de Chriſto tanquam Redemptore, qui venerat peccatores ſaluos facere; vnde ipſe ait, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Lucas verò in iſta genealogia loquebatur de Chriſto, prout erat Sacerdos; & quia in Sacerdote requiritur ſumma puritas, ideo noluit referre, Chriſtum de quibuſdam deſcendiſſe qui erant crimi-
In Luc. 3. nibus inquinati. Hæc ſunt huius Doctoris verba. Neque enim Achaz, neque Iechoniam, neque poſtremò Vriæ vxorem nominandos putauit, vt immaculatam ſacerdotalis generis ſeriem declararet. Vide quanta requiratur in Sacerdote puritas, nulla debent eſſe in Sacerdotibus peccata, ne memorentur; & ſi quæ ſint, taceantur, ſicut tacentur eorum progenitores peccato maculati.

Socrus Simonis tenebatur febribus. Licèt Chriſtus hanc domum Petri, id eſt, Eccleſiam diligat, in illa tamen nonnullos teneri febribus, aut aliis incommodis exagitari permittit. Tandiu malis agitaberis, quandiu in hoc mundo mora-
Lib. de conſolat. c. 35. beris. Præclarè Seneca dicere ſolebat, nullam domum in orbe terrarum aut eſſe, aut fuiſſe ſine comploratione. Vnde meritò Solon legum Atticarum conditor dicebat, vrbes, oppida, domos,

domos, nihil aliud eſſe, quàm humanarum ærumnarum domicilia. Si qua domus debuiſſet ab infirmitatibus & miſeriis eximi, certè hoc meruiſſet domus Petri, ob eius in Chriſtũ amorem; *Tu ſcis Domine, quia ego diligo te*: nec tamen eximitur, imò non febre, ſed febribus afficitur. Vnde optimè exclamat Ambroſius. Quid in hac vita non experimur aduerſi? quas non procellas, tempeſtatéſque perpetimur? quibus non exagitamur incommodis? cuius parcitur meritis? Lib de mort. fatr.

De hoc mundo illud dicere poſſumus, quod ſacra Scriptura de Ægypto in tempore Pharaonis, *Non erat domus, in qua non iaceret mortuus.* Exod. 12. Sic in hoc mundo nulla eſt domus, in qua non reperiatur aliqua tribulatio, vel ob mortem mariti, vel ob infirmitatem vxoris, aut filij, vel ob opes deperditas, vel ob aliquam querelam, vel proceſſus, aut aliunde. Repletur hic mundus ſpinis, illúmque cum Ioële vocare poſſumus Ioël. 3. *torrentem ſpinarum*. Sicut enim non poteſt tranſiri torrens plenus, quin madefiat & intingatur aliqua pars corporis: ſi verò plenus ſit ſpinis, non poterit etiam tranſiri, quin pungatur pes, eíque aliqua ſpina figatur: ita tot ſpinis, tot calamitatibus repletur hic mundus, vt vix vllus, imò nullus tranſire poſſit, quin aliqua pungatur & afficiatur. Audiamus de his diſſerentem, Aug. lib. 4. & ad Deum loquentem. Quaquauerſum ſe verterit anima hominis, ad dolores fugit alibi, Conf. c. 10. præterquàm in te. Liceat & nobis cum Poeta Ouid. lib. 1. dicere, de remed. amor.

Et quis non cauſas mille doloris habet?

Quis infans non lacrymatur, ſi ſpinis punga-

tur? Infantem naſcentem audimus plorantem, ergo vel iam ſentit ſpinas, vel ſpinas e ſuo ploratu prædicit. Hoc obſeruauit idem Doctor. Naſcitur puer, & ſtatim plorat; quando plorabat neſciens, Propheta ſuæ calamitatis erat, lacrymæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nondum loquitur, & iam prophętat; quid prophetat? in labore ſe futurum: ſuis ergo teſtatur lacrymis hunc mundum plenum eſſe ſpinis.

Serm. 24. de verb Apoſt.

Sumus igitur omnes calamitatibus obnoxij, non quòd eædem omnibus adueniant, ſed quædam vni, quædam verò alteri; & licèt quis aliqua proſperitate gaudere videatur, aliqua tamen animi aut corporis afflictione premitur. De quodam ſic dicit Scriptura: *Diues, ſed leproſus.* Similiter de nonnullis dicere poſſumus: hic quidem diues eſt, ſed ſemper infirmus; ille eſt ingenio præditus, ſed nulla ſanguinis nobilitate donatur: alius quod liberos habeat, gaudet, ſed proteruos dolet. Dicat igitur Boetius. Huic cenſus exuberat, ſed eſt pudori degener ſanguis: hunc nobilitas notum facit, ſed anguſtia rei familiaris incluſus mallet eſſe ignotus: ille vero vtique circumfluus, vitam cælibem deflet: ille nuptiis fœlix, orbus liberis, alieno cenſum nutrit hæredi: alius prole lætatus filij, aut filiæ, delictis mæſtus illacrymat. Ineſt enim ſingulis quod inexpertus ignoret, & expertus exhorreat.

Lib. 2. de conſol. proſ. 4.

Poſſumus autem morbos & alia aduerſa patienter tolerare, non euitare, ſicut non poſſumus impedire pluuiam ne cadat ſuper tecta: fluctus ne feriant nauem; aut morbos ne corpus

afficiant. Sed nobis curandum eſt, vt tecta pluuiæ, naues verò fluctibus reſiſtant, morbiſque remedium adhibeatur. Ita cùm non ſit in noſtra poteſtate, prohibere iſte afflictiones, & tribulationes eueniant, nobis ſaltem incumbendum eſt, vt patientia præmuniti, illas æquo animo feramus. Hac ſimilitudine vtitur Diuus Chryſoſtomus, ineuitabiles preſſuras oſtendens, & ad eas patienter tolerandas monens. Qui, inquit, domum ſtruit, non hæc ſpectat, vt non pluuia ſuper ipſam deſcendat, neve radius incumbat, quia iſtud nulla ope caueri poteſt, ſed ſtudet quomodo hæc omnia domus ſuſtinere poſſit: & qui nauem fabricat, non hoc agit, vt ne fluctus obturbet, néve vndæ extollantur, cùm ei impoſſibile ſit; ſed vt nauis compages, & latera ad omnia idonea ſint: & corporis curam habens, non hoc agit, ne inæqualis aëris vis oboriatur, ſed quomodo corpus omnia tolerare poſſit. Hoc ipſum in moribus fieri oportet. Hom. 35. in 1. ad Cor.

Ideo autem Deus permittit hic nos vexari, ne illum obliuiſcamur, atque mundum nos turbare, vt illum deſiſtamus amare. Vnde Auguſtinus. Si ceſſaret Deus, & non miſceret amaritudines fœlicitatibus ſæculi, obliuiſceremur eum. Et tamen vexantem diligimus, cum turbante libenter moramur, quid ſi non vexaret, aut turbaret? Hoc mirabatur idem Doctor. Mundus te turbat, & amatur, quid faceres ſi tranquillus eſſet? In Pſal. 93. In Pſal. 32.

Obſeruat Chryſoſtomus, quòd Deus ſolus, id eſt, ſine hominibus maneret, ſi nullas hominibus immitteret aduerſitates. Primò, quia ſine Hom. 4. de Pœniten.

afflictionibus vix aliquis ad Deum recurreret, ſunt veluti calcaria quibus preſſi ad eum tendimus. Vnde Gregorius. Mala quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellunt. Deinde, ſecum quis Deum non haberet, ſi tribulationibus careret, cum eo libenter Deus verſatur, qui afflictione vexatur. Audi quid dicat: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Vnde Bernardus aſſerit, tribulationem eſſe præcipuum ſignum diuinæ præſentiæ apud aliquem. Vnde ſcimus, inquit, quòd nobiſcum ſit Dominus in tribulatione? ex eo vtique quòd in tribulatione nos ſumus. Idcirco ipſemet Sanctus alibi, ſciens Deum peculiari modo adeſſe afflictis, nihil aliud optabat præter tribulationem. *Cum ipſo ſum in tribulatione,* ait Deus, & ego interim aliud requiram quàm tribulationem? Fortè Ieſus in domum Petri non intraſſet, ſi illius ſocrus febribus non laboraſſet.

Pſalm. 90.

Serm. 17.

Tenebatur magnis febribus. Expende hæc verba, & ſcito eſſe verba Lucæ, & Medici, & Euangeliſtæ, de quo ſic Hieronymus. Omnia eius verba ſunt languentis animi medicina: loquitur vt Medicus, & mederi conatur. Sunt eius verba veluti *Recipies.* Non dicit, *tenebat*, ſed, *tenebatur*; fortè tenebatur, ne extolleretur. Deus qui *fecit ventis pondus*, ne euaneſcant, mittit interdum infirmitates ſuis amicis, ne inſoleſcant. Sic ſe habuit erga D. Paulum, qui ne ſuperbiret, *& ne magnitudo reuelationum illum extolleret, datus eſt illi ſtimulus carnis angelus Satanæ, qui illum colaphizaret.* Qui quidem ſtimulus, ſecundùm Auguſtinum, erat quidam grauiſſimus dolor, qui à Satana

Hierony.

Iob. 28.

2. Cor. 12.

In Pſal. 130.

à Satana immittebatur, & quo totum eius corpus affligebatur. Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer, immiſſo ab angelo Satanæ: nam & ſanctus Iob ita probatus eſt. Ad quid huiuſmodi dolor? Reſpondet idem Doctor. Ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizatur vt puer. Quos caſtigare volumus, colaphis cædimus.

Magnam Deus confert alicui gratiam, ſi permittat illum detineri infirmitatibus, ne diſſoluatur voluptatibus. Nulla infirmitate tenebantur, qui hæc loquebantur, *Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Per pratum laſciuientes non tranſiſſent, ſi infirmi iacuiſſent. Cuidam amaſiæ apud Oſeam clamanti, *Vadam poſt amatores meos*, &c. dictum eſt, *Propter hoc ſepiam vias tuas ſpinis.* Expende (*propter hoc*) quaſi dicat Deus: Ideo ne vadas apponam ſpinas, quibus pungaris, atque ita detinearis. Huic quaſi ſpina infigitur, qui aliquo morbo afficitur. Sap. 2. Oſee 2.

Rex Antiochus, vt Dei populum vexaret, multíſque incommodis afficeret, *iuſſit agitari currum ſuum, & ſine intermiſſione agere iter.* Verùm quid tam velociter currentem detinet? grauiſſimus quidam dolor. Audi Scripturam: *Apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorũ tormenta.* Ponderat Diuus Chryſoſtomus hoc verbum (*Apprehendit*) quaſi dicat, fugiebat à Deo, currebat ad malum; ſed eum ſubſequutus eſt dolor, eúmque apprehendit, atque detinuit. Sic nobis ſæpe contingit, vt ad peccata tendamus, ſed morbis aut afflictionibus apprehendimur & detinemur. 2. Mach. 9. Orat. 5. in Epiſt. ad Heb.

Valdè conſiderandum eſt illud Dauidis ad
Pſal. 65. Dominum, *Induxiſti nos in laqueum* non vt ſuffocaremur, ſed vt detineremur: vnde Diuus Auguſtinus ſic legit, *Induxiſti nos in muſcipulam*, vt includeremur, ne per illicita vagaremur: priùs enim dixerat Dauid, *poſuit animam meam ad vitam*.
In Pſal. 65. In quem locum ſic ille Doctor: Vide, inquit, quomodo Deus ſæuit in illos, quorum animam poſuit ad vitam. Induxiſti nos in muſcipulam, non vt capti moreremur, ſed inde liberaremur. Optimum eſt ſignum, dum currentes ad delicias laqueo infirmitatis detinemur, ne tandem damnemur: tunc Deus vult nos curare, quando permittit nos ægrotare: tunc vult conferre ſalutem, quando denegat ſanitatem. Noli igitur mirari, nec conqueri, ſi veluti hæc mulier, magnis tenearis febribus, aut aliis morbis. Quantum autem conducat nos ita detineri, indicat idem
Tract. 7. in Ioan. Auguſtinus. Quàm multi ægrotant in lectulo innocentes, qui ſi ſani eſſent, procederent ad ſcelera committenda? Quàm multis obeſt ſanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quantò melius illi erat, ſi ægrotaret? Qui nocte ſurgit ad fodiendum parietem alienum, quantò illi melius, ſi febribus iactaretur? Innocentiùs ægrotaret, ſcelerate ſanus eſt.

Tenebatur magnis febribus. Febres corporis tenēt nos, ſed nos tenemus febres animæ. Febris corporis aliquādo eſt quotidiana, aliquando tertiana, modò quartana: at omnibus periculoſior eſt cōtinua. His febribus aliquando tenemur; ſed ſi Deus illis imperet vt nos dimittant, ſtatim obediunt. Audi: *Imperauit febri, & dimiſit eam.* Quænam autem

autem ſit febris animæ indicat Ambroſius. Febris noſtra auaritia eſt, febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt. His febribus non tenemur, ſed eas tenemus. Febres corporis quibus interdum tenemur, Deo imperanti obediunt; & nos qui febres animæ, nempe auaritiã, luxuriam, &c. tenemus, Deo non obediemus? Præcipit Deus vt dimittamus iniuriam nobis illatam; bona proximi reſtituamus; luxuriam deſeramus; peccata quæ apud nos tenemus confiteamur: ſed nihil horum agimus. An febris corporis tenens nos, obedientior erit nobis tenentibus febres animæ? In hunc locum

Rogauerunt illum pro ea. Chriſtus rogantes audiuit, & febricitantem curauit, & ſanata miniſtrauit: nam *ſurgens miniſtrabat eis.* Ideo Ieſus voluit eam curare, vt poſſet miniſtrare; & fortè non curaſſet, ſi illam non miniſtraturam, & obſequium præſtituram præuidiſſet. Sæpe, ſi ab infirmitatibus noſtris liberaremur, non tantùm Deo non obſequeremur, ſed illum offenderemus. Hoc agnoſcit qui hic nos infirmari permittit; & licèt illum precemur, aut alij pro nobis, non liberat, eo quòd non expediat: ſi enim expediret, exaudiret. Aliquo morbo Paulus tenebatur, qui vt ab eo diſcederet, Deum precabatur. *Ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me.* Habuit ſe Deus erga Apoſtolum veluti Medicus, qui ſi aliquid moleſtum apponat infirmo, & roget infirmus vt illud auferatur, non amouet, ſed illum ad patientiam hortatur, cùm inde ſit curandus. Hæc ſimilitudo eſt eiuſdem Auguſtini ſic ſcribentis. Quomodo cùm Medicus apponit circa viſcera 1. Cor. 12. In Pſal. 30.

aliquod

aliquod epithema moleſtum & ardens, inde tamen curandus eſt ille cuius viſcera tumebant; cum ille inde ardere cœperit, & cruciari à medicamento, rogat Medicum vt auferat medicamentum: Medicus autem conſolatur, monet patientiam, quia nouit quàm vtile ſit quod appoſuit. Ita rogat Paulus ter, &c. Sed audi vocem Medici: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Si reſponſum eſt Paulo, vt patientiam habeat, quia hoc illi pro ſalute animæ ſuæ expediebat; quid vultis vt nobis, infirmis, vexatis, afflictis, reſpondeat Deus, niſi vt patientiam habeamus, vt infirmitatibus & tribulationibus perficiamur?

Vel ideo Deus permittit vt interdum vexemur, vt illum deprecemur, non blaſphememus. Premebatur Paulus, & rogabat; premuntur alij, & blaſphemant. Boni enim ſi aliqua infirmitate percutiantur, benedicunt Deum: mali verò maledicunt. Mali ſimiles ſunt cœno, boni vnguento: ſi cœnum exagitetur, malè olet, ſi vnguentum, ſuauiter fragrat. Hæc excogitatio eſt Auguſtini, dum ſic ſcribit. In eadem afflictione mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant, boni autem precantur & laudant; tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur: nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum.

Lib. 1. de ciuit. Dei, c. 8.

Mundus iſte eſt veluti Xenodochium in quo ſunt multi & varij infirmi, hic febribus aſſiduis æſtuat, ille laterum dolore corripitur; alius podagra torquetur, alij aliis infirmitatibus laborant. Cognitis his omnibus Medicus diuerſa

adhibet

adhibet medicamenta pro diuerſitate morborum: huic enim potionem amaram, alteri verò dulcem præſcribit: cibum huic, vinum denegat illi, vel concedit. Cur ita? quia ſic vnicuique iudicat expedire. Ita in hoc mundo videtur ſe habere Deus veluti Medicus: huius animæ infirmitatem curat per paupertatem, iſtius per aliam aduerſitatem, vniquique tribuit prout meliùs illi videtur expedire. Das Medico pecuniam, licèt amara iniungat, da Deo gloriam, licèt aduerſa immittat. Intelligas homo, ait Auguſtinus, Medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus vreris, ſecaris; clamas, non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Propterea idem Doctor conqueritur alibi. Quid de medicina ſiue de aduerſitate doleamus. Vnde plangis? medicina eſt, non pœna, caſtigatio, non damnatio.

In Pſal. 21

In Pſal. 102.

Stans ſuper illam imperauit febri. Marcus enarrans hanc curationem, ſic ſcribit: *Accedens eleuauit eam apprehenſa manu eius.* Poterat Chriſtus Ieſus hanc mulierem ſine tactu curare, ſed tantùm imperare. Quæ neceſſitas tangendi, inquit Chryſologus, vbi inerat ius imperandi? Hoc facto docuit nos Dominus, quòd qui vult à febre peccati liberari, & iuſtificari, debet manum ſuam iungere manui Chriſti, hoc eſt, ſuum præbere conſenſum, & Deo cooperari. Nulli Dominus denegat manum ſuam, opem ſuam, omnibus præbet, omnibus offert; ſed non omnes eam arripiunt. De hoc olim conquerebatur,

Marc. 1.

Serm. 18.

& vti

Prouerb. 1. & vtinam nunc non conqueratur; *Extendi manum meam, & non erat qui reſpiceret.* Tunc manum extendit, tunc offert opem, dum te inſpirat, & Prædicatores mittit. Febri meretur æſtuare, qui remedia ſibi renuit applicari: à peccato non vult ſurgere, qui manum ſuam Deo non vult porrigere. Petebat ille manum Dei adiutricem, qui ſic clamabat; *Adiutor meus eſto Domine*; poſtmodum fatetur Dominum illum iuuiſſe, *tenuiſti manum dexteram meam.*

Pſalm. 26.

Pſalm. 72.

Obſeruandum eſt, Dei opera eſſe in duplici differentia: quædam quæ fiunt, aut facta ſunt per ipſum ſolum, & ſine alicuius adminiculo; vt creatio cœlorum: quædam verò, quæ licet ſolus facere poſſet, tamē non vult, quia non decet, vt peccatoris iuſtificatio: nam qui creauit nos ſine nobis, non iuſtificabit nos ſine nobis, id eſt, non ſaluaberis, niſi tu etiam operaris; tibi relinquenda eſt concubina & amaſia, reſtituenda bona ablata, confitenda peccata. Iſta autem opera, quamuis Deo adiuuante fiant, tamen ſolus non cenſetur operari; ille quidem tecum, tu verò cum illo: ille præbet manum ſuam, tu præbe tuam; atque ita ſimul cum illo operare. Hæc autem duplicia opera declarauit optimè Iſaias, iuxta explicationem Diui Cyrilli Alexandrini. *Hæc dicit Dominus creans cœlos, & firmans terram*, &c. *Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſanaui te.* Quaſi dicat, ſine te creaui cœlos, ſolus ego firmaui terram: ſed vt ſanem & ſaluem te, voco te & apprehendo manum tuam, præbe mihi illam, volo enim mecum opereris, vt ſalueris.

Iſai. 42.
Lib. 1. de adoratione.

Ille

Ille autem porrigit Deo manum ſuam, qui oblatis à Deo auxilijs vtitur. Deus clamat, *Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat.* Ezech. 18 Ideo ne peccator pereat præbet Deus manum ſuam, porrigit in naufragio tabulam, pulſat oſtium noſtrum; manum noſtram porrigamus, tabulam arripiamus, eíque pulſanti aperiamus: id eſt, auxiliis, Sacramentis, beneficijs, quibus nos afficit, vtamur, ne in infirmitate naturæ deſeramur, & ope diuina deſtituti relinquamur. Hoc metuebant viri pij, teſte Diuo Leone, qui ſic ſcribit. Hæc Sanctis cauſa eſt tremendi ac metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Serm. 8.

FERIA

FERIA SEXTA
POST DOMINICAM tertiam.

Venit IESVS *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*, &c. Ioan. 4.

VENIT fons ad fontem : venit ſitiens ad ſitientem : venit quærens animas, ad quærentem aquas : venit reficiens ad reficientem : venit ſeſſurus ſupra fontem, ad acceſſuram ad fontem : venit fatigatus ex itinere, ad fatigatam ex ſcelere; venit Samaritanus, à Iudæis vocandus, ad Samaritanam, ipſum Iudæum vocaturam : venit petiturus ad petituram : venit conceſſurus ad negaturam : venit magiſter ad famulam: venit Deus ad mulierem : venit mundus ad immundam, venit, inquam, *Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*, &c. Et venit ad venientem : *venit mulier de Samaria haurire aquam*: venit dicturus, *da mihi bibere*, ad dicturam, *da mihi hanc aquam.*

Videndus eſt qui venit, & quid venienti dixerit audiendum. Videamus, inquam, quid agat, dum

dum ad fontem ſe recepit, & audiamus quid dicat Samaritanæ accedenti ad hunc fontem: *Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* O Ioannes qui ſcribis ſic, explica nobis illud (*ſic.*) Sed dicere potes, explicet illud, qui ait, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et qui de me dixit, *Sic eum volo manere*, dicat inquam ille, qui *ſedebat ſic.* Fortè hunc ſedendi modum nullus vnquam ſciuit, niſi is qui dicebat, *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* Secundùm D. Auguſtinum, hæc ſunt verba Chriſti ad Patrem. Quærit ergo ille Doctor. Quid hîc ſeſſio? Quid hîc reſurrectio? Qui ſedet humiliat ſe. Sedit ergo Dominus in paſſione, reſurrexit in reſurrectione. Itaque, per illam ſeſſionem intelligimus Chriſti paſſionem, & præcipuè crucifixionem, *humiliauit enim ſe vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Quando igitur audimus Dominum *ſediſſe ſic ſupra fontem*, dicere poſſumus tunc, *ſic*, id eſt, ad modum Crucis, vel brachiis extenſis, ſicut in Cruce, Chriſtum ſupra fontem ſediſſe. Quando ſic ſedebat, *hora erat quaſi ſexta*, & eadem hora Cruci affixus eſt. Videns igitur Dominus hanc ſuam ſeſſionem adumbrare ſuam paſſionem, & eadem hora ſediſſe ſupra fontem, qua crucifigendus erat, voluit fortè, & eodem modo ſedere, quo crucifigi, & eadem ſiti vexari, qua in Cruce, & potum ſedens ſupra fontem, ſicut patiens ſupra Crucem poſtulare. Fuit illi fons alter Crux; & ſicut fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem, ſimiliter fatigatus ex tormentis, fagellis, laboribus, tandem ſedit in Cruce. In Cruce autem dicitur

Pſalm. 138.

In hunc Pſalm.

ſediſſe, quia dum crucifigeretur primò ſedit, poſtmodum brachia extendit, & tandem clauis affixus eſt; & forte hæc Chriſti paſſio, ſiue crucifixio, vocatur ſeſſio, quia a ſeſſione inchoauit.

Si autem quæras, cur ſedendo etiam Crucem efformauerit, aut ad modum Crucis ſederit. Reſpondendum eſt, quòd Chriſtus etiam dum quieſcere videbatur, voluit ſemper habere doloris obiectum. Idcirco, quamuis (vt dicemus infra) potum peteret, & poſſet habere, ab eo abſtinuit, non bibit, ne ſedendo & bibendo corpus ſuum recrearet, ſed contentus ſeſſione, ſiti voluit laborare: & ne in iſta ſeſſione nimiùm delectari videretur, ita ſeſe in ea compoſuit, vt quaſi crucifixus apparuerit; vt hoc pacto animum ſuum affligeret ex recordatione futuræ crucifixionis. Semper enim voluit Dominus habere etiam præ oculis quo doleret, & pateretur: vt in eo adimpleretur, *dolor meus in conſpectu meo ſemper*. Hoc habuerunt olim viri ſancti, quantò magis caput omnium Sanctorum? Patiētiſſimus Iob à ſtercore in priſtinas diuitias reſtitutus, filios vita functos iterum non recepit, imò nec petiit. Cur ita? Reſpondet Tertullianus. Suſtinuit tam voluntariam orbitatem, ne ſine patientia viueret. Quia reſtitutis ſibi facultatibus, habebat vnde gauderet, voluit Deus, vt inter illa gaudia haberet quo doleret, orbatus ſcilicet huiuſmodi filiis.

Lib. 1 de Patient.

Iacob multa dum viueret perpeſſus fuerat, verùm, ne etiam mortuus oſſa eius quieſcere viderentur, vnum iam moriturus petiit à filio; *Facies mihi miſericordiam, vt non ſepelias me in Ægypto,*

Ægypto, & auferas me de terra hac. Cur petit aliò transferri oſſa ſua? Dicat Ambroſius. Transferri oſſa ſua obſecrauit, ne vel mortuus quieſceret. Qui ſemper in vita laborauerat, etiam mortuus quieſcere nolebat. Sic Chriſtus Ieſus, quandiu apud nos degit, nunquam quieſcere elegit. Quapropter etiam ſedendo non fuit ſine patientiæ occaſione, ob recordationem ſuæ paſſionis, ad quam iam ſeſe exercebat, quando ſic ſedebat. Itaque Chriſtus nunquam minùs ſedebat, vel quieſcebat, quàm cùm ſedebat, & quieſcebat. Quando ergo audis quòd *ſedebat ſic*, intellige (*ſic*) id eſt, ita ſedebat, vt propterea non quieſceret; vel, ſedebat ſic, ac ſi iam fuiſſet in Cruce extenſus. Orat. de ſide reſur.

Hora erat quaſi ſexta. Notatur hora, vt ſignentur myſteria. Vocauit Dominus hanc mulierem hora ſexta, id eſt, meridiana; circa illam horam Adam *ad auram poſt meridiem* vocauit, eadem hora Diuum Paulum, vt ipſemet fatetur; *Die media in via audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris?* In meridie, aut circa meridiem conuertitur Magdalena: venit enim in domum Phariſæi vbi Chriſtus recumbebat, tempore prandij, quod circa meridiem fiebat. Quando autem vocat ea hora, aut alia, peccatores, videtur illis innuere, ſe aliqua paſſuros ex his quæ ipſe paſſus eſt, hora illa ſexta, ſiue meridiana. Huc ſpectabat Drogo, dum hæc ſcribebat. Circuire poſſum, Domine, cœlum & terram, & mare, & nunquam te inueniam, niſi tantùm in Cruce, ibi paſcis, ibi cubas in meridie. Id eſt, nunquam quis poterit Chriſtum inue- Geneſ. 3. Act. 26. Lib. de Paſſione.

nire, ſi ex his quæ paſſus eſt nihil voluerit ſubire.

Mulier da mihi bibere. Bis ſitiuiſſe Dominum, & tamen non bibiſſe legimus, ſcilicet nunc, & in Cruce. Modò quidem dicit, *Da mihi bibere.* Quid autem biberit, non legitur. In Cruce dixit, *Sitio,* ſed, teſte Euangeliſta, *cùm guſtaſſet noluit bibere.* Vnde illum deuotiſſimè interrogat Bernardus. Quid ſitis Domine Ieſu? plus te cruciat tua ſitis quam tua Crux; de Cruce ſiles, & de ſiti clamas. Non tam Dominum Crux vexabat, quam ſitis. Nam ſiti magis quàm fame, aut alio tormento, vexari hominem teſtatur Ariſtoteles. Vnde Dionyſius ille tyrannus, quos maximè vexare volebat, eos ſitim prouocantia manducare cogebat, & poſtea ſitientes bibere non ſinebat, vt eò plus vexarentur, quò plus ſitirent.

Bernard.

Lib. de Secretis.

Duabus igitur de cauſis Chriſtus tunc ſitiens non bibebat. Primò, non bibit, vt plus ſitiret, plus ſitiuit, vt plus cruciaretur, plus autẽ cruciabatur, vt plus amor ejus in nos manifeſtaretur. Præterea, ideo tunc nõ bibit, licèt potum poſtulauerit, vt oſtenderet ſe non aquam, non vinũ, nec alium potum ſitire, ſed tantùm ſalutem noſtram: vel, ideo ſitiebat, vt nos ſui ſitientes redderet. Te vult, ô peccator, dum à te petit bibere; vult, inquam, vt tu illum ſitias, ſicut ille te. Audi Gregorium Nazianzenum. Sitit ſitiri Dominus. Illum Dauid ſitiebat, quando aquam de ciſterna Bethleemitica poſtulabat; *O ſi quis mihi daret potum aquæ, de ciſterna quæ eſt in Bethleem.* Tunc tres viri fortes irrumpẽtes caſtra Philiſtinorum, hauſerunt aquam, & attulerunt ei. *At ille noluit bibere.*

Orat. 40. in S. Baptiſma.

2. Reg. 23.

bibere. Cur non bibit, quod tam vehementer exoptauit, & tam inſtanter poſtulauit? Quia non aquam Bethleem, ſed illum fontem, nempe Chriſtum, qui naſciturus erat in Bethleem, ſitiebat. Idcirco aliàs clamabat, *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Dixit igitur Chriſtus, *Mulier da mihi bibere*, vt oſtendat ſe ſitire, & conſequenter multùm pati: & tamen non vult illam ſuam ſitim leuare, vt innueret non tam aquam ſitire, quàm animam huius peccatricis, & vt in ea ſui ſitim prouocaret, quia ſitit ſitiri Dominus. Itaque nòn tantùm ſitiens vixit, ſed & ſitiens mortuus eſt, imò adhuc ſitiens ſedet ad dexteram Patris. Sed quid ſitit ibi? Sitit ſitiri, id eſt, optat vt illam & illam gloriam deſideremus. Et iam illa mulier ſitire incepit, quando Chriſto aquam viuam promittenti, dixit, *Da mihi hanc aquam.* Nihil aliud in hoc mundo ſitire debemus præter Chriſtum.

Dicimus etiam ideo Chriſtum, licèt poſtulauerit, non bibiſſe, vt oſtenderet, & manifeſtaret, qua ratione bibere poſtulabat: non enim petebat bibere, vt biberet, ſitímque ſuam aqua leuaret, ſed ideo petebat, vt homo daret, & dando mereretur & præmiaretur. Quando, verbi gratia, dixit in Cruce, *Sitio*, non tam ſibi, quàm crucifigentibus cõſulebat: vt ſcilicet ſuppeteret eis in extremo illo vitæ articulo bene de ſe merenti occaſio. Quia dando, ſicut ſcriptum eſt, *merenti ſiceram, vel amaro animo vinum*, aut certè *calicem aquæ frigidæ*, Prou. 3. Matth. 10.
ſeſe aliqua ratione diſpoſuiſſent ad promerendam Dei gratiam, paſſionis fructum, ac effectum

orationis pro crucifixoribus.

Ita nunc non petit bibere ab hac muliere, vt bibat, exiſtimo ergo, quòd licèt illa aquam dediſſet, Chriſtus non bibiſſet, ſed ideo petebat, vt danti aquam, gratiam tribueret. Ideo ait illi Chriſtus: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Quaſi dicat; ſi ſcires quis, & cur petat à te: non enim peto bibere vt bibam, ſed vt præbenti tribuam gratiam; nec me cogit ad petendum neceſſitas bibendi, ſed deſiderium præmiandi. Non curabat Chriſtus ſuam tunc extinguere ſitim, ideo non bibebat: ſed quærebat tribuentibus dare gratiam, & gloriam, ideo petebat.

Mulier da mihi bibere. Tunc Deus dare vult quando petit, non quòd noſtris indigeat, *Bonorum noſtrorum non indiget*, ſed vt ſuis nos repleat. Ideo petit, vt petenti demus, & poſtea nobis poſtulantibus ipſe maiora concedat. Imò ideo à nobis poſtulat, vt poſtmodum nobis petentibus, non dare, ſed reddere, & nobis ſatisfacere videatur. Ideo inquam à nobis priùs vult accipere, vt cùm dederit, exiſtimetur non hoc facere ex gratia, ſed ex debito, ait Chryſoſtomus. (Hom. 25. in 2. ad Theſſ.)

Quærit idem Doctor, cur Deus qui nullius indiget, ab Abrahamo filiũ petierit; (Ibidem. Gen. 22.) *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offer illum*, &c. Non quærebat Deus Iſaacũ mori, quem volebat viuere, vt ex eo Meſſias deſcenderet, & tamen poſtulat in holocauſtum, quem ſciebat non eſſe mactandum, iubet vt occidatur, qui ſcit ſe miſſurum Angelum ne occidatur. Interim Abraham iuſſis obtemperans

rans

tans concidit ligna, parat ignem & gladium, ducit ſecum filium, *Et venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus*, in quo pater filium mactare non formidat, filius immolari non recuſat, vterque paratus eſt obedire; ille mortem inferendo, hic ſubeudo. Vnde exclamat D. Chryſoſtomus. O religioſam animam! ó fortem mentem! o ingens robur animi! Vtrum admirer, fortémne ſpiritum patris, an tam conſtantem filij obedientiam? quòd neque reluctatus eſt, nec factum ægrè tulit, ſed ceſſit, & obtemperauit iis quæ à patre fiebant, & ſicut agnus cum ſilentio, ſuper altare decubuit, expectans patris dexteram. Iuuat & audire B. Zenonem Epiſcopum Veronenſem, hoc factum extollentem. O nouum ſpectaculum, ac verè Deo dignum! non percuſſoris, non percutiendi variat color, non membra tremóre vibrantur, non demiſſi, non torui ſunt oculi; nemo rogat, nemo trepidat, nemo ſe excuſat, nemo turbatur. Ille erexit gladium, iſte ceruicem. Quid hoc eſt? Ecce parricida redit incruentus, & qui immolatus eſt, viuit. Fœlix orbis foret, ſi omnes ſic fierent parricidæ.

Hom. 48. in Gen.

In catena Lipomani.

Cur itaque Deus petierit filium ab Abrahamo, rationem aſſignat Chryſoſt. Erat Deus, inquit, filium ſuum pro nobis donaturus, ſed ne videretur nobis donare, ſed nobis debere, iuſſit Abraham dare filium ſuum, vt rem magnam faciens nihil magnum videretur facere. Vt autem Deus quodammodo teneretur dare hominibus filium ſuum, voluit ab homine petere filium. Dedit homo filium affectu, non effectu, & affectus ſuum fuiſſet effectum ſortitus, ſi ab ipſo Deo non fuiſ-

ſet impeditus. Videtur Deus dixiſſe, da homo, vt dem; da mihi filiũ tuum, & ego dabo tibi meum. Ioan.3. Voluit dare homo, & Deus dedit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et certè, vt videretur debuiſſe dare, ab homine voluit poſtulare; ne, ſi non dediſſet, haberetur homo liberalior Deo.

Vult itaque Deus homini ſe obligare, dum dignatur ab homine poſtulare: magis gloriatur de his quæ ab homine accipit, quàm de his quæ homini concedit. Videbimus illum in extremo Iudicio gloriantem, quando bona ſibi in perſona pauperum exhibita audiemus recenſentem; *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Ideo petebat, vt dares, & dando perciperes. Quid? regnum cœlorum; audiemus namque, *percipite paratum vobis regnum.* Parat tibi hoc regnum, quando parat pauperem ad te mittendum, & à te poſtulaturum: tunc non recenſebit Deus quæ tibi dederit, ſed quod ei dederis. Vt, inquit idem Doctor, magis glorietur quòd acceperit, quàm quòd dederit, non tam dicet, hoc dedi, quàm, hæc accepi. Idem Orat.40. ſentit Nazianzenus, qui ſic ſcribit. Cùm à Deo beneficium petitur, beneficio affici ſe putat: iucundiùs dat, quàm alij accipiunt. Ergo, *Mulier da mihi bibere,* vt merearis audire, *Sitiui, & dediſti mihi bibere.*

Ideo petit Dominus vt detur ei bibere, vt ipſe det bibere; petit aquam, vt det gratiam & gloriam. Optat vt ei concedatur, vt & ipſe largiatur. Audiamus optantem, *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea, vt bene ſit eis?* Domine cur ab eis vis timeri?

vt bene ſit eis. Cur vis mandata tua cuſtodiri? *vt bene ſit eis.* Quòd ego poſtulem, non mea, ſed veſtra intereſt. Similiter, ideo petit bibere ab hac muliere, vt bene ſit ei, petit vt det.

Mulier da mihi bibere. Non tam ſitit Dominus aquam huius fontis, quàm ſalutem huius fontis. At Domine vide quid ſitias. Populo tuo olim exprobrando dixiſti; *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibás aquam turbidam?* Et nunc permitte nobis, vt tibi dicamus; *Quid tibi vis in via Samariæ, vt petas aquam turbidam?* Hæc enim mulier eſt veluti aqua turbida, cœno impudicitiæ plena. Obſeruat hoc D. Athanaſius, qui ſic ſcribit. Hæc mulier viros iuxta Samaritanorum leges habuit, qui mortui iam erant; poſtea ſcortabatur. Nemo ſiquidem cum ea, tanquam cum vxore legitima volebat cohabitare. Illa verò apud ſe habuit virum, cum quo conſuetudinem habebat, & non erat hic manifeſtus aut legitimus maritus. Cùm igitur hæc mulier ſua fornicatione eſſet ſicut aqua turbida & cœnoſa, & tanquam ſtercus in via, cùm eſſet fornicaria; quomodo tu Deus cùm ſis, ab illa bibere poſcis, quæ eſt mulier Samaritana, & tam obſcœna? Audio Domine te dicentem, *Non veni ſaluare iuſtos, ſed peccatores.* Quid eſt hoc, niſi, ideo deſcendi de cœlo, vt in hoc mundo ſitiam aquam turbidam, id eſt, animas hominum peccato ſordidas, velut animam iſtius mulieris, quæ vitiis inficiebatur? Et tamen Chriſtus amore eius ſalutis afficiebatur.

Ierem. 2.

Lib. Quæſt. de Script. quæſt. 59.

Hinc colligite auditores, quàm ardenter ſitiat ſalutem animarum noſtrarum. In ipſo verificatur illud, *Viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni* Ec. 1. 26.

aqua proxima bibet. Qui vehementi ſiti cruciatur, non attendit quid bibat, dummodo habeat, quod bibat. Sic Dominus adeò ſitit animas noſtras, vt non videatur attēdere quales ſint, dummodo eius ſint. Sic ſitiuit ſalutem Matthæi, adulteræ, Cananeæ, Magdalenæ, latronis, & aliorum peccatorum. Eadem ſiti ſitiebat ſalutem crucifigentium eum, dum dicebat, *Sitio.* Quid in tanta ſiti datum eſt ei? acetum. *Cùm accepiſſet acetum, dixit, Conſummarum eſt.*

Eſt autem aceti tanta fortitudo, vt prægrandes lapides diſſoluat, quos ferrum quaſſare non valuit, maximè ſi infundatur igni lapidibus ſuperpoſito. Hac arte vſus eſt Annibal dum ab Hiſpania exercitum traiiceret in Italiam, & Alpium rupibus impediretur, vt teſtis eſt Titus Liuius, qui ſic ſcribit. Milites cùm cædendum eſſet ſaxum, arboribus circà immanibus deiectis ſtruem ingentem lignorum faciunt, eámque ſuccendunt, ardentiáque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt. Ita ardebat, & ardet Chriſti amor in duriſſimos peccatores, vt ad illorum lapidea corda frangenda, etiam acetum, voluerit admittere. Quis noſtrûm igitur licèt cor gerat lapideum, non molliatur, ſi recordetur Dominum fuiſſe in ſiti ſua pro nobis aceto potatum? Qualis ardor, qualis Ieſu Chriſti ſitis, vt acetum non reſpuat? Qualis, inquam eius amor, vt ſordiſſimos peccatores admittat?

Decad. 3. lib. 1.

Quomodo tu Iudæus cùm ſis,&c. Multi ſunt huic mulieri ſimiles, ad quos ſi accedat pauper eleemoſynam petiturus, reſpondent. *Quomodo tu,* qui ſanus es corpore, petis eleemoſynam? Quare non laboras?

laboras? Cur terram non fodis, aut alicui domino non miniſtras, & ſeruis? Alij dicunt; *Quomodo tu* à me manducare, vel bibere poſcis, cùm ſis me ditior, & opulentior, aut ſanè à me poſcis qui tot feci iacturas, qui tantam habeo familiam alendam, non te? Et non tantùm ſeſe offerentibus indigis vtuntur hoc (*Quomodo*,) ſed etiam dum quis eos hortatur, vt adimpleant id quod tenentur; verbi gratia, dum ſuadentur, vt inimicitias dimittant; *Quomodo*, aiunt, tu amicus meus cùm ſis hoc à me poſcis? nónne ſcis adeò me eſſe offenſum, vt nullo modo ignoſcere debeam, ſine detrimento mei honoris? O miſer, *ſi ſcires donum Dei*, id eſt, quod tibi promittitur, ſi hanc noxam dimittas; & quis eſt qui tibi dicit, *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Non eſt Prædicator aut Confeſſor, ſed Deus ipſe, per Prædicatorem & Confeſſorem.

Verùm liceat nobis dicere Chriſto; *Quomodo tu Deus cùm ſis, à me bibere poſcis qui ſum miſerrimus peccator?* Tu diues à me paupere, tu potens à me infirmo, tu qui bonorum noſtrorum non indiges, à me qui omnibus indigeo, poſcis. Petiuit Dauid à Sacerdote Achimelech, vt daret ei, *ſi* 1.Reg.21.
quid haberet ad manum. Idem Dominus poſtulat tantùm à nobis quod habemus *ad manum.* Epulabatur ille diues quotidie ſplendide, ab eo petebat Lazarus, vt daretur aliquid ex his quæ habebat *ad manum*; ſed impius non tantùm quæ *ad manum*, imò verò quæ ad pedes habuit recuſauit, nempe micas, quas de menſa cadentes conculcabat. Hæc Samaritana quærebat, diſputabat an daret ei aquam, quam proieciſſet in terram &

concul

conculcaſſet. Quàm bonus Iſraël Deus, qui à nobis duntaxat expoſtulat, quæ habemus *ad manum*, illa ſcilicet quæ dare poſſumus. Poterat iſta mulier dare illi bibere, cùm haberet hydriam præ manibus, vnde poterat aquam commodè haurire.

Quomodo tu Iudæus cum ſis, à me bibere poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Dic mulier, & adde, quæ ſum mulier luxurioſa: nam luxurioſi nihil habent, quod Deo dent, & quod amaſiis ſuis non præbeant. Vnde inter alias rationes, quæ mouebant Iobum ad peccatum luxuriæ fugiendum,
Iob. 31. hæc vna erat. *Quam enim partem*, aiebat, *haberet in me Deus?* Quaſi diceret, ſi ego aliqua muliere abuterer, nihil eſſet in me, quod illius non eſſet. Quæ in me ſunt, Dei ſunt, non amaſiæ. Audi A-
1. Cor. 6. poſtolum. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.* Ille membra ſua Deo ſuffuratur, qui ſuæ amaſiæ obſequio omnino occupatur. Itaque ſi quis habeat quam diligat amaſiam, aut aliqua mulier amaſium, dicere poteſt; *Quam partem habet in me Deus?* Cor enim amaſiam diligit, lingua de ea loquitur, oculi eam reſpiciunt, pedes ad eam viſendam currunt, digiti amatorias ſcribunt epiſtolas, aures libenter de ea loquentes audiunt, intellectus ſemper de illa cogitat, memoria illius recordatur, voluntas illam amat. *Quam partem habet in me Deus?* Meritò igitur libidinoſo dicere poteſt, cùm
Ioan. 13. nullam in te habeam partem, *non habebis partem mecum.*

Non ſine cauſa igitur Beatus Pachomius, referen

ferente Palladio, optaſſet potiùs ferarum dentibus dilaniari, quam peccato libidinis maculari. Agnoſcebat enim membra ſua non eſſe meretricis, ſed Dei. Habet homo aures, ergo dicat, *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Habet oculos, dicat, non oculi noſtri ad amaſiam, ſed, *oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Habet os, ergo non amaſiam, ſed Deum laudet, *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Habet cor, ergo Deum diligat, eique dicat, *Legem tuam in medio cordis mei.*

Pallad. in hiſtoria Lauſiac. cap.26.

Pſalm. 89.

Pſalm. 39.

Tempore Iuſtiniani Cæſaris, cùm ab Arriano Vvandalorum Rege, ob fidei conſtantiam quibuſdam Africanis Epiſcopis linguæ eſſent exſectæ, vacuo tamen ore integra verba formantes clamarunt: *Ecce videte, linguas non habemus, & loquimur.* Quid tamen vni ob actum libidinoſum acciderit narrat D. Gregorius. Vnus eorum, inquiens, Conſtantinopoli poſtea in luxuriam lapſus, mox priuatus eſt dono mirabili, recto videlicet omnipotentis Dei iudicio, vt qui carnis continentiam neglexerat ſeruare, ſine lingua carnea non haberet verba veritatis. Non erat ei conceſſa facultas fandi, vt per eam quæreret opportunitatem mœchandi. Meritò voluit Deus, vt ea priuaretur, cùm in Dei obſequium ea non vteretur. Ecce igitur mulier Samaritana quæ ſe totam tradiderat amaſio: habebat pedes, habebat manus, non Chriſto, ſed viro non ſuo; manibus ſuis, imò hydriæ ſuæ parcebat, ne aquã Domino hauriret, & toto corpore ſeruiebat ſuo amaſio. *Quam ergo partem habeat in ea Deus?* Et vt oſtenderet ſe habere, vnde recuſaret, dicebat: *Quomodo*

3. Dialog. cap.32.

tu Iudæus cùm ſis, à me bibere poſcis quæ ſum mulier Samaritana?

Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit, da mihi bibere. Vtinam vnuſquiſque noſtrûm ſciret & intelligeret, & cognoſceret, quis eſt pauper, qui à nobis poſtulat eleemoſynam. Chriſtus

Pſalm. 40. enim eſt qui latet in pauperis perſona; *Beatus,* ait Dauid, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Epiſt. 150. ad Hedib. Quæ verba explicans Hieronymus ait. Intelligentia opus eſt, vt ſciatur quis ſit egenus & pauper. Nam pauper eſt qui Chriſtum repræſentat.

Serm. 14. Vnde B. Chryſolog. Manus pauperis eſt manus Chriſti. Dante te eleemoſynam, non manus pauperis, ſed Chriſti, illam recipit. Propterea aliquando audiemus: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Multi hodie hoc non intelligunt, aut intelligere nolunt: non curant agnoſcere illum qui à

Ibidem. nobis petit in paupere. Idcirco ad orandum vt hæc agnoſcamus nos adhortatur idem Chryſologus. Oremus, fratres, vt ipſe nobis intelligere intelligenda concedat, qui ſe in paupere intelligi ſic demonſtrat: quòd ipſe qui cœlum regit ſit nudus in paupere, quòd in eſuriente eſuriat ſaturitas rerum, quòd ſitiat in ſitiente fons viuentium, quòd fruſtum panis, & calicem aquæ, dator omnium quærat, quòd Deus amore pauperis ſic ſe deponat, vt non adſit pauperi, ſed ipſe ſit pauper. O igitur ſi ſcires donum Dei, quando ad te venit pauper, & poſtulat à te, vt des ei, aut manducare, aut bibere, forſitan peteres ab eo, vt à te peteret.

Si ſcires donum Dei, &c. Reuera donum Dei

huic

huic mulieri offerebatur, quando Chriſtus ab ea aquam putei poſtulabat, eamque ad aquam viuam, nempe gratiam petendam inuitabat, ad quam recipiendam illam diſponebat, necnon ab aqua terrena, ad cœleſtem euehere volebat, vt aquas huius mundi, id eſt, voluptates faſtidiret. Hæc conſideranda videtur proponere Rupertus, dum ait. In hoc operæpretium eſt attendere miram dignationem diuinæ ſapientiæ, quæ ſic paruulis condeſcendit, vt non omittat qualemcumque, cùm occaſio ſibi obiecerit, quin per eius ſimilitudinem, illius introducendi ſtudio quaſi præ oculis exhibeat inuiſibilia myſteria regni Dei. Qualis autem ſit aqua quam hæc mulier veniebat haurire, oſtenditur, dum eî à Chriſto dicitur. In Ioan. 4.

Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Quid per aquam huius putei intelligatur, innuit Auguſtinus. Aqua in puteo, voluptas ſæculi eſt in profunditate tenebroſa: hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatis, &c. Ex ea quidem homines hauriunt, & ſemper ſitiunt, bibunt, & ſitim non extinguunt. Quare? quia vt aqua ſitim extinguat, neceſſe eſt, vbi ſitis eſt, perueniat, ſcilicet ad linguam, palatum, guttur. Illa enim ſunt quæ ſitiunt: non extinguitur ſitis, dum manus, vel pes lauantur, quia manus & pes non ſitiunt. Ita non extinguitur opes temporales poſſidendi deſiderium, quando, verbi gratia, pecuniis impletur marſupium, aut frumento horreum; non enim illa ſunt quæ opes deſiderant, ſed anima, quæ illis ſatiari non poteſt, quia ad eam hæc attingere non poſſunt. Tract. 15. in Ioan

Sola

Sola Dei gratia eſt quæ animam ſatiat: quia, teſte Lyrano, habens gratiam Dei, habet Deum, & ideo non deſiderat aliquid, quod non habeat. Nihil enim eſt, quod animam ſatiet, niſi Deus, qui haberi non poteſt ſine illa aqua viua, id eſt, gratia, cuius ſubiectum anima eſt. Dicat igitur vnuſquiſque, *Domine da mihi hanc aquam.*

Vis vnum ex multis videre bibentem ex aqua huius putei, ſiue ex diuitiis & deliciis huius ſæculi? attende Aman, qui quæ bibebat amicis Eſther 5. ſuis exponebat. De illo ſic Scriptura. *Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, & quanta eum gloria ſuper omnes Principes, & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet.* Hæc bibebat, & adhuc ſitiebat; audiamus ſitientem, & dicentem: *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Quamuis multa haberet, nihil tamen ſe habere putabat. Quare? *Quia omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.* Cùm nihil ſit, quod in hoc mundo animam ſatiet, nullus eſt qui ſua ſorte contentus ſit. Hoc optimè Chryſoſtomus Hom. 38. in 1. ad Cor. obſeruauit, dum ait. Qui in ſtercore cubat, miſera & ignominioſa conditione ſe eſſe dolet; quem ſi liberes, & neceſſariis rebus inſtructum reddas, rurſum dolebit, quòd non vltra neceſſitatem ſuperſit aliquid. Adde ergo, ille plus vltrà concupiſcet, nec propterea minùs dolebit: ægrè enim illi erit, quòd iam in Republica non ſit; mox illud ſi concedas, miſerum ſe exiſtimabit, quòd inter primos non ſit. Sed & hoc aſſequutus, dolebit quòd non ſit Princeps; & ſi ſit, quòd non totius gentis; quòd ſi totius, quòd non multarum; & ſi multarum, quòd non omnium,

omnium. Iam qui Princeps eſt, dolebit quòd Rex non ſit; ſi Rex, quòd non ſolus; ſi ſolus, quòd non totius orbis terrarum; & ſi totius orbis, non eſſe alium orbem dolebit. Itaque ita ſitiet iterum, quidquid in hoc mundo adipiſcatur.

Promiſerat Dominus Petro ſummum Pontificatum, dum dixit ei, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum:* veruntamen his non contentus ſitiebat iterum, & quaſi nihil habuiſſet, aut nihil eſſet habiturus, ad Chriſtũ acceſſit aliquid petiturus; *ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Quid vis Matth. 16.
amplius? promittuntur tibi claues regni cœlorũ. Vt ego exiſtimo, magis optaſſet quod aperitur, quàm quo aperitur: magis inquam optaſſet regnum cœlorum, quàm claues regni cœlorum; non ſatiabatur datis clauibus, ſed dante claues: ipſe enim ſolus poteſt noſtrum ſatiare appetitum, quia omnia eſt in omnibus; cætera quæ ſunt, cùm non ſint omnia, non poſſunt nos ſatiare per omnia. Audi Auguſtinum. Aurum non In Pſal. 36.
poteſt tibi eſſe argentum, vinum non poteſt tibi eſſe panis, lux non poteſt tibi eſſe potus, Deus tuus totum tibi erit.

Vnde & idem alibi monet, ne à Deo niſi ſeipſum petamus, rationémque aſſignans ait. Noli In Pſal. 55.
extra Deum aliquid ab eo quærere, ipſe tibi ſufficit. Quantumlibet ſis auarus, ſufficit tibi Deus. Etenim auaritia terram quærebat poſſidere totam, adde & cœlum; plus eſt, qui fecit cœlum & terram. Idcirco Deum quæramus, & aquam viuam ab eo petamus, ex qua *qui biberit, non ſitiet in æternum.* Gratia enim, quæ per illam

aquam intelligitur, potentiſſima eſt ad extinguendam ſitim. Vtinam ex ea bibiſſet, & cum ea obiiſſet diues epulo, quia modò non ſitiret: ſed ea relicta, aquam huius putei,huius inquam mundi, ſcilicet delicias & voluptates bibebat; vnde iterum ſitiebat,ſitit,& ſitiet in æternum.

Præterea, maximum donum fuit huic mulieri conceſſum, dum Dominus ei ſeipſum manifeſtauit, dicens; *Ego ſum, qui loquor tecum.* Hæc verba confirmant & oſtendunt ardentem ſitim, ac vehementem amorem Domini erga peccatores. Multis ex diſcipulis non ſe reuelauit Dominus: duo ex eis euntes Emmaus, illum quidem cognouerunt in fractione panis, ſed *ipſe euanuit ex oculis eorum.* Voce eis non ſe reuelauit:at huic mulieri apertè dicit; *Ego ſum, qui loquor tecum.* Similiter Paulo adhuc in membris
Act. 9. eum perſequenti dixit, *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.* Hoc obſeruat, & miratur Chryſologus. Cùm oculos duorum diſcipulorum Dominus aperuit, tunc ex ipſorum conſpectu ablatus eſt, ſeipſum illis voce non reuelauit, & tamen mulieri dixit, Ego ſum; Paulo quoque ſe manifeſtauit,&c. Cur hoc? vt oſtendat quantum ſaluti peccatorum inuigilet, vt præ illis, iuſtos videatur relinquere & deſpicere.

Ego ſum, qui loquor tecum. Deus non poteſt negare ſeipſum, teſte Paulo; & idem nomen
Exod. 3. indicat huic mulieri, quod antea Moyſi, qui dum quæreret eius nomen, reſpondit Dominus, *Ego ſum, qui ſum.* Ita nunc ait, *Ego ſum, qui loquor tecum.* Ac ſi diceret: Qui eſt, dignatur loqui ei, quæ non eſt. Nota quòd ſicut nomen

Dei

Dei eſt, *eſſe*: ita e contrario, creaturarum nomen eſt, *non eſſe*; vt ſi rogetur homo, lapis, Angelus; Quis, aut quid es? Quî vocaris? reſpondere poſſit, ac debeat: Meum nomen eſt, *non eſſe*: Deus vocatur, *Ego ſum*: ego autem vocor, *non ſum*. Primò, quia omnis res creata, priuſquàm crearetur, habuit æternum *non eſſe*.

Secundò, ſi corruptibilis eſt, habebit rurſum æternum non eſſe, ſin incorruptibilis eſt, vti eſt Angelus, poteſt ſemper habere non eſſe; quia ipſius eſſe eſt in poteſtate Dei, liberè ipſum conſeruantis, & potentis omni momento ipſum annihilare. Tertiò, quia dum eſt, variabilis & mutabilis eſt, ac proinde admixtum habet non eſſe: in omni enim mutatione ratio quædam ipſius non eſſe includitur. Quartò, quia quælibet res creata, ait Plato in Theæteto, plus habet non entis, quàm entis: verbi gratia, homo tantùm habet eſſe hominis, ſed habet non eſſe cœli, terræ, lapidis, Angeli, aliarúmque rerum omnium. Itaque homo habet tantùm vnum eſſe, & innumera non eſſe. Sciebat Ioannes ſuum nomen, nam quærentibus, an ipſe eſſet Chriſtus, aut Elias, aut Propheta, reſpondebat, *non ſum*. Iactant ſe homines, & volunt haberi quod non ſunt, dicúntque: Ego ſum diues, ego ſum nobilis, ego ſum ſapiens: ſed reuera vnicuique dici poteſt, tu nihil horum es: imò *tu non es*.

Chriſtus igitur Deus cùm ſit, optimè ait huic mulieri, *Ego ſum, qui loquor tecum*. Et quia illud quod eſt, loquebatur ei quod non eſt; ideo non mirum, ſi *venientes diſcipuli eius mirabantur, quia*

cum muliere loquebatur. Ecce cauſa admirationis illorum; eſt enim admiratione dignum, quòd creator creaturæ, quòd ens non enti, quòd inquam ille *qui eſt*, dignetur loqui ei quæ *non eſt.* Et non tantùm hæc mulier, quatenus creatura, poterat dicere, *non ſum*, ſed maximè quatenus peccatrix & fornicatrix. Quamquam iſtius ablegationis diſcipulorum aliam aſſignet rationem

Homil. de Samarit. D. Chryſoſtomus, dum ſic quærit. Quare diſcipulos ſuos ablegauerat Dominus? Mulier illa paupercula erat, neque potuiſſet multorum ſatellitum numerum contueri: quòd ſi Magiſtri dignitatem vidiſſet, ac diſcipulorum cœtum, accedere auſa non eſſet; piſcis è retibus euaſiſſet, propterea diſcipulos ablegauit.

Ego ſum, qui loquor tecum. Ne Dominus hanc peccatricem terreat, voluit ſupra fontem fatigatus ſedere, ei tanquam ignotus, ſed poſtea agnoſcendus blandè loquebatur; ac tandem ſeipſum in humili forma manifeſtauit. Vide quò deſcendat diuina maieſtas, vt ad illam accedat humana fragilitas: vide inquam quò deſcendat Deus, vt exaltetur homo. Loquens

Lib 8. Ant. c. 3. Ioſephus de ſenioribus Iſraël, quando Roboano conſilium dederunt, ſic ſcribit. Suaſerunt, vt comiter populum alloqueretur, & poſito aliquantiſper faſtu regio, ad captandam multitudinis gratiam ſe accommodaret: natura enim ita comparatum eſt, vt ſubiecti delectentur Regibus manſuetis, & de ſuo faſtigio nonnihil ſe demittentibus. Proh Deus immortalis, quò te demittis? quàm deponis faſtum regium, vt peccatores manſuetudine allicias, vt allectos capias?

pias? Semper hac erga nos vtere manſuetudine, vt tandem æterna fruamur beatitudine. Amen.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan. 6. 1.

O dementiæ olim aliqui deuenerant, vt verba diffidentiæ effutire non vererentur. Quam quidem diffidentiam perſtringens Pſalmiſta, ait; *Malè loquuti ſunt de Deo.* Pſalm. 77. *Dixerunt: nunquid poterit parare Deus menſam in deſerto?* Imò poteſt, potuit, & fecit: non enim in deſerto defuerunt populo alimenta; non defuit panis, non defuerunt carnes. Audi dicentem: *Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini* Exod. 16. *panibus, ſcietiſque quòd ego ſum Dominus Deus veſter.* Aquæ etiam non defuerunt: nam *percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Dico itaque: Dominus pauit hunc populum murmurantem, & de ſe malè loquentem; & non paſcet hanc turbam, ipſum ſequentem, & eius verba audientem? Imò paſcet; vnde ait ad Philippum.

Vnde ememus panes, &c. Mirum cur Iudam Dominus non interrogauerit, qui habebat loculos; ad eum enim hæc interrogatio pertinere
Lib. de panibus.cap.1. videbatur. Hoc miratur Abbas Cellenſis, dum Chriſtum ſic alloquitur. Domine Ieſu non quæras à Philippo, quære à proditore tuo, hic habet marſupium, &c. Iudas magis delectabatur venditionibus, quàm emptionibus, quia maximè erat pecuniæ cupidus: nam emptione pecuniæ impenduntur; venditione acquiruntur. Nihil Iudam emiſſe, ſed potiùs vendidiſſe, & de venditione locutum fuiſſe legimus: vnde conquerebatur, quòd Magdalenæ vnguentum
Ioan.12. non vendebatur, *Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs?* Adeò eum delectabat venditio, vt ipſum Dominum vendiderit. Quòd autem de emendo non curauerit, patet; nam in vltima cœna Domino ad eum loquente, ac, vt quidam exiſtimabant, ei dicente, *Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*, &c. ipſe quidem exiuit conti-
Ioan. 13. nuò, vt refert Ioannes, non ad emendum, ſed ad Magiſtrum vendendum, & Phariſæis dicendum, *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?*

Cæteros verò diſcipulos, ac pias animas potiùs emiſſe, quàm vendidiſſe legimus. De diſcipulis Domino ſedente ſupra fontem, ſic Ioan-
Ioan.4. nes: *Diſcipuli autem abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent.* Ioſeph ab Arimathia volens Dominum
Marc.15. ſepelire, *mercatus ſindonem, deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento.* De qui-
Marc.16. buſdam piis mulieribus narratur, quòd *emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Iſti & iſtæ emebant ad animæ vtilitatem & ſalutem; Iudas

verò

verò vendebat ad ſui perditionem. Vnde Diuus Chryſoſtomus, dum Magdalenam vnguentum ementem, & ad Dominum venientem, necnon & Iudam ad Magiſtrum vendendum abeuntem conſiderat, ſic ſcribit. Quando proſtituta lupanar exiuit, tunc diſcipulus gehēnam intrauit: quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, tunc iſte pretium Magiſtri ſanguinis poſtulabat. Non mirum igitur ſi Iudam Dominus non interrogauerit; cùm illum nouerit pronum ad vendendum, non ad emendum.

Cur autem potiùs Philippum, quàm aliquem alium interrogauerit, indicat Theophylactus, dicens. Non alium interrogat Chriſtus, quàm Philippum, ipſe enim maiore indigebat eruditione. Quòd eruditione indigeret, patet, quia, vt obſeruat D. Cyrillus, multo tempore Chriſtum ſecutus fuerat, & varia diuinitatis eius ſigna aſpexerat, verbis etiam ab eo edoctus fuerat: veruntamen quaſi nihil adhuc didicerit, in vltimo ferè diſpenſationis tempore dixit ad Ieſum, *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Vt igitur ad ſublimiora agnoſcenda mens eius erigeretur, illum Dominus interrogare voluit. Et audita eius reſponſione, iuſſit Dominus diſcipulis, vt hanc turbam diſcumbere facerent. In hunc locum. Ioan. 14.

Facite homines diſcumbere. Diuus Lucas ait, quòd Chriſtus fecerit illos diſcumbere *per conuiuia quinquagenos.* Ita diſcumbebant, & tali ſitu ordinabantur, vt vnus quod alteri dabatur non videret, ne inuideret. Diſcipuli enim diſtribuebant iſtos panes, prout vnicuique expedire Luc. 9.

& conuenire iudicabant; huic parum, alteri multum diuidebant, iuxta vniuſcuiuſque neceſſitatem: nam magis fameſcentibus, vel voracibus plura, aut maiora dabant fragmenta, minùs verò minora, aut pauciora, & tam huic ſuum parum ſufficiebat, quàm alteri ſuum multum. Si is qui parum accipiebat, alium plus accipientem vidiſſet, fortè inuidiſſet, ideo ita debebant diſcumbere, vt quæ dabantur non poſſent cernere.

Vtinam nos tam diligenter quæ alij poſſident, non attenderemus; quia tam ſæpe non
Eccl. 33. inuideremus. In hoc mundo Dominus *cuique diuidit ſua dona prout vult*, huic multum, alteri verò parum, vnicuique tamen tantum confert quantum ei expedire cognoſcit. Nullus igitur eſt, cui quod habet ſufficere non debeat, quamuis quod optat non poſſideat. Nouit Deus quid vnicuique coueniat, illud autem concedit quod conuenit; eſto igitur conceſſo contentus. Solet pater filio qui paruæ eſt ſtaturæ, paruum conferre pallium, aut parua veſtimenta; ampliora verò ei qui proceræ eſt ſtaturæ, nec propterea minor inuidet maiori, cùm vterque quod ſibi ſufficiat, habeat: ſic nullus eſt qui debeat inuidere plura, aut maiora dona fortunæ poſſidentibus; pluribus enim indigent qui plura poſſident. Qui voraciſſimi ſunt, *ces gros mangeurs*, multo cibo indigent; illis verò qui non ſunt tantæ edacitatis, parum ſufficit. Indigentibus autem non eſt inuidendum. Vidiſti canem, in-
Epiſt. 72. quit Seneca, miſſa à domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captantem? quicquid excepit, protinus

protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus natura proiecit, id ſine voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc ſapienti non euenit:plenus eſt,&c. Non ſaperes, ſi cani voranti inuideres.

Tali igitur ordine diſcumbunt iſti conuiuæ, vt nullus quod alteri diſtribuitur, videat, & ſi videat, non inuideat. Ita etiam te geras in hoc ſæculo, vt tua ſis ſorte contentus, nec plus appetas,quàm tibi conueniat: ſcito autem hoc ſolùm tibi conuenire, quod Deus tibi voluit concedere. Interrogatus Epictetus, quis ditior & fœlicior haberetur in hac vita. Cui, inquit, ſatis eſt, quod habet. Et idem Seneca illum exiſtimabat beatum, qui neminem videt, cum quo ſe commutatum vellet. Iucundior ſemper nobis apparet aliena conditio, iuxta illud: Epiſt.45.

Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.

Præterea,hoc ordine & ſitu diſcumdebant iſti, ne fortè quis in alterius portionem manum mitteret. Obſeruant aliqui, Chriſtum de Iuda ipſum traditur o loquentem, hoc ſignum proditionis dediſſe; *Qui intingit manum mecum in paropſide, hic me tradet.* Ex quibus verbis colligunt nonnulli, in vltima cæna Chriſtum, & vnumquemque Apoſtolorum ſuum ferculum in paropſide, ſiue catino habuiſſe, Iudam autem ſuo non contentum impudenter manum miſiſſe, eámque in Chriſti paropſide intinxiſſe; quo facto auarus agnoſcebatur,qui proprio parcens, alienum quærebat, & ex auaro factus eſt pro- Matth.26.

ditor, ex proditore diabolus. Caue ne manus tuæ aliena ſubſtantia intingantur. Caue, inquam, ne illas in proximi crumenam mittas. Eſto tuo catino, vel tuo ferculo, & portione contentus; vt autem ſis contentus, noli eſſe ad alienas opes attentus. Hæc turba contenta fuit pane hordeaceo & his piſcibus.

Poterat tamẽ Dominus hos panes hordeaceos mutare in panes triticeos, ſed noluit; ſufficienter quidem, non lautè, & ſplendidè hanc pauit turbam. Dices: Cur Chriſtus huic populo vnicum ferculum piſcis, & panem hordeaceum præbuit? Cur non potiùs multa fercula, aut ſaltem panem triticeum? Cur, inquam, non fecit conuiuium, prout eius diuinam & magnificam maieſtatem decebat? Omiſſis cæteris rationibus quæ afferri poſſunt, hæc vna ſufficiat, quam vt intelligas, obſeruandum eſt, Ieſum Chriſtum hoc edidiſſe miraculum ſtatim poſt mortem Ioannis
In Matth. 14. Baptiſtæ ab Herode occiſi. Hoc notat D. Paſchaſius. Ad ſolita reuerſus ſeceſſit præſidia, cùm necem Baptiſtæ nuntiarunt. Seceſſit igitur in deſertum, ad quodammodo lugendam eius mortem. Non decuit ergo tempore luctus, & tribulationis delicatiſſima offerre cibaria, & ſplendidum præbere conuiuium. Magis tunc fuit conueniens ſimplicibus, & rudibus vti cibis. Hoc olim à quibuſdam viris piis tempore afflictionis factitatum fuiſſe legimus. Ingruente bello, & graſſantibus ac prementibus inimicis Dei populum, vide quò tendat Iudas Machabæus, & quo cibo ibi victitet ad diuinam iram
2. Mach. 5. placandam. *Iudas autem Machabæus ſeceſſerat in*

deſertum

deſertum locum , ibique inter feras vitam cum ſuis agebat ; & fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes eſſent coinquinationis. O generoſiſſimum ducem, non tam rebus in bello fortiter geſtis , quàm vitæ aſperitatibus libenter in deſerto perpeſſis! A prophanis gentibus coinquinabatur templum , premebatur populus : ne igitur *particeps eſſet coinquinationis* , nolebat fieri particeps delicatæ refectionis.

Quærit Tertullianus , cur Elias aliquando delicatè nutritus afferente ei coruo panes & carnes ; tandem perſequente eum Iezabel contentus eſt pane & aqua , nullæ ſunt ei datæ carnes ? *Reſpexit , & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis , & vas aquæ. Comedit ergo & abijt.* Cur non ſunt oblatæ carnes ad illum corroborandum, vt expeditiùs & meliùs perſequentes fugere valeret ? Reſpondet ille Doctor. Conſtitui oportebat exemplum , docens in tempore preſſuræ & perſecutionis Xerophagiis eſſe vtendum : id eſt , cibis quibus vti ſolebant pœnitentes , ſcilicet leguminibus , herbis ſylueſtribus , & aliis ſimilibus , quibus qui veſcebantur , vti Xerophagiis dicebantur. Quando nemo Eliam perſequebatur , carnibus veſcebatur. At dum vrget perſecutio , ceſſet delicata refectio ; nec debet quis delicatam ducere vitam, quando alij ducunt miſeram.

Lib. contra Phyſicos, cap. 9.

Obſeruat Toſtatus, animalia ipſa quæ carnibus veſci conſueuerant , vt pote Leones , Tigrides , Lupos , & ſimilia , tempore diluuij, dum Arca includerentur à carnibus abſtinuiſſe, & herbas tantùm comediſſe. hæc ſunt eius verba.

Quæ

Quæſt 34. in Geneſ. cap. 10. Quædam animalia ſunt quæ ſolas herbas comedunt, vt pecudes, quædam quæ ſolas carnes, vt Leones & animalia ferocia: licèt iſta aliquando propter magnam famem herbas comederint, ſicut creditur factum fuiſſe in Arca à Noë tempore diluuij. Debuerunt beſtiæ carniuoræ, tempore tantæ punitionis & afflictionis abſtinere à carnibus. Cur non homines ab obſoniis delicatis tempore tribulationis? vtantur Xenophagiis, ne inuoluantur naufragiis. Occiderat Herodes Ioannem inter epulandum, & dum delicatiſſimis veſceretur dapibus; faciebat enim conuiuium omnibus Principibus regni ſui. Non mirum igitur, ſi Chriſtus volens ſtatim poſt illam necem hos homines ſatiare, Xenophagiis, pane ſcilicet hordeaceo, & duobus piſcibus eos cibauerit; quo doceret nos non eſſe tempore tribulationis oppiparè viuendum.

Præterea, neceſſaria voluit Dominus præbere turbæ, non ſuperflua: panes & piſces, non gallinas, vel perdices, aut alia gulæ irritamenta. O Rex potentiſſime, idémque liberaliſſime, nónne omnium volucrũ, delicatorúmque animalium carnibus; nónne dulcibus bellariis conuiuium hoc exornare vales? Cur panes, eóſque hordeaceos; cur piſces, non carnes apponis? Cur vinum pretioſum ſectatoribus tuis non propinas? Facere Dominus poterat, cur non vult? Vt neceſſitati doceat eſſe ſubueniendum, non cupiditati. Qui enim neceſſitati ſeruit, facili dominæ ſeruit. Qui verò ſeruit cupiditati, difficili ſeruit Tyranno. Neceſſitati facilè vel pane ſolo & aqua fit ſatis; cupiditati

piditati & vanitati mare tellúſque non ſufficit. Vnde Seneca. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant non habent. Epiſt.16.

Qui ad luxum & cupiditatem viuere cupit, nullis eſt contentus: qui poſtquam vnum adeptus eſt, aliud inſequitur, quo adepto, alterius tenetur deſiderio; atque ita numquam eſt contentus eo quod poſſidet, quia non habet illud quod deſiderat. Receptiſſima ſemper hæc fuit inter ſapientes ſententia, *Natura paucis eſt contenta.* Quid autem poſtulet natura, oſtendit idem Seneca. Panem & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt. Vnde & Poëta:

—Panem quæramus aratro, Iuuen. Satyr.14.
Qui ſatis eſt menſis.———

Idipſum clamat Lucanus:

Diſcite, quàm paruo liceat producere vitam, Lib.4. de bel.ciuil.
Et quantum natura petat.----

Accepit Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet. Notant alij tres Euangeliſtæ, Dominum *acceptis quinque panibus, in cœlum reſpexiſſe, & eos benedixiſſe.* Hoc facto docet Dominus, paſcendos cibúmque ſumpturos debere in primis cœlum reſpicere, Deúmque orare, vt dignetur quæ ſumpturi ſunt, benedicere, vt huiuſmodi benedictione dæmon, qui ſolet conuiuantes ad peccatum inducere, expellatur. Sunt enim quædam dæmonia, quæ meridiana vocantur, quia in conuiuiis, & prandiis, quæ vt plurimum fiunt hora meridiana, homines tentant; vnde Dauid optabat liberari *ab incurſu & dæmonio meridiano.* In quæ verba Matth.13. Marc.6. Luc.9. Pſal.90.

ſic

ſic Gloſſa. Id eſt, inquit, à ſpiritibus de gaſtrimargia tentantibus, quæ fit in prandiis magnis, vbi concurrunt multa fercula &c. vina, & fiebant communiter hora meridiana.

Notat Origenes domum, in qua filij Iobi conuiuabantur corruiſſe, eóſque oppreſſiſſe, impellente eam vno dæmonio meridiano, quod cùm non poſſet illos ad peccatum inducere, ſaltem fecit ſuper eos domum corruere. De iſtis dæmoniis loquitur D. Theodoretus dum ait. *Poſt cibum, atque ſatietatem veluti ad paratam prædam concurrunt. Dum ſatiaris, ab hoc dæmonio tentaris.* Poſtquam Adam peccauit, *deambulauit Dominus ad auram poſt meridiem*: vel, vt vertit Rabbi Salomon, *contra ſpiritum meridianum.* Fuit enim quoddam ex illis dæmoniis meridianis quod Adamum ad peccatum induxit. Meritò igitur dicitur quòd Dominus deambulauit contra huiuſmodi ſpiritum meridianum. Itaque ſolent dæmonia meridiana tentare homines dum ſumunt cibum meridianum.

In Pſal. 90.

Gen. 3.

Verùm, non tantùm in meridie, ſed & mane & veſperi, dum prandetur, dum cænatur, tentare non deſinunt. Obſeruat D. Hieronymus, dæmonem non potuiſſe perſuadere Iudæ, vt traderet Chriſtum, niſi inter cænandum, vnde ait Euangeliſta; *Et cæna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas,* &c. Quando immiſit in cor eius huiuſmodi proditionem? dum cænaret cum Chriſto & reliquis diſcipulis. Hæc ſunt verba D. Hieronymi. Et hoc diligenter attendite, quia non inuenerit diabolus locum intr[illegible] in Iudam, cuius pectus iam antea percuſſerat,

Lib. 3. in Epiſt. ad Ephe. c. 6.

Ioan. 13.

cuſſerat, niſi in conuiuio Saluatoris, quia tunc vel maximè poteſtatem ei damus. Herodes ipſe, qui aliàs, teſte Scriptura, libenter audiebat Ioannem, in conuiuio libenter audiuit ſuam Herodiadem petentem vt daretur ſibi in diſco caput Ioannis. Non petiiſſet, niſi eam ad hoc crimen vnum ex dæmoniis impuliſſet; nec Herodes petitioni annueret, niſi pranderet. Sunt igitur dæmonia ad malum impellentia, non tantùm in prandiis, quæ fiunt circa meridiem; ſed & in cœnis, quæ fiunt veſperi. Ideo ſecundùm aliquos meritò & ſalubriter datur ſignum hòra meridiana & veſpertina, tam vt ſalutetur Beatiſſima Virgo Dei genitrix, quàm vt huiuſmodi dæmonia breui illa oratiuncula, & ſalutatione expellantur. Sumptis igitur iſtis panibus, eos benedixit Dominus, vt doceat nos, nunquam cibos ſumere abſque præuia benedictione & oratione.

Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Hinc multa licet nobis colligere. Primò, non vult Deus vt quæ nobis ſuperſunt deperdantur, ſed colligantur, vt ea pauperibus erogentur. Vtinam diues ille epulo micas, quæ ſuperauerant collegiſſet, & mendico tribuiſſet, nunc enim non cruciaretur.

Vult itaque Chriſtus, vt fragmenta colligantur, vt illis pauperibus ſubueniatur. O diuites colligite, metite, quod ſeminaſtis; congregate in horrea veſtra, quod collegiſtis: colite vineas, oliueta, vinum & oleum congregate; hoc vobis non interdicitur, imò præcipitur, ſed non vt iſtorum penuria pereat pauper, imò verò, vt ex

his

his ſubueniatis pauperi. Nam teſte D. Auguſt.

hom.14.ex hom.50. Qui paſcit vos, paſcit illos per vos. Vult Deus per vos paſcere pauperem, ideo dat vobis quo paſcatis. Illud ergo colligite, & ex eo pauperem paſcite; non habent pauperes quæ colligant. Nouit Deus cur te fecerit diuitem, alium verò

Idem. pauperem. Dominus, inquit idem Doctor, diuitem fecit, vnde pauperem adiuuaret: pauperem, vnde diuitem probaret.

Inde etiam colligimus, quanti Deus faciat ea quæ emanant è manibus ſuis, non vult enim perire quod multiplicauerat, *colligite fragmenta ne pereant*. Si voluit Dominus Apoſtolos curam habere fragmentorum, quantam vult nos habere curam animarum noſtrarum, ne pereant? Audi

Matth.18. quam noſtri curam gerat: *Non eſt voluntas apud Patrem veſtrum, vt pereat vnus ex iſtis puſillis.* Quantumuis paruulus ſis, tu es vnus ex ſuis fragmentis, & vult vt colligaris, & ſalueris. Sunt & no-

Matth.10. ſtri capilli colligendi: *Capillus de capite veſtro non peribit; ſed & capilli capitis veſtri numerati ſunt.*

Luc.12. Quomodo quæret vt ille pereat, cuius non vult capillum capitis perire? Sed caue, ne tu capillis capitis tui, aut muliercülæ pereas. Qui habet au-

In hom.50. hom.14. bet aures audiendi, audiat. Vnde D. Auguſtinus. Si ſic cuſtodiuntur ſuperflua tua, in quanta ſecuritate eſt anima tua? non peribit capillus, qui cùm tondetur non ſentis, & peribit anima per quam ſentis?

Præterea, *colligite fragmenta.* Quæ in hoc mundo dantur, vel colliguntur fragmenta ſunt, nihil nobis datur integrum, perfectum & ſuis numeris abſolutum. Ideo non collegerunt

panes

panes integros,ſed fragmenta. Non datur nobis panis integer in hoc mũdo,ſed diuiditur in fruſta & fragmenta. Nullus eſt, qui aliquo non indigeat. Cuidam diuiti, & quid ſibi deeſſet quærenti,dictum eſt à Chriſto, *Adhuc tibi vnum deeſt.* Marc.10.
Quis ergo erit, cui aliquid non deſit? Vnus habet, verbi gratia,quod manducet; ſed non quo manducet, id eſt, habet cibaria, ſed non appetitum. Alius habet quo, ſed non quod. Alter habet diuitias, ſed erit podagroſus, aut alio morbo detentus; & eſto ſit ſanus, aliquid tamem illi deerit, nempe poteſtas vtendi ſuis diuitiis, Hoc malum Sapiens dicit eſſe frequens. *Eſt*, inquit, *aliud malum, quod vidi ſub Sole, &* Eccl.6.
illud frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ex omnibus quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus,vt comedat ex eo.ſed homo extraneus vorabit illud.hoc vanitas & miſeria magna eſt. Magnum igitur deeſt illi fragmentum, ſi poteſtatem non habeat manducandi ipſum.Notum eſt illud Horatianum, Hor.

Quid mihi fortunæ, ſi non conceditur vti?

Qui habet diuitias, vel erit auarus, vel prodigus. Si auarus, inquit Seneca, non habet, ſi Senec.
prodigus, non habebit. Ergo vtrique aliquid deerit. Nam, teſte Hieronymo,auaro tam deeſt Epiſt.103. ad Paul.
quod habet,quàm quod non habet. Prodigo verò tam deerit quod poſſidet, quàm quod non poſſidet.

Caue interim peccator, ne propter iſta fragmenta perdas cœleſtia delectamenta: noli, inquam, propter partem dimittere totum. Partes

ſunt, fragmenta ſunt, fruſta ſunt, quæ tibi hic cóceduntur, totum tibi in cœlo reſeruatur. Hæc fragmenta poteris colligere, ſed non debes illud totũ negligere. Iſta fragmenta ſatiant ad tempus, ſed illud totum ſatiabit in æternum. In his fragmẽtis non eſt quicquid amas: at in illo toto, nempe in Deo omnia ſunt quæ deſideras; illa ergo colligas, iſtud diligas. Quid vagaris homuncio? inquit Auguſtinus, ama vnum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. Quid enim amas caro mea? quid deſideras? Ibi eſt quicquid amas, ibi eſt quicquid deſideras.

Ex Manual. Aug. tom. 9.

Colligite fragmenta, ne pereant. Cur Chriſtus colligere fragmenta iuſſit, cùm illud ſummam Dei liberalitatem dedecere videatur? Quid curat de fragmentis? Reſpondet D. Bernardus. Iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id eſt, nec minima Dei beneficia obliuiſci. Nunquid enim non perit, quod datur ingrato? *Diligenter conſidera,* ait Sapiens, *quæ apponuntur tibi*, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla. Docet nos Chriſtus eſſe ſuorum beneficiorum memores, ne ingrati habeamur. Nam ingratitudo eſt hoſtis gratiæ, inimica ſalutis; vias enim obſtruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia acceſſum non inuenit, locum non habet. Audi eumdem. Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio: eſt ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Iſta autem turba, ne eſſet ingrata, non tantùm Chriſtum vt Prophetam agnoſcebat, ſed

Serm 52. in Cant.

Serm. 51. in Cant.

ſed & tanquam ſuum Ragem habere volebat.

Ieſus ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus. Vide quid mereatur eleemoſyna. Si ob hanc ſolam refectionem iſte populus voluerit Chriſtum facere Regem, quid dabit nobis ipſe Chriſtus, ſi illũ in paupere reficiamus? Non mirum igitur, ſi dicturus ſit electis, *Venite, percipite paratum vobis regnum*, &c. *Eſuriui enim*, &c. Non vult Deus vinci ab homine. Iſti homines dediſſent, ſi habuiſſent, regnum Chriſto, eo quòd ipſis eſurientibus dederat manducare; quantò magis Chriſtus dabit homini, ipſum in paupere paſcenti, regnum? regnum inquam cœlorum. De eleemoſyna ſic Chryſoſt. Ars eſt eleemoſyna, & omnium artium quæſtuoſiſſima. Nulla eſt ars, quæ plus ſibi comparet quàm eleemoſyna. Quid maius regno cœlorum, quod eleemoſyna acquiritur? Hanc artem Chriſtus venit nos docturus: *Date eleemoſynam*; ſcit enim quanta præmia ſis conſecuturus. Eſt Chriſtus, inquit idem Doctor, ſuſcipere paratus, & depoſita tibi ſeruare, nec tantùm ſeruare, ſed etiam multiplicare, & multo fœnore reddere. Hom. 33 ad pop. Homil 2. ad pop.

Idem Chryſoſtomus artem dandi eleemoſynam valdè diuitibus commendat, & cùm nullam aliam artem calleāt, hanc vt diſcant hortatur. Diuites, inquit, non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec nauem extruere, nec aliud huiuſmodi artificium norunt: illam igitur artem diſcant, vt diuitiis rectè, & vt decet, vtantur. Non eſt enim certè ars illa contemnenda, qua diſcunt opulenti, conferendum indigentibus Hom. 50. in Matth.

eſſe; huius Magiſter Chriſtus eſt. Non eſt, inquam, illa ars contemnenda, qua regnum cœleſte comparatur. Vtinam diues epulo illam calluiſſet, quia aquæ guttula, nec torrente voluptatis caruiſſet. Iſte panis multiplicabatur, quando per manus diſcipulorum diſtribuebatur: hoc obſeruat Ambroſius. Viſibiliter panis iſte incredibili ratione, dum frangitur, dum diuiditur, dum editur, ſine vlla diſpendij comprehenſione cumulatur. Et D. Paſchaſius notat, quòd iſti quinque panes non multiplicabantur in plures numero, ſed, inquit, fragmentis fragmenta ſuccedebant. Sicut igitur iſti panes in fragmenta diuiſi multiplicabantur, ita opes pauperibus diſtributæ creſcunt, aſſeruatæ minuuntur.

Lib. 6. in Luc. cap. 11.

In Matth. 14.

Vult D. Cyprianus, vt diligenter penderemus quod de eleemoſyna dicitur à Spiritu Sácto per Salomonem: *Eleemoſynis & fide purgantur peccata.* Qui dat eleemoſynam, neceſſe eſt credat; alioquin non proderit ei. Sed quid credere debet? eleemoſynam non tam pauperi, quàm Chriſto dari. Nónne audis, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis?* Vnde Chryſolog. Manus pauperis, ait, eſt manus Chriſti. Qui enim ſimpliciter dat alicui egenti naturali tantùm compaſſione ductus, non meretur: vt autem mereri poſſit, neceſſe eſt, in paupere agnoſcat Chriſtum, propter quem pauperi dat. Non mirum igitur, ſi Scriptura coniungat eleemoſynam cum fide: *Eleemoſynis & fide purgantur peccata.* Credat etiam quòd bona diſtributa augentur & multiplicantur.

Lib de oper. & eleemoſ.

Prou. 27.

Serm. 14.

Cæterùm, omnes circunſtantiæ & conditiones

nes quas Chriſtus obſeruauit in hac refectione, fuerunt etiam obſeruatæ [illegible] Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutione, vt [illegible] conuiuium fuiſſe huius Sacramenti [illegible]. Nec obſtat quòd panis huius cóuiuij ſit hordeaceus, materia autem huius Sacramenti ſit panis triticeus. Debuit enim materia huius Sacramenti eſſe præſtantior quam materia conuiuij, non debet omnino conuenire figura cum veritate: tamen nonnulla & præclara inueniuntur parallela.

Primum, nemine poſtulante Chriſtus hoc fecit miraculum, & hanc turbam refecit, ideo non fuit interrogatus, nec quæſitus, ſed ipſemet primus interrogauit Philippum, *Vnde ememus panes?* Sic ſe habuit in inſtitutione Sacramenti; nam nemine hoc poſtulante, *accepit panem*, &c. Nullus poſtulabat illam refectionem, imò quaſi ei opponebatur, dum Chriſto dicebatur, *Sed quid hoc inter tantos?* Ita huius Sacramenti inſtitutioni quidam ſe opponebant, dum dicebant, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* & alij, *Durus eſt hic ſermo*, &c. Dedit corpus ſuum non rogatus, imò dedit dum tradebatur. Dicat ergo per Prophetam Ezechielem, *Non propter vos faciam, domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum.* Ezech. 36.

Secundum, quando Chriſtus ſatiauit hanc plebem, *erat proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.* Ita quando Chriſtus hoc inſtituit Sacramentum, imminebat idem feſtum, illud enim inſtituit *pridie quàm pateretur*: paſſus eſt autem *ante diem feſtum Paſchæ.* Et quia circa illud tempus

Lib. contra Iudæos. paſſus eſt, ideo obſeruat Tertullianus, idem eſſe Paſcha, & paſſionem, ait enim Paſcha non eſſe Hebræum, ſed Græcum nomen, & ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id eſt, à patiendo, deduci. Et vbi in Exodo iuxta Septuaginta dicitur, *eſt enim Paſcha* Exod. 12. *Domini*, putat propheticè eſſe dictum, quaſi dicat, *eſt enim paſſio Domini*: quia ſcilicet Chriſtus Lib. 4. c. 23. eodem die, aut ſaltem circa hunc diem erat paſ- Orat. 2. de Paſch. ſurus. Idem indicant Irenæus & Nazianzenus.

Tertium, in hoc miraculo eodem ferè ritu, & modo vſus eſt, quo in vltima cæna inſtituendo hoc Sacramentum, ſcilicet, *Accepit panem, & eleuatis oculis in cœlum, gratias agens benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis ſuis.* Numquam autem legimus Chriſtum ſumpſiſſe panem ſolemniter, aut ſolemni ritu, quin aliquod miraculum fuerit operatus. Cùm autem conſtet in illa vltima cæna, aut poſt peractam cænam ipſum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, dediſſe diſcipulis, & iuſſiſſe accipere & manducare, affirmando, hoc eſſe corpus ſuum; peto ab hæreticis, quale tunc Chriſtus operatus eſt miraculum, ſi tunc panem in corpus non conuerterit?

Accepiſſe panes dicit Euangeliſta, *accepit ergo Ieſus panes.* Similiter dum hoc ſalutiferum Sacramentum inſtituit, *accepit panem.* Hos panes hordeaceos accepit à quodam puero, qui illos habebat; dicit enim Andreas, *Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos.* In huius autem Sacramenti inſtitutione, cùm dicatur quòd *accepit panem*, aliqui quærunt à quo acceperit. Hanc quæ- In Mat. in illa verba, *accepit panẽ.* ſtionem proponit, illámque ſoluit D. Paſchaſius. Veruntamen à multis quæritur, à quo Ieſus ac-

cepit

cepit panem & hunc calicem, quia dicitur accepiſſe? Reſpódeo, à Deo Patre, à quo habet omnia quæ antè accepit. Quòd à Patre Chriſtus acceperit, colligitur ex illis verbis; *Nam Moyſes dedit vobis panem, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Ioan. 6. Cur autem à Patre acceperit, dicant qui diuina myſteria ſcrutantur. Ego verò crediderim, quòd ideo dicitur accepiſſe à Patre, vt oſtendatur donum eſſe diuinum, quod à nobis in hoc Sacramento ſumitur. Si ſciremus ergo donum Dei, & quis eſt qui nobis dicit: *Accipite, & manducate*, accipite à me, quod ego accepi à Patre.

Quartum, huius panis diſtributores ſiue miniſtri fuerunt diſcipuli, nam *dedit diſcipulis, & diſcipuli turbis*: Match 14. in quorum etiam manibus, virtute diuina, multiplicabatur ille panis, & turbis miniſtrabatur; vnde ait Ambroſius. Panis iſte dum frangitur, dum diuiditur, cumulatur. Et D. Paſchaſius, fragmentis fragmenta ſuccedunt. Et de hoc pane ſic multiplicato comederunt etiam ipſi diſcipuli, illo enim ſicut & turbæ indigebant tanquam famelici. Ita huius Sanctiſſimi Sacramenti, diſcipuli & eorum ſucceſſores ſunt tantùm legitimi miniſtri, in quorum manibus, virtute diuina, conuertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Vnde canit Eccleſia: *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant & dent cæteris.* Et quamuis in illo conuiuio adeſſet vnus Iudas, parem tamen habuit cum cæteris pôteſtatem; in eius enim manibus, ſicut aliorum diſcipulorum multiplicabatur panis. Inde colligit Theophylactus, illum miracula edi-

diſſe; vt hinc diſcamus, malum etiam Sacerdotem eadem conficere in hoc Sacramento, quæ cæteri boni preſbyteri, ſi eamdem habet intentionem.

Quintum, noluit Chriſtus hos dare panes ſine præuia aliqua diſpoſitione: iuſſit enim vt diſcumberent, *facite omnes diſcumbere.* Quaſi diceret, poſſem ego illis dare hos panes ipſis ſtantibus, vel ſine vllo ordine diſpoſitis, ſed volo diſcumbant, ſi hunc panem manducare deſiderant. Ita etiam nullus debet manducare hunc Euchariſticum panem ſine præuia diſpoſitione, ac integra peccatorum ſuorum confeſſione. Ad hoc
1. Cor. 11. nos hortatur Apoſtolus, *Probet autem ſeipſum homo.* Si ad manducandum panem hordeaceum, erat diſcumbendum; ad corpus Chriſti ſumendum, *probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. Sicut ſic diſcumbens manducabat homo illum panem: ita niſi ſic probatus non manducet iſtum.

Sextum, licèt pauci eſſent panes, tamen omnes manducauerunt, & adhuc multa fragmenta ſuperfuerunt, ex quibus duodecim cophinos impleuerunt; iuſſi enim ſunt *colligere fragmenta, ne pereant.* Non debuit vllum perire fragmentum, quod tantum repræſentabat Sacramentum, ex quo quidem Sacramento *ſumit vnus, ſumunt mille, quantum iſti tantum illi, nec ſumptus conſumitur.*
Orat. in Paraſceue. Fallor, niſi huc ſpectauerit D. Chryſoſtomus, dum ſic ſcribit. Paſti ſunt quinque millia, vbi igitur ſunt cibi reliquiæ? duodecim ſuperfuerunt fragmentorum cophini, quibus reſpondet par gratia. Crucifixus eſt Dominus, & ſemper

paſcimur,

paſcimur, ac ſaturi, rurſus quærimus, & plus reliquum eſt. Quaſi dicat, Chriſtus, qui crucifixus eſt quotidie ſumitur, & tamen non conſumitur; & ſi dignè ſumamus, ad gratiam perueniemus conſummatam. Amen.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM quartam.

Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas; & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Ioan. 2.

QVAMVIS Deus vbique ſit, veruntamen duobus in locis ſpecialiter dicitur adeſſe, in cœlo ſcilicet, & in templo. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius.* Pſal. 10.
In templo, conferendo gratiam: in cœlo gloriam. Vnde illud: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Gratiam in templo, gloriam in cœlo. Quid Pſal. 83.

maius, quid nobilius gratia & gloria? Quàm nobiliſſima igitur ſunt illa loca, in quibus tam ſacra & nobilia conferuntur? Ab illis ego eiiciuntur, qui illicita in ea introducere nitũtur. Eiecti ſunt è cœlo Lucifer, & eius ſequaces, quia in eo ſuperbiebant & inuidebant. Eiiciuntur hodie de templo illi qui in eo vendebant & emebant, & quæ vendebantur & emebantur. Itaque Dominus aliquid in cœlo, & in templo reperit quod
Iob. 4. eiecit. Quid reperit in cœlo? Audi Iobum. *Reperit in Angelis prauitatem.* Quid in templo? Audi Euangeliſtam. *Inuenit in templo ementes & vendentes.* Illud (*Reperit*) Iob dixit mirabundus, & hoc (*Inuenit*) etiam nunc mirabundus dicit Euangeliſta. Quaſi diceret Iob: Quis vnquam dixiſſet inter Angelos, qui cœlos inhabitant, repertam fuiſſe prauitatem? Quis vnquam tentauit Luciferum? Quis eum ad hoc induxit? Fieríne potuit, vt in cœlo aliquis Angelus Deum offenderet, in quo omnes Angeli Deum laudare, & benedicere conſueuerunt? Attamen reperit Deus prauitatem, illamque eiecit. Similiter Euangeliſta quaſi mirabundus ait; *Inuenit in templo vendentes,* &c. ac ſi diceret: cùm ſit templum domus orationis, quomodo factus eſt locus emptionis & venditionis? Fieríne potuit, vt in quo preces funduntur, æs effundatur? & in quo oues & boues ſacrificantur, in eo emantur & vendantur? *Omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.*

Geneſ. 28. Legimus apud Geneſim, Iacob in ſomnis vidiſſe ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum. Tria vidit dormiendo, &

tria

tria dixit vigilando. Primò,*in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terram*, &c. Secundò,vidit *Angelos aſcendentes & deſcendentes*. Tertiò,vidit *Dominum innixum ſcalæ*, &c. Cùm autem euigilaſſet, tria dixit. Primò, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*. Secundò, *Quàm terribilis eſt locus iſte!* Tertiò, *Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli*. Omiſſis itaque quæ dormiendo vidit,examinemus quæ euigilando dixit.

Et primò ait,*Verè Dominus eſt in loco iſto*. Sicut Deus vbique eſt ſecundùm potentiam, ſcientiam & eſſentiam ſuam,ita vbique à nobis ſpiritu & veritate adorandus & orandus : nec vllus ad id non idoneus,& opportunus locus eſt. Etenim in medio mari Moyſes Deum exorauit : Iob in ſterquilinio:Ezechias Rex in lectulo:Ionas in ceto:Daniel in lacu leonum : tres pueri in fornace ignis : latro in cruce : Petrus & Paulus in carcere.Idcirco D.Paulus, *Volo*, inquit, *vos orare in omni loco*:& Dauid,*In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino*.Nihilominus tamen in certis quibuſdam locis,potiùs quàm in aliis, dicitur eſſe,aut fuiſſe Deus, non quidem noua ſcientiæ, aut potentiæ ſuæ præſentia : ſed noua quadam declaratione ſingularis gratiæ & virtutis ſuæ. Vnde Moyſen & Ioſue Deus iuſſit deponere calceamenta ſua propter ſanctitatem terræ,in qua Deus illis mirabiliter apparuerat:vtrique enim dictum eſt à Deo; *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis:locus enim in quo ſtas ſanctus eſt.*

Ioan.4. Exod.15. Iob.1. Iſai.38. Ioh.2. Dan.3. 1.Tim.2. Pſal.102. Exod.3. Ioſue 5.

Hanc etiam ob cauſam certa quædam, & ab humanis negotiis ſeparata loca dicari voluit

Deus publico ſui nominis cultui : ad quæ nimirum fideles conuenirent ad orandum Deum, ad verbum Dei audiendum, ad percipienda ſacra myſteria,ad diuinæ benignitatis exoptanda, petendáque & accipienda beneficia. Vnde Diuus
Epiſt.137. Auguſt. Vbique,inquit,quidem Deus eſt,nec vllo continetur,aut clauditur loco,qui condidit omnia:oportétque eum à veris adoratoribus ſpiritu & veritate adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Veruntamen, quis poteſt eius cóſilium perſcrutari,quare in quibuſdam locis miracula fiant, in aliis non fiant?Et affert ibi locum vbi fœlicis Nolani corpus conditum erat, & quædam alia loca, in quibus Deus multa edebat miracula. Duo eius rei
Exod.13. illuſtria & memorabilia exépla in veteri Teſtamento reperire eſt : vnum de columna nubis & ignis, & de propitiatorio vbi Deus mirabiliter præſentiam ſuam declarabat,crebra edendó miracula, & ad conſulta reſpondendo : alterum de piſcina illa Hieroſolymitana, in cuius aquas ab
Ioan.5. Angelo commotas & agitatas,qui primus ægrotorum deſcendiſſet, à quouis mobo curabatur. Similiter igitur Iacob ex admirabili viſione, quæ in eo loco ſibi oblata fuerat, & ex diuina præſentia ibi demonſtrata, intellexit eum locum ſingulari quadam religione, ac ſanctitate factum eſſe venerabilem. Quid ergo Nouantes obſtrepunt Beatæ Virgini Lauretanæ, & aliis ſacris locis, in quibus vult Deus coli & inuocari, & quæ dignatur etiam illuſtrare miraculis?

Secundò, *Quam terribilis eſt locus iſte?* Non mirum

rum ſi terribilis ſit, cùm ibi ſpecialiter adſit Dominus, cui dictum eſt; *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* Terribilis etiam vocatur locus ille propter multitudinem Angelorum per ſcalam deſcendentium & aſcendentium. Quaſi dicat Iacob: quàm terribilis, id eſt, quàm religioſus, quanta reuerentia, tremore & humilitate colendus eſt locus iſte ob Dei & Angelorum præſentiam! Secundùm Caietanum, viſio iſta ad literam fuit figura & quaſi prophetia templi Dei, in eo loco poſtea ædificandi. Quòd fuerit figura templi, omnes concedunt: quòd autem in iſto loco fuerit templum ædificatum, multi negant; ſed quod negatur, ſinamus: quod conceditur, ſumamus, dicamúſque hunc locum non tantùm præſignaſſe templum Hieroſolymitanum, ſed & omnes noſtras Eccleſias, quarum illud templum etiam figura fuit, in quibus adſunt Angeli, quia ibi eſt Rex Angelorum. Pſalm.75.

Per Zachariam hæc promiſerat Dominus: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi.* In Hebræo habetur, *Caſtra ponam domui meæ.* Quem locum explanans Diuus Hieronymus docet, per huiuſmodi caſtra, & per eos qui militant, intelligendos eſſe Angelos, qui noſtras Eccleſias inhabitant. De præſentia Angelorum in noſtris Eccleſiis audi Ambroſium. Non dubites aſſiſtere Angelorum choros quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur. Circumdantur Angelorum choris altaria, dum ſacra peraguntur myſteria. Vnde Gregorius. Quis, inquit, fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora Zach.9. In cap.1. Luc. Lib.4.Dial. cap.58.

ad

ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri ; in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe: &c. De ſacra menſa vbi ſacrum Domini corpus offertur , ſic Chryſoſtomus admirans ait. Ad hanc aſſiſtunt Cherubini , deſcendunt Seraphini, qui ſenis alis præditi vultus demittunt : vbi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationẽ obeunt.

Homil. de ſacr. menſ.

Narrat Sanctus Nilus huius Sancti diſcipulus, cum ſæpe in Eccleſiis Angelos vidiſſe , ſic enim de illo ſcribit. Ioannes Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ , & totius orbis ſplendor , omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu , & tunc in primis , cùm diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur. Sciebat Paulus illic adeſſe Angelos , dum iubebat mulierem in Eccleſia orantem habere caput velatum , *propter Angelos*. Quia mulieres Angelos teſtes habent honeſti pudoris , aut impudentiæ : Angeli enim Eccleſias oberrant , & ſingulorum geſtus , habitum & vota explorant. Terribilis eſt igitur locus ille , vbi tot ſunt Angeli , quorum vnus ſolus octoginta quinque millia virorum vna nocte proſtrauit. Timeamus hanc terribilem aciem Angelorum ; timeamus & in primis Dominum Angelorum , qui hunc locum ſibi in domum elegit. Vnde,

Epiſt. ad Anaſtaſium.

1. Cor. 11.

4. Reg. 19.

Tertiò adiunxit Iacob , *Non eſt hîc aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Hæc verba ſunt veluti diffinitio futuri templi & noſtrarum Eccleſiarum , quæ omnes dicuntur *domus Dei*. Magnum Deus nobis exhibet honorem , dum dignatur nobiſcum habere habitationem. Nullibi olim habi

habitabat Deus, ſicut in templo Hieroſolymitano: vnde ait Propheta Dominum habere *ignem in Sion, & caminum in Ieruſalem:* quia ibi tanquam ciuis habitabat. Dicimus enim illum in tali ciuitate habitare, quia in ea ſuum habet ignem, ſuúmque caminum. At nunc non tantùm in Ieruſalem; ſed in omnibus ciuitatibus & oppidis in quibus ſunt Eccleſiæ, ſuum Dominus habet ignem, ſuámque domum, de qua illud verè dicere poſſumus; *Non eſt hîc aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Iſai.3.

Cùm ſit *domus Dei*, ea tantùm quæ Dei ſunt agere debemus. Offendere hominem, malum eſt, ſed in domo eius, peſſimum: ita offendere Deum quocunque in loco nefas; at in Eccleſia, in domo eius, nefandiſſimum eſt. De hoc conquerebatur. *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa?* Idem de nobis Dominus dicere poteſt: Quid eſt quòd Chriſtianus me in Eccleſia offendit? Quòd illum offenderint Iudæi, cùm eſſent Chriſti inimici, non miramur, ſed quòd offendatur à viro Chriſtiano, ſanè dignum eſt admiratione. Ierem.11.

Imò certè interdum ſunt Chriſtiani peiores Iudæis: iſti enim quæ erant in templo ſacrificanda, vendebant, & emebant, atque ita Deum cui ſacrificabant, offendebant: at verò nunquam Chriſtum aggrediebantur Iudæi in templo: nunquam ei iniuriam in eo loco intulerunt, vt ipſemet teſtatur, dum volentes eum in horto capere perterrefecit, dicens: *Quotidie ſedebam in templo docens, & non tenuiſtis me.* Dum Chriſtus templo aſſidet, impiorum rabiem non ſentit: in eum in Matth.18.

loco

loco ſacro non audet Iudæorum impietas. Hoc obſeruat Chryſoſtomus. Eum in templo non tenuerunt, propter quod Dominus foras exiuit, vt ex hoc loco & tempore daret eis aptitudinem ſe capiendi. Si ſemper Chriſtus in templo manſiſſet, nunquam Iudæi illum crucifixiſſent. Fierine poteſt, vt hoc audeat Chriſtianorum temeritas, quod non eſt auſa Iudæorum crudelitas, & ille in Eccleſia à nobis offendatur, qui in templo à Iudæis non tenebatur?

In hunc locum.

Huc reuocat Auguſtinus omnes Chriſtianos, vt vel diſcant à Iudæis qualiter ſe erga Deum in templo habere debeant. Certè, ait, Iudæi Dominum crucifixerunt, quod cùm audimus, horreſcimus, & ingenti execratione proſequimur. Illi cùm de ſua luxuria cogitarent, delicioſorum agrorum ſolitudines meditabantur, dicentes; *Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Quomodo ergo parceret Chriſto ſi eum inueniſſet in terra, qui non ſolitaria prata irritandis libidinibus ſuis, ſed frequentiſſimas elegit Eccleſias regnantis in cœlo?

Serm. 2. in Dom 23. poſt Trin.

Iam peiores videntur nonnulli Chriſtiani quàm impiiſſimi Iudæi, qui vt Deum offenderent, agros & deſerta meditabantur; imò ſibi maximè exoſum Ieſum in templo verentur, in templo honorarunt, quem in Caluario crucifixerunt; & Chriſtianorum multi Eccleſias quærunt, vt Chriſtum libidinibus ſuis laceſſant; vt videlicet cum mulierculis colloquantur, & quod commodè in domibus, vel alibi exequi non poſſunt, in domo Dei perficiant. *Tellement que là ſe font les indignes aſſignations, où ſe doiuent faire*

faire les ſainctes reſignations. Et in domo Domini exequuntur,quod in domo homunculi non auderent.Quid iam Iudæos Deicidas obſtupeſcitis? quid crucifixores exprobratis ? Maiora vos in Chriſtum auderetis, ſi in terra haberetis, quem regnantem in cœlo,in templo, in domo paterna inuaditis. Fit interdum à nobis locus ille colloquutionis & offenſionis, qui à Deo factus eſt domus orationis & defenſionis.

Diuus Bernardus expendens illa verba Iacob, *Verè Dominus eſt in loco iſto*, &c. docet id multò iuſtiùs, multóque congruentiùs de Chriſtianorum templis dici poſſe. Imò verò, quod ibi manifeſtatum fuit Iacob, propter quod ille tantopere veneratus eſt illum locum, præfigurauit ea quæ in templis Chriſtianorum peragenda erant, ſic enim ſcribit.Vnus homo erat Iacob, & dormiens vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes.Parum eſt hoc,etiam Dominum Angelorum adeſſe teſtatus eſt,dicens: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*; miratur enim gratiam, & magnitudinem dignationis expaueſcit. Quantò terribilior eſt locus hic noſter? quantò euidentiùs, certiúſque Dominus eſt in hoc loco, vbi nimirum non modò duo,aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſeuerant?Terribilis planè locus eſt, dignus omni reuerentia, quem fideles viri inhabitant,quem Angeli ſancti frequentant,quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur.

Serm.6. de anniuer dedicat. Eccl.

Olim Platonica lege cautum erat,ne quis piſcaretur in portu:etenim inhumanum ducebant antiqui, quòd quis in portu, vbi toties receptus Leg.x.

à furenti mari liberatur, à fluctibus inuadentibus defenditur, ibi vel piſcem offendat. Legales illi Iudæi, quia quacumque tempeſtate iactati tutiſſimum confugium, & portum inueniebant in templo illo Hieroſolymitano, vbi crebra naufragia deuitabant, ibi non ſunt auſi piſculum Chriſtum aggredi, eíque nocere. Nunc autem aliqui Chriſtiani prorſus efferati portus etiam infeſtant, dum Eçcleſias ſuis peccatis polluunt. O crudele nefas! in portu, id eſt, in Eccleſia, Chriſtum, quem Tertullianus piſciculum appellat, offendunt. Hoc acutè perſtringebat Anaſtaſius Synaita, dum ait. An ignoras Eccleſiam Dei officinam eſſe medicam, & portum? Si in portu fluctibus agiteris, vbi poſtea quieſces? Proh dolor! In officina medica relictis ſalutaribus medicamentis, venenum hauris: & in portu pateris naufragium, vbi tutum poteras inuenire confugium. In Eccleſia, inquam, dum peccas, venenum ſumis, vbi tanquam medicamenta iugiter miniſtrantur Sacramenta, & illam tibi facis portum naufragij, quæ facta eſt locus refugij.

Lib. de bapt. De ſacra Synaxi.

Et non tantùm Eccleſia dicitur portus, ſed & à Iacob *porta cœli.* Væ illis, qui per eam portam, qua intratur ad gloriam, ingrediuntur gehennam, & qui ibi ſuis malis actibus cœlum ſibi claudunt, vbi alij bonis operibus ſibi aperiunt; qui, inquam, portam cœli faciunt portam inferni. Valdè ponderat Bernardus illud Iſaiæ: *In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini*; & vocat huiuſmodi comminationem valdè terribilem. Et ſanè gloria Domini excludetur, & grauis in eum incumbet diuini iudicij cenſura,

Iſai 26. Serm. 8. in illa verb. *Ecce nos.*

qui

qui in terra,id eſt, in loco, in Eccleſia, vbi Sanctus Sanctorum colitur, & vbi Sancti eius amici inuocantur, vbi omnis peccati aditus videbatur excluſus,planáque & facilis ad omnem ſanctitatem patebat via,iniqua gerit, mulierem malo fine alloquitur,aut ad concupiſcendum intuetur, vel alia illicita operatur.

Vide igitur quid ſit, & ad quid ſit Eccleſia; terribilis locus eſt, domus Dei, portus, & porta cœli:illic Deus eſt adorandus, laudandus, orandus,Sacramenta ſumenda, verbum diuinum audiendum,non ſacrilegia patranda,non ſolicitandæ mulieres. Rectè argumentatur Auguſtinus, dum de templo Hieroſolymitano ſic loquitur. Templum hoc figura adhuc erat, & eiecit inde Dominus omnes qui ſua quærebant.Quid ſi ibi ebrioſos inueniſſet?Si negotiationis domus,non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Expende precor(*figura adhuc erat*) figura inquam noſtrarum Eccleſiarum.Si itaque ab illo templo eiecit,non in ipſum blaſphemantes, non proximo detrahentes, ſed animalia vendentes; non ſcortatores, ſed mercatores; putas patietur in ſacris locis, & Eccleſiis impuro amori vacantes, aut alia nefanda patrantes? Quomodo autem iſtos expellat,audiamus. Tract.10. in Ioan.

Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Chriſtus ſecum nullum detulerat flagellum,ſed illud fecit *de funiculis.* De funiculis, inquam, quos iſti vendentes attulerant, & quibus boues ligauerant, & duxerant.Hinc colliges Dei bonitatem. Licèt enim Deus nos iuſtè puniat; non habet tamen, quo puniat, ſi id in

peccatore non inueniat. Vis hoc videre? Audi
Iſai.27. quid ipſe dicat apud Iſaiam: *Indignatio non eſt mihi. Quis dabit mihi veprem?* vel, vt legit Vatablus, *Quis me reddat, vt ſim vepris & ſpina?* Quem locum ſic explicat Hieronymus. Quis me faciet durum, atque crudelem, vt vincam naturam meam? Deus quaſi vim ſibi facit, dum punit: vel abit quaſi à natura ſua, dum à clementia tranſit
Iſai.28. ad vindictam; vnde punitio dicitur *alienum & peregrinum opus eius.* Dei enim proprium, eſt miſereri ſemper, & parcere: ſed peccata noſtra de miſerante faciunt illum punientem, eíque vepres & ſpinas ſcelerum ſubminiſtrant, ex quibus facit poſtea flagellum. Verbi gratia, deperis amaſiam, ex illa tandem faciet Deus flagellum ad puniendum te. Quot viri fuerunt trucidati ob amaſias nimiùm dilectas? Alius diligit pecunias, ſed permittet Deus vt ei auferantur, atque ita earum amiſſione flagelletur. Alter amat filium pluſquàm Deum, erit ille filius ei flagellum, aut quia morietur, aut ſanè quia ei non obtemperabit.

Itaque, homo eſt qui facit funiculos, id eſt, peccata: Deus autem facit flagellum de funiculis, id eſt, punitionem de peccatis. Quòd autem peccata ſint quaſi funiculi, indicat Propheta,
Iſai.5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.*
In Pſal.51. Hunc locum citans Diuus Auguſtinus, ſic ait. Væ his qui trahunt peccatum ſuum, ſicut reſtim longam; quid eſt aliud, quàm væ his, quorum manus connectunt iniquitatem? Sed non vis modò dirumpi vincula tua, quia non ſentis vincula tua: etiam delectant te, & voluptati ſunt;

ſenties

ſenties in fine, cùm dicetur: Ligate illi manus & pedes. Idem Doctor oſtendit alibi, cur pecca- In Pſalm. tum dicatur funis, aut funiculus, dum ait. Opti- 139. mè dicitur reſtis peccatorum: vt enim torqueatur, reſtis additur, & non adduntur recta fila, ſed torta: prauitas ſibi connexa ducitur in longum, & non cogitat peccator præſcindere, quod malè texuit; ſed addere, producere in longum, protendere, vt habeat in fine, vnde ſibi ligentur manus & pedes, & proiiciatur in tenebras exteriores. Præſcindetur autem peccatum, ſi homo confiteatur peccatum.

Et non tantùm homo, dum peccat, ſeipſum ligat; ſed etiam ſi peccato ligatus moriatur, inueniet ſe nullo alio ſupplicio in inferno cruciari, niſi peccatis, quibus in præſenti voluit ligari. Ita vt meritò ei conuenire poſſit illud ænigma Plauti de turdo, *Ipſa ſibi auis mortem* Plaut. *creat*: nam ex eius ſtercore viſcus naſcitur, cui ſeſe implicans capitur. Ita homo ſuis ſe ligat peccatis, quibus non ſolùm in hoc mundo, ſed & in alio flagellatur.

Audi Dominum ad omnes damnatos: *Ecce* Iſai. 50. *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, quas ſuccendiſtis vobis; de manu mea factum eſt hoc vobis.* Forrerius ſic vertit, *conſtricti & colligati laqueis*, ſcilicet flammarum, ſiue vinculis igneis. Quid enim aliud facit homo, dum peccat, quàm vt ignem æternum in ſeipſo accendat, & ſe laqueis igneis conſtringat, illis nimirum, quibus dæmones, & damnati detinentur, & comburuntur colligati? Vnde clariùs ex Hebræo verti poteſt, *Ite in focum ignis veſtri, & faſciculorum, quos ſuccen-*

Hiero. *diſtis.* In quæ verba ſic ſcribit Hieronymus. Hoc capitulo diſcimus pro qualitate peccati, ignem ſibi vnumquemque ſuccendere. Verum; vt ille ignis hîc extinguatur, & funiculus præſcindatur, peccator confiteatur.

Illud autem, quod à Domino additur, *De manu mea factum eſt hoc vobis*; putat Sanchez eſſe legendum per interrogationem, ſic, *De manu mea factum eſt hoc vobis?* Quaſi dicat, minimè. Nam ignem hunc vobis ſuccendiſtis, non ego. Et quamuis ſine interrogatione legeretur; tamen, ſicut hodie Chriſtus non fecit iſtos funiculos, ſed eos aſportauerunt & detulerunt vendentes, ex quibus fecit flagellum: ita etiam non eſt Dominus cauſa ſcelerum, quibus ligantur in inferno impij, licèt fecerit, vel ordinauerit tormenta, quibus cruciantur. Itaque, ille non cruciabitur, qui non ligabitur; & ille non ligabitur, qui nullos habuerit funiculos: non habebit autem funiculos, qui non habuerit peccata.

Prouerb. 5. Dictum eſt enim, *Funiculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Suſpirabat Auguſtinus,

Lib. 8. Confeſſ. cap. 5. quòd aliàs his vinculis ligatus fuerit. Suſpirabã, inquit, ligatus non ferro alieno, ſed ferrea mea voluntate. Tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.

Inſuper, quòd Dominus, cùm ſit ſummè bonus, nõ ſecum habeat quo puniat, conſtat etiam apud Iſaiam, vbi dicitur quòd peccauerunt olim Iſraëlitæ, propter quod voluit Deus illos, tãquam gentes ſuperfluas radere, ſicut capillos, id eſt, delere de ciuitate & terra Ieruſalem. Ad hoc perficiendum, & ad illos radendos, opus erat nouacula: ſed quia non habebat nouacu-lam,

lam,conduxit. Vide quid dicat Propheta. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta*; non in propria nouacula, quam non habebat, ſed in conducta, nempe in Rege Aſſyriorum, quem conduxerat ad populum iſtum delendum. Quod non habemus, & quo indigemus, conducimus, *nous le loüons*. Deus igitur, qui nullius rei indiget, tamen ad manifeſtandam ſuam bonitatem, nouaculam conduxiſſe,& in nouacula conducta populum tanquam capillos raſiſſe dicitur. Ita & nunc, ſi funiculos non inueniſſet, flagellum non feciſſet, vel ſi feciſſet, conduxiſſet,quia ſecum flagellum non deferebat. Iſai.7.

Cùm feciſſet quaſi flagellum. Non dixit Euangeliſta ſimpliciter *flagellum*:ſed,*quaſi flagellum*. Nam in hoc mundo tam aduerſa, quàm proſpera habent ſuum quaſi, id eſt, non debent vocari aduerſa, aut proſpera, ſed quaſi aduerſa, & quaſi proſpera. Qui multas habet diuitias, non debet dici diues, ſed quaſi diues: ſimiliter qui temporalibus bonis caret, non vocetur pauper, ſed quaſi pauper. Qui triſtatur, non triſtis,ſed quaſi triſtis dicatur. Vera autem triſtitia eſt in inferno, vbi qui cruciatur, non quaſi triſtatur, ſed omnino & ſimpliciter triſtatur, & cruciatur. Verum gaudium eſt in cœlo, quo qui gaudet, non quaſi gaudet, ſed verè gaudet.

At in hoc mundo omnia ferè habent ſuum quaſi; ideo de his non multùm curandum. Hoc conſiderabat, qui ſic clamabat; *Quaſi triſtes,ſemper autem gaudentes:quaſi morientes, & ecce viuimus.* Vide Apoſtolum etiam hinc migrantes non vocare morientes; ſed quaſi morientes. In hæc 2.Cor.6.

verba, aut ponderando hæc verba ſic Auguſti-
In Pſal.48. nus. Triſtitia noſtra, inquit, in hac vita habet quaſi; quia velut ſomnus tranſit noctis: nam qui ſomnum indicat, addit quaſi; quaſi diſputabam, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi dicebam, totum quaſi, quia cùm euigilauit, non inuenit quod videbat. Quaſi theſaurum inueneram, dicit mendicus: ſi quaſi non eſſet, mendicus non eſſet: ſed quaſi erat, mendicus eſt. Sic Apoſtolus, *Quaſi triſtes*, ait, *quaſi morientes: ſicut egentes, quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Ibi nõ dixit quaſi: verè enim omnia poſſidebat, quia omnium creatori adhærebat. Itaque, ſicut qui Deum poſſidet, non quaſi beatus, ſed verè beatus eſt: ſic qui illum non poſſidet, non quaſi miſer, ſed omnino & verè miſer eſt. In hoc mundo, quem Deus flagellat, non propriè flagellat, ſed quaſi flagellat. Et ſi quis hîc penitus non flagelletur, ſciat ſe aliquando verè, & non quaſi flagellandum, nempe in inferno. Hoc metuebat qui
Bern. Serm. 42. in Cant. hæc obſeruabat. Tunc magis iraſcitur Deus, cùm non iraſcitur. Vnde poſtea ſic exorabat. Volo iraſcaris mihi Pater miſericordiarũ, ſed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extrudis de via: cùm enim ſentio te iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Opta ergo hîc flagellari,
Aug. ne in æternum flagelleris. Audi dicentem. Nónne melius eſt, vt Deus flagellet te, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deſerat te?

Præterea, obſeruandum eſt, Dominum omnes iſtos vendentes, & ementes vno & eodem flagello æqualiter eieciſſe, & caſtigaſſe, nulla ha-

bita

bita ratione perſonarum, licèt inter eos qũidam fuerint ſublimioris qualitatis & conditionis quàm alij. Nam, teſte D. Anacleto, aderant ibi aliqui Sacerdotes legis antiquæ, qui etiã ſicut & laici fuerunt eiecti. Nulla eſt Reſpublica, nullum Regnum, nullus ſtatus, qui non habeat diuerſa genera ſuppliciorum, non tantùm ſecundùm diuerſitatem criminũ, ſed & perſonarũ: cur itaque Dominus hos omnes eodẽ ſupplicio affecit, cùm in eis diuerſitas gradus & conditionis extiterit? Epiſt. 2.

Reſpondeo, *Deum non eſſe perſonarum acceptorem*, atque ita eos æqualiter punire, qui æqualiter peccauêre. Sicut enim *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus*: ita puſillum & magnum æqualiter puniet, ſi æqualiter offendant. Non reſpicit an iſte ſit Sacerdos, Rex, Princeps, vel ruſticus & plebeius. Nulla, inquit Ambroſius, eſt apud Deum diſcretio perſonarum, ſed morum & vitæ. Audi quid de quodam Rege dicat Dominus per Ieremiam: *Viuo ego, quia ſi fuerit Iechonias annulus in manu dextra mea, inde euellam eum.* Nullus itaque iactet ſuam nobilitatem, aut regiam vel ſacerdotalem dignitatem, cùm, ſicut hæ qualitates non poſſunt hominem liberare à morte, ita nec à ſupplicio, quod propria peccata meruerunt. Act. 10. Sap. 6. In cap. 3. Epiſt. ad Galat. Ierem. 22.

Loquens Propheta de communi orbis clade, ait omnes eſſe inuoluendos, tam Sacerdotes, quàm laicos: tam Reges, quàm ſubditos: tam nobiles, quàm plebeios: tam ſeruos, quàm Dominos: tam creditores, quàm debitores. Sic enim ait: *Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & diſperget habitatores eius. Et erit ſicut populus, ſic* Iſai. 24.

Sacerdos: & ſicut ſeruus, ſic Dominus eius: ſicut ancilla, ſic Domina eius: ſicut emens, ſic ille qui vendit. Nullum tunc erit gradus, aut dignitatis diſcrimen; nulla patrocinabitur Infula, opes aut ſceptrum: hæc enim reſpiciunt homines, non Deus. Omnes itaque eiecit Dominus de templo, eóſque cecîdit eodem flagello; quia eodem inquinabantur flagitio, omnibúſque dixit.

Auferte iſta hinc. Magnæ ſunt emphaſis hæc verba. Expende *(iſta.)* Quæ ſunt iſta? oues, boues, columbæ, pecuniæ. Cur Deus è templo præcipit auferri, quæ in templo iuſſerat offerri? Tunc illa reiiciebantur, quando eis homines abutebantur. Volebat quidem Deus, vt iſta ad templum afferrentur, & in eo ſacrificarentur; ſed non ibi venderentur: non enim iſta præcipiebat auferri, quãdo videbat ſibi offerri. Sic etiam, quando Eccleſias, quæ per huiuſmodi templum figurabantur, intramus, attendamus, quomodo in eis nos geramus. Libenter enim videt ibi Deus oculos noſtros, aures, linguam, labia, & nos ipſos: oculos, vt eos præ pudore, & animi dolore in terrã, velut alter Publicanus, coniiciamus, nec ad cœlum eos leuare audeamus: aures, vt Miſſam, & Dei verbum audiamus: linguam, vt diuinas laudes decantemus; vel, vt Deum deprecemur, & nos ipſos totos ei tradamus & offeramus. Ideo igitur vult Deus, vt ad Eccleſias pergamus, vt hæc tantùm ibi peragamus.

Si autem videat oculos tuos reſpicientes amaſias, aut alias mulierculas; aures tuas ad illarum verbula attentas; & linguam tuam cum eis colloquentem; & teipſum huc aduentantem, non vt

vt Deo offeraris, ſed ab amaſis videaris, meritò excandeſcēs dicere poterit, *Auferte iſta hinc.* Non ſunt iſta huc adducenda, ſi mihi non ſint offerenda. Non curo illos videre, qui quærunt ab aliis videri, vel alias videre: nolo illos admittere, qui talia volunt committere. Deus, inquit Ambroſius, templum ſuum non mercatoris vult eſſe diuerſorium, ſed ſanctitatis domicilium. Audi Eccleſiaſtici ſalutare conſiliū: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domū Domini.* Si pedes ſunt cuſtodiendi, quantò magis oculi, ne illicita reſpiciant; lingua, ne vana loquatur; cor, ne iniqua meditetur?

Oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs. Erant veteres ferè omnes paſtores, & nihil aliud præter oues & boues poſſidebant: vnde peculium, imò ipſa pecunia à pecude dicitur. Hoc obſeruat Plinius. Pecunia ipſa, inquit, à pecore appellabatur. Tum quia loco pecuniæ vtebantur ouibus, & bobus; tum etiam, quia, teſte eodem Plinio, inuento nummo, pecudis, aut bouis impreſſa eſt nota. Seruius Rex ouium, boúmque primus æs ſignauit. Vnde de eo, qui pecunia corruptus ſilebat, communi dicebatur adagio: *Bouem habet in lingua.* Certè templi Sacerdotes meritò dici poterant geſtare bouem in lingua; quia lucri gratia permittebant hæc omnia vendi, & emi in templo. Lib. 18. c. 3. Ibidem.

Sciendum eſt autem, quòd olim, teſte Cœlio, pecunia dicebatur Dea, non quòd tanquam Dea haberetur, aut ei diuinus honor exhiberetur, iuxta illud Iuuenalis, Lib. 11. cap. 34.

— Etſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras. Iuuen.

Sed

Sed ideo vocabatur Dea, quia exiſtimabant antiqui Deum pecunia abundare, & ab eo pecuniam emanare: contra quod exclamando in-
Lib. 7. de ciuit. Dei. cap 12. uehitur Diuus Auguſtinus. O magnam rationem diuini nominis! Imò verò illum, cuius ſunt omnia, viliſſimè & contumelioſiſſimè dicimus diuitem, non tamen pecunia, ſed omnipotentia. Exiſtimabant antiqui omnia contineri in pecunia, quia omnia pecunia comparabantur, iuxta illud,

Et genus, & formam regina pecunia donat.

Eccl. 10. Vnde & illud, *Omnia obediunt pecuniæ.* Sed qui pecuniæ obediunt, habent Deam pecuniam, & erit illis pecunia in perditionem.

Vel ideo pecunia vocatur Dea, quia auari illam ſpem, quam in Deo habere debent, in pecunia reponunt. Vnde auaritia ab Apoſtolo vo-
Eph 5. catur *Idolorum ſeruitus.* Id enim eſt Deus cuique, à quo vitam & vitæ neceſſaria ſperat; hoc autem præſtant auari: ergo ſunt auari Idololatræ, & eſt illis pecunia Dea. Præterea, ſicut Idololatræ colunt imagines aureas & argenteas, aut monetas, quæ nunquam ſunt ſine aliqua effigie. Vnde Theophylactus. Quod Dauid dixit,
Pſal. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum*; hoc magna prudentia inuertit Paulus dicens: *Argentum & aurum ſunt ſimulacra & Idola auarorum.*

Illud etiam cuique Deus eſt, quod ſemper in mente eſt, habet, animóque verſat, cui totus intendit, quod pro ſuo habet vltimo fine, in quo totum ſuum cor, & amorem defigit, ad quod omnia ſua ſtudia, cogitationes & actiones refert, cui curas omnes, labores, vitámque ipſam

ipſam impendit. De vero Deo, & ad verum Deum Beatiſſimus Pater noſter Franciſcus dicere ſolebat, *Deus meus, & omnia*: quia totum illi erat Deus. Auaris autem totum eſt pecunia; ideo nihil niſi pecuniam, & aurum diligunt, reſpiciunt, & comparare nituntur. Audi quid auaro dicat Ambroſius. Aurum reſpicis, aurum imaginaris, hoc tibi dormienti inſomnium, & vigilanti deſiderium: quæcumque vides in aurum verti cupis, dáſque operam, quòd poſſis & liceat. Quid enim rerum non moliris, mouéſque vnius auri gratia? Serm. 81.

Cur etiam pecunia dicatur Idolum oſtendit Chryſoſtomus, dum ait. Sicut Idololatræ venerantur Idola, nec ea præ reuerentia tangere audent: ita auarus pecunias, quaſi Idolum veneratur, nec eas audet contingere: ſed inani tantùm earum aſpectu delectatur. Quando igitur Chriſtus *nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit*, tunc pecuniam tanquam Idolum; & menſas, tanquam aras deſtruxit, in quibus ab iſtis auaris colebatur, dum tam ſolicitè ſeruabatur, & tam attentè numerabatur. Væ illis qui quærunt colligere, quod Chriſtus voluit ſpargere: nam in quantum poſſunt Idolum erigunt. In Epiſt. ad Epheſ. c. 5.

Modus autem, ſiue inſtrumentum, quo Dominus vſus eſt ad iſtos puniendos, oſtendit, eos, ſi non Idololatras, ſaltem fuiſſe ſeruos & pecuniarum captiuos, & non liberos, aut ſui iuris, ſed ſeruire Mammonæ. Fecit enim Chriſtus flagellum de funiculis; illos non cecîdit fuſte, aut baculo, ſed flagello: quia olim liberi fuſtibus; ſerui verò flagellis cædebantur. Audi legem hoc

l. In ſeruorũ. ff. de pœnis. ſtabilientem. *In ſeruorum perſona ita obſeruatur, vt exemplo humiliorum puniantur, & ex quibus cauſis liber fuſtibus caditur; ex his ſeruus flagellis cadi, & Domino reddi iubetur.* Itaque cùm eſſent ſerui pecuniæ, iiſdem funiculis cædi merebantur, quibus ligabantur, atque hæc audire.

Auferte iſta hinc. Dices, cur Chriſtus, clemens cùm ſit & miſericors, iſtos nõn monuerit, antequã eiecerit. Nõn enim ſolet Deus aliquos punire abſque aliqua præuia monitione. Voluit diluuio delere homines, ad quos monendos miſit
2. Petr. 2. Noë, quem ideo vocat Diuus Petrus *præconem iuſtitiæ.* Præterea, tunc dicitur monuiſſe, quia
Gen. 7. legitur pluiſſe, *Facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ciues Sodomæ, & Gomorrhæ meruerunt etiam deleri, & in infernum detrudi; ſed eos monuit, quia etiam
Gen. 19. ſuper eos pluit. Audi Scripturam: *Pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem,* Quando audis pluiſſe, dic monuiſſe. Sicut enim præcedunt pluuiam multa ſigna; videmus namque cœlum obtegi nubibus, & alia ſimilia: ſic ante diuinas punitiones multæ apparent monitiones. Peccauerunt Niniuitæ, ad eos mittitur Ionas, cuius prædicatione euitarunt punitionem. Denique peccante olim populo, ſtatim
2. Par. c. 36. Deus *mittebat ad eum ſeruos ſuos Prophetas*, vt ſcilicet moneretur, & conuerteretur. Cur igitur Dominus aliquem ad iſtos vendentes & ementes non præmiſit, & monuit? Reſpondetur, Chriſtum illos ſæpiſſimè monuiſſe, ſed eius monita
Luc. 16. ſpreuiſſe: nam, teſte Luca, prædicante aliquando Domino, *audiebant hæc Phariſæi, qui erant auari, & deridebant eum.* Nam

Nam nullus eſt, qui magis contemnat monita, quàm auarus. Audit auarus prædicationem; ſed quid dicet? Illud, quod notat Ambroſius. Serm.81. Pulcher ſermo; ſed pulchrius aurum. Magis mihi arridet aurum, quàm ſermo. Sint verba aurea Prædicatori, & nummi aurei mihi. Scit Prædicator quomodo, & quibus verbis animas lucretur: ego ſcio quibus modis & artibus pecuniam comparem.

Vis videre, quàm parui pendat auarus verba Prædicatoris, aut monitoris? Vnum attende Iudam, quem etiam ad hoc propoſitum Diuus Chryſoſtomus proponit conſiderandum. Peccauerat Petrus Magiſtrum negando: ſed ad primum Domini intuitum, *egreſſus foras fleuit amarè.* Peccauit Thomas incredulitate: ſed audita Domini increpatione, ſtatim pœnituit, *& exclamauit, Dominus meus, & Deus meus.* Ioan.20. Peccauit Paulus fideles inſectando, ſed audita hac Domini voce, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* protinus Act.9. reſpondit, *Domine, quid me vis facere?* Atque ita qui priùs erat perſecutor, factus eſt egregius Prædicator, & qui alios perſequebatur, paſſus eſt ipſe propter Deum perſecutionem. Verùm Iudas peccauit, auaritiæ enim & latrocinio operam nauauit, *fur erat, & loculos habebat.* Multoties illum monuit Chriſtus, ſæpe audierat Dominum prædicantem, auaritiam damnantem; omnimodam profiteri paupertatem videbat: ſæpe à Chriſto audierat hæc verba, *Facilius eſt camelum per* Mat.h 19. *foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Imò vnus fuit ex his, qui hæc verba mirabantur; ait enim Euangeliſta: *Auditis his, diſci-*

puli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe? Sed his non obſtantibus Iudas conuerti, & à malo ſuo propoſito recedere noluit; ſed impœnitens remanſit. Quare? quia auarus: imò ex auaro factus eſt latro, ex latrone proditor, ex proditore diabolus. *Vnus veſtrûm diabolus eſt*, non natura, ſed obſtinatione, & auaritia. De illo ſic loquitur, & nos ita exhortatur Chryſoſtomus. Tantus certè, támque incredibilis eſt auaritiæ furor, quæ illum & proditorem nequiſſimum fecit. Audiatis hæc attentiùs omnes auari, qui grauiſſimo Iudæ morbo laboratis. Quotidie ille erat cum eo, qui non habebat, vbi caput reclinaret: & quotidie verbis & operibus inſtituebatur, vt non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet: & tamen reprimere ſe non potuit. Quomodo igitur tu ſperas abſque magna cura, & diligenti ſtudio contagionem huiuſmodi effugere? Non miremur igitur, ſi ad iſtos auaros vendentes in templo Dominus neminem præmiſerit, cùm antea illis ſæpe prædicauerit: merebantur itaque punitionem, qui contempſerant monitionem.

Homil. 81. in Matth.

Quòd auari difficilè conuertantur, patet ex his quæ Dominus diſcipulis reſpondit, dum aliquando in auaros inueheretur. Illo ergo prædicante dixerunt diſcipuli, *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Reſpondit Chriſtus, *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Id eſt, quia diuites non poſſunt abſque ſpeciali Dei auxilio vincere tentationes, quas diuitiæ pariunt; idcirco illis impoſſibile eſt regnum adire cœlorum. Et licèt hoc etiam intelligatur de

omnibus

omnibus peccatoribus, quorum nullus poterit intrare in illud regnum ſine diuina ope & auxilio: veruntamen præcipue Chriſtus hoc dixit de diuitibus, in quibus maiora reperiuntur impedimenta, maiórque difficultas: nam cæteræ cupiditates ipſo vſu ſedantur & ſatiantur, ſaltem ad tempus; verbi gratia, cupiditas gulæ ſatiatur cibo & potu, abítque in nauſeam: cupiditas Veneris expletur fornicatione, transítque in faſtidium, ac virium & ſpirituum defectum. Auaritia autem eſt inexplebilis, nullis ſatiatur opibus, ſed magis accenditur.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Idcirco maior diuiti, quàm cæteris hominibus ineſt difficultas intrandi in cœlum.

Nam maior & periculoſior eſt plaga, quam infert auaritia, ea quam inferunt cætera vitia. Iſta capies hac ſimilitudine: ſi inter multos homines oriretur rixa, vnde contingeret aliquos ex eis, plagis & vulneribus affici, vnum in brachio, alium in pede, hunc in tibia, iſtum in capite, alterum in ventre & viſceribus, ſi illos viſitaret Chirurgus, & quæreretur, quid ei videretur de huiuſmodi ſauciatis, & de eorum plagis, vtique reſponderet: Ego ſpero omnes bene habituros, dempto illo qui in viſceribus ſauciatur: eſt enim plaga eius incurabilis. *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia ſunt poſſibilia.* Deus quidem poteſt illum miraculosè curare, ego verò minimè.

Ita contingit omnibus peccatoribus, quorum nonnulli ſauciantur vno vitio, alij alio, qui quidem facilè curantur: nam vel prædicatione, vel

morbi alicuius immiſſione, aut ſanè bonorum amiſſione, vel inſpiratione, aut aliqua alia afflictione conuertuntur, aguntque pœnitentiam. At auari plaga cum ſit in viſceribus, non poterit abſque Dei miraculo curari; ideo ait Chriſtus de auarorum plaga, *Apud homines hoc impoſſibile eſt*, &c. Audi quid de auaro, & eius plaga
Eccl.10. ſentiat Eccleſiaſticus. *Nihil ſceleſtius auaro, qui in vita ſua effudit viſcera ſua.* Vides ergo eius plagam eſſe in viſceribus. Hoc præcipuè cernitur in ipſo
Act.1. auariſſimo Iuda, qui, teſte Scriptura, *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Tanta fuit eius plaga, vt nec ſceleris ſui agnitione, nec denariorum reſtitutione curari potuerit. Latebat virus in viſceribus. Exierat quidem foras oris confeſſio, quando dixit, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Exierant & denarij, quando *retulit triginta argenteos.* Verùm aliquid adhuc intus latuit, quod mortem æternam ei intulit, & poſt mortem eius omnibus patuit, dum *diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Et hoc erat auaritia, & diuitiarum cupiditas, quam nunquam à ſe eiecerat. Solet, homine mortuo, apoſtema quod cum occidit, foras exire, quod ſi priùs exiiſſet, non occidiſſet.

Caueat igitur vnuſquiſque ne auaritiam, bonorúmque cupiditatem foueat, ſed illam eiiciat, ne pereat. Non enim ſufficit peccata confiteri, imò nec ablata reſtituere, ſi animum quis retineat reuertendi ad eadem peccata, vel ſemper cupiditatem ſeruet congregandi pecunias. Ideo iſti auari è templo eiiciebantur, eorum æs effundebatur, & menſæ ſubuertebantur, vt curarentur:

rentur. & tamen non legimus eſſe ſanatos, id eſt, pœnitentiam egiſſe, quia ſecum afferebant, quod eis mortem afferebat, nempe auaritiam, & nimium diuitiarum amorem. Verum eſt illud Gregorij. Bonorum authori aliter inhærere non valemus, niſi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix eſt, abſcindamus. Homil. in Euang.

Huius autem eiectionis cauſam poſtulantibus Iudæis reſpondit Chriſtus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Pōderat Diuus Auguſtinus hæc verba, quibus ſignum promittitur, quo diuinitas Chriſti manifeſtabitur: nempe ſuiipſius, per ſeipſum reſurrectio. Multis enim communicauit & tribuit Deus poteſtatem faciendi miracula, cæcos illuminandi, dæmones eiiciendi, infirmos curandi, mortuos ſuſcitandi: at ſeipſum propria virtute ſuſcitare, nemini niſi Chriſto datum eſt. In illo erat quod ſuſcitaretur, nimirum humanitas, & quod ſuſcitaret, nempe diuinitas. Vnde iſtud ſignum vocatur ab illo Doctore proprium Chriſti, quia nulli alteri fuit vnquam communicatum. Sic itaque ſcribit. Quia poſſent Iudæi dicere, cùm miracula fecerat Dominus: fecit & hoc Moyſes, fecit & hoc Elias, fecit & Eliſæus: propterea, cùm ab illo ſignum peterent, proprium ſignum commendans, quod in ſe ſolo futurum erat, ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc ſignum proprium commendauit, hoc eſt potentiſſimum. Huic quæſtioni; *Quod ſignum oſtendis nobis?* videtur Chriſtus iam per Sophoniam reſpondiſſe his verbis, *Expecta me in die reſurrectionis meæ.* In Pſal. 65. Soph. 3.

Sed vide humanam malitiam: vnde enim

Chriſtus ſumebat ſignum quo cognoſceretur, inde Iudæi ſumpſerunt falſum teſtimonium, quo iudicaretur. Nam tempore paſſionis *venerunt duo falſi teſtes dicentes: Hic dixit: Soluam templum hoc, & poſt triduum reſuſcitabo illud.* Mentimini. Non dixit, *Soluam*: ſed, *Soluite.* Vnde exclamat idem Auguſtinus. Vnum verbum mutauerunt, & paucas literas, vt falſum teſtimonium molirentur. Cur mutas verbum ô humana varietas, ô humana infirmitas? Verbo incommutabili mutas verbum. Debebant non mutare verbum, ſed cognoſcere Verbum. Solemus & nos interdum exemplo Iudæorum, inde nobis acquirere damnationem, vnde potuimus nobis comparare ſalutem; ac inde Deum offendere, vnde debuimus illum diligere. Multa dat nobis ſigna, quibus illum cognoſcere valemus, & diligere debemus: illa agnoſcamus, illum diligamus, vt illo tandem fruamur. Amen.

Matth. 26. Marc. 14.

Ibidem.

FERIA

FERIA TERTIA POST DOMINICAM quartam.

Aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit,&c. Ioan. 7.

PLACET quod præclarè à Philone Iudæo dictum eſt, conferente hominem ſcientificum faci; lucem ſuam multis lucernis impertienti. Quemadmodum, inquit, fax etiam ſi multas lucernas accenderit, ſemper manet eiuſdem magnitudinis, & nequaquam ne tantillo quidem diminuitur: ſic etiam ſcientia in homine nequaquam diminuitur, licèt docendi ratione in multis transfundatur. Ineptè quis quæreret, vnde fax ſuum lumen habet, cùm videat eam lucentem, & aliis impertientem. Vtatur luce, qui indiget luce, & non curet vnde fax habeat lucem. Videmus nunc Chriſtum lucentem, nam *illuminat omnem hominem venientem*: audimus, inquam, nunc illum in templo docentem; *Aſcendit in templum, & docebat*: ſanam doctrinam commu- Lib. de Gigantibus.

nicabat,& non diminuebatur, & tamen Iudæorum animus mirabatur.

Et mirabantur Iudæi,dicentes: Quomodo hic literas ſcit,cùm non didicerit? Fortè ideo mirabantur,quia
Luc.4. Chriſtum filium fabri arbitrabantur. Aliqui
Matth.13. enim dicebant; *Nónne hic eſt filius Ioſeph? Nónne hic eſt filius fabri? Vnde ergo huic ſapientia, & virtutes? vnde ei omnia iſta?* Quo animo Iudæi hæc dixerint,& doctrinam Chriſti mirati fuerint,indi-
Serm.48. cat D.Chryſologus. Pulchrè, ait,liuor Iudaicus Chriſti ſapientiam miratur,virtutes ſtupet, attollit opera, dicta ſuſpicit, & tamen ne in ipſo videatur diuinitas, deitas ſentiatur, carnalium parentum nomina commouet,& diuulgat. Malebant ipſum vocare filium fabri, quàm fateri filium Dei: magis attendebant cum quo aliquandiu morabatur, quam quæ operabatur; magis, inquam, conſiderabant incunabula, quàm eius miracula. Illa demonſtrabant humanitatem; hæc prædicabant eius diuinitatem. Illum quidem Iudæi hominem eſſe agnoſcebant, Deum eſſe negabant: licèt haberent, vnde vtrumque cognoſcere poſſent.

Cur autem faber, & fabri filius, Ieſus vocari
In Luc.c.3. voluerit, rationem aſſignat D.Ambroſius. Hoc typo Patrem ſibi eſſe demonſtrat Chriſtus, qui fabricator omnium condidit mundum. Nam,etſi humana non ſunt comparanda diuinis, typus tamen integer eſt: quia Pater Chriſti operatur igne,& ſpiritu; & tanquam bonus animæ faber vitia noſtra circumdolat citò ſecurim admouens arboribus infœcundis,&c. Dicit igitur iſte Doctor, Chriſtum voluiſſe haberi fabri filium,

quia

quia illius erat filius, qui fabricatus eſt auroram, & Solem, & cæteras creaturas; & quia cum ipſo Patre, & Spiritu Sancto, omnia condidit, idcirco permiſit etiam ſe vocari fabrum, *Nónne hic eſt faber?* Præterea vtilis eſt Dominus Ieſus, & hominibus formandis, & reformandis aptus apparet, ex eo quòd dicatur faber, & credatur filius fabri: ipſe enim circumdolat vitia noſtra: docet nos ad circinum mores componere, ſuperflua reſecare. Hæc & ſimilia, & alia ſublimia docebat Dominus. Marc. 6.

Et mirabantur Iudæi. In quem locum ſic Auguſtinus. Mirabantur, ſed non conuertebantur. Non quærit Deus noſtram admirationem, ſed conuerſionem. Nunquam dixit Deus, admiramini me, ſed, *conuertimini ad me.* Iſtis Iudæis admirantibus, & non conuertentibus ſe, fuerunt olim, & adhuc ſunt multi ſimiles. Multa ſigna & prodigia fecit olim Dominus coram Pharaone & Ægyptiis, eóſque multis & variis plagis affecit, ſed hæc omnia *mirabantur, non conuertebantur.* Dicit enim Scriptura, quòd erant *pauentes horrende, & admiratione nimia perturbati.* Obſcuriſſimis tenebris inuoluebantur, apparente eis interdum ſubitaneo igne, timore pleno, & tamen non conuertebantur, quamuis hæc immitterentur, vt conuerterentur. Rectè igitur de illis ait Sapiens, quòd erant *indiſciplinatæ animæ*; vel, vt legit Vatablus, *imperitæ animæ.* Verè erant imperiti: eſt enim admiratio, philoſophiæ mater, cùm, teſte Ariſtotele, propter admirationem cœperint homines philoſophari; videbant iſti tot prodigia, tam varios euentus, nec curabant Ioël. 2. Sap. 17. Ibidem. Ariſtot.

cauſam illorum inquirere: mirabantur quidem, ſed non ſcrutabantur, nec conuertebantur.

1.Reg.28. Infœliciſſimus & reprobatiſſimus Saül multa infortunia experiebatur; à Deo ob ſuam inobedientiam deſerebatur; Dauidem à Deo dilectum & electum, ac inimicos Iſraëlitici populi debellantem intuebatur; à Samuele reſuſcitato de exitu belli ſciſcitabatur; ab illo Propheta increpabatur: hæc omnia *mirabatur, ſed non conuertebatur.* Imò iraſcebatur: *Iratus eſt autem Saül,* nunquam propoſuit Deo obedire; pacem cum Dauide & aliis ſuis inimicis inire, ſed voluit potiùs Pythoniſſam, quàm Deum conuenire, ideo meruit, & debuit malè perire.

Ibidem.

4.Reg.1. Ægrotauit Rex Ochozias, miſit nuncios ad cõſulendum Beelzebub, quibus dixit; *Ite, & conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea.* Surgens Elias Angeli monitu, vadit obuiam nunciis, eóſque increpat dicens: *Nunquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendum Beelzebub?* Prædixit eis mortem Regis. Reuerſis nunciis ad Regem, omnibúſque ei enarratis, miſit Rex Principem cum quinquaginta viris, qui ſub eo erant, ad Eliam, vt eum comprehenderent, ſuper quos fecit Elias deſcendere ignem, de cœlo, qui eas deuorauit: quo audito, miſit iterum Rex alios quinquaginta, qui etiam igne cœleſti conſumpti ſunt. Tandem venit Elias ad Regem, & ei mortem prædixit; *De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Elias minabatur, Rex autem mirabatur, deinde moriebatur, & nunquam conuertebatur, & tamen ideo monebatur, puniebatur, non vt miraretur,

retur, nec vt moreretur, ſed vt conuerteretur. Omnes etiam videntes ignem de cœlo deſcendentem, milites deuorantem, Eliam increpantem, & prophetantem, *mirabantur, ſed non conuertebantur.*

Idem contigit Regi Balthazari, qui inter epulas, pocula, concubinas vidit *digitos quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* Tunc, teſte Scriptura, facies Regis commutabatur, & cogitationibus conturbabatur: renum eius compages ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Omnia hæc Rex intuebatur, imò iuxta interpretationem illorum verborum, *Mane*, *Thecel*, *Phares*, huius Regis regnum numerabatur & complebatur: Rex ipſe appendebatur in ſtatera, & minus habens inueniebatur; regnúmque eius diuidebatur, ac Medis & Perſis dabatur; omnia inquam hæc *mirabatur, ſed non conuertebatur.* Nonnunquam Deus permittit apparere portenta, aut nobis aliqua accidere inuiſa & inaudita, non vt ea apud nos miremur, ſed vt eis ad illum conuertamur, ac pœnitentiam agamus. Dan. 5.

Vis autem ſcire, cur etiam iſte Balthazar tam grauiter mulctatus fuerit, vt vna nocte regno & vita priuari meruerit? Quia viſo & experto patris ſui Nabuchodonoſoris ſupplicio, ipſe non ſibi conſuluit. Sciebat enim patrem ſuum ob grauiſſima ſcelera, grauiſſimas per ſeptennium dediſſe pœnas, maximíſque plagis fuiſſe affectum. Hoc quidem Balthazar mirabatur, ſed non conuertebatur, nullámque vtilitatem hauriebat

ex huiuſmodi pœnis patri ſuo inflictis; imò verò epulabatur, & cum concubinis deliciabatur. Hæc obſeruatio eſt D. Theodoreti. Balthazar iſte ſummum patris ſupplicium ſuſpicatus, nihil inde percipit vtilitatis: iure itaque iuſtus Iudex illum nulla venia dignum cenſuit.

In Dan.

Huic, & iſtis Iudæis ſæpe nos ſimiles ſumus; nam multa inſolita videmus, audimus, hæc miramur, ſed non conuertimur. Legimus quoſdam, veluti diuitem epulonem, cruciari tartareis flammis, hæc audiendo, vel legendo, turbamur, miramur, nec conuertimur. Audimus Concionatores in vitia inuehentes; de cœleſti gloria, de pœna æterna diſſerentes, miramur, non conuertimur: nos ipſi dum infirmitate, bello, fame premimur, iniuriis afficimur, perſecutionibus atterimur, dolemus, plangimus, conquerimur, non conuertimur. Scimus Chriſtum incarnatum, de Virgine natum, multa pro nobis paſſum, imò morte amariſſima mortuum, & in eius morte multa prodigia accidiſſe, Solem obſcuratum, petras ſciſſas, monumenta aperta, terram contremuiſſe: hæc credimus, hæc miramur, ſed non conuertimur; atque ita iſtis Iudæis ſimiles efficimur, in quos ſic exclamat D. Ambroſius. O duriora ſaxis pectora Iudæorum! Sciinduntur petræ, ſed horum corda durantur, Iudex arguit, credit miniſter, proditor ſcelus ſuum voluntaria morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reſerantur, Iudæorum tamen immobilis duritia manet orbe concuſſo.

Lib. 10. in Luc. 7.

Lamentabatur olim Propheta neceſſariam

populi

populi ſui ruinam, dum diceret; *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuerſatur.* Cur ſubcinericio pani comparetur ille populus, indicat Ruffinus, dicens. Cùm vires illius frequens percuſſiſſet afflictio, nihilominus in impietatis ſtudiis permanebat, vt ſimul & crudus, quia indomitus, & exuſtus appelletur, qui tabe ſe gemebat afflictum. Sanè ſubcinericius panis, cùm ex vna parte habeat ſuperpoſitas prunas, neceſſe eſt reuerſetur, vt vndique coquatur; alioqui ex vna parte remanebit exuſtus, & ex altera crudus; atque ita nulli vſui aptus. Sic ille eſt, qui corpore percutitur, & eius anima non conuertitur; qui ſuas & aliorum pœnas miratur, & ſuam ſalutem non operatur. Quid miſerabilius vim ardentis ignis ſuſtinere, & cruditatem non deſerere: id eſt, grauia tolerare ſupplicia, & adhuc perſeuerare in malitia? Oſee 7.

Mirabantur. Dices: Quî fieri poteſt, vt iſti tam mirabilia audirent, & non conuerterentur? quia non habebant cor, ac ex illo populo erant cui dicit Propheta; *Audi popule ſtulte, qui non habes cor.* Sciendum eſt autem, quòd vt concio, ſiue prædicatio, aliquam afferat audienti vtilitatem, neceſſe eſt, vnum operetur Prædicator, alterum Deus: Prædicator debet verbis replere aures auditoris; Deus verò replet cor ſua gratia, id eſt, dabit vnde auditor ea quæ audiuit, executioni mandare poſſit. Si autem auditor nullas habeat aures, non poterit percipere quæ à Prædicatore dicentur. Si item non habeat cor, non poterit diuina repleri gratia. Peccatores autem non habent cor, id eſt, non attendunt quæ dicuntur. Ierem 5.

Si enim ſit auarus, habet cor eius theſaurus; *Vbi theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Si lubricus, habet cor eius amaſia, *Vinum & fornicatio auferunt cor.* & ſic de cæteris.

Oſee 4.

Non eſt igitur mirum ſi tales nullam referant vtilitatem. Qui habēt aures, audiunt quæ à Prædicatore dicuntur, & mirantur: ſed quia cor eorum longè eſt ab eis, ac datum rei amatæ, non poteſt repleri diuinis donis, ideo non conuertuntur. Eiuſmodi erant iſti Iudæi, aures quidem habebant, & quæ à Christo dicebantur, audiebant, eáque mirabantur, ſed quia non habebant cor, non conuertebantur. De illis enim dicebat Chriſtus, *Cor autem eorum longè eſt à me.* Vnde & de illis meritò conquerebatur olim Deus per Prophetam: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſequitur cor eorum.* Cor non ſequetur Dei mandata, diuinā monita, cùm iam ſequatur auaritiam.

Ezech. 33.

Mirabantur. Si quis ſitibundus veniat ad fontem, & illum dumtaxat miretur, & inquirat vnde habeat tantas aquas ſcaturientes & limpidiſſimas; ſanè ſtultus haberetur, quòd in his tantùm immoraretur. Ideo enim emanat ibi fons, vt ex eo ſitientes bibant, non de eo inquirant, & vt eius aqua ſatientur, non vt eam admirentur. *Erit fons patens domui Dauid*; quod adimpletum eſt, dum Chriſtus patenter in domo Dei, in templo aquam ſuæ doctrinæ emittebat, atque clamabat, *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Veniebant Iudæi mirabundi, non ſitibundi, aut ſi ſitibundi aquas ſcaturientes, id eſt, doctrinam Chriſti profluentem,

Zach. 1.

Iſai. 55.

tem, mirabantur, ſed ea non ſatiabantur, id eſt, non conuertebantur: aquas videbant, ſed non bibebant; doctrinam audiebant, ſed non proficiebant; magis quærit fons aquas ſuas potantes, quàm admirantes: ſic non optabat Chriſtus, & ſuo exemplo non optent Prædicatores doctrinam admirantes, ſed ſequentes. Vnde Hieronymus ad Nepotianum. Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Non quærat Prædicator laudari, ſi non vult damnari. In Epiſt. 2. ad Nepot.

Eſt verbum diuinum tam ſcriptum, quàm auditum, veluti ſpeculum. Cur autem inuentum ſit ſpeculum, declarat Seneca: Inuenta ſunt, inquiens, ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſequuta. Primò, ſui notitia: deinde ad quædam conſilium, formoſus, vt vitaret infamiam, deformis, vt ſciret redimendum eſſe virtutibus, quicquid corpori deeſſet, iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi, ſenex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit noſmetipſos videndi; fons cuique perlucidus apud leue ſaxum imaginem reddit. Qui non habet ſpeculum præ manibus, poterit habere fontem præ oculis: ergo ſaltem ſeipſum in fonte, tanquam in ſpeculo reſpiciat, qui de fonte bibere recuſat. Non fontem miretur, ſed frontem & faciem in fonte contempletur, quòd ſcilicet ſit rugoſa, ſqualida, deformis, & eam, ſi valeat, corrigat. Vnde Bias apud eumdem Senecam dicere ſolebat. In ſpeculo teipſum contempla Lib. 1. nat. quæſt. c. 17. Ibidem.

templare, & ſi formoſus apparebis, age quæ deceant formam: ſi deformis, quod in facie minus eſt, id morum compenſato pulchritudine.

De quadam vetula dicunt, quòd inuentum in ſterquilinio ſpeculum, iterum in ſterquilinium proiecerit, eo quòd rugas, aliáſque ſuas deformitates in illo aſpexerit. Non miror, inquiebat, ſi in ſterquilinium fuerit proiectum, quod quidquid eſt in facie ſordidum, reddat manifeſtum. Veniebant Iudæi Chriſtum audituri, & in illo tanquam in ſpeculo ſeipſos contemplaturi; non tamen corrigebantur, quia quæ audierant, citò obliuiſcebantur. Nam iuxta Apoſtolum, *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Bonum eſt ſe in ſpeculo conſiderare, ſed melius per ſpeculum ſe emendare. Non prodeſt ſpeculum, licèt aſpiciatur, ſi reſpiciens non corrigatur: ſic nihil nobis proderit verbum Dei, licèt audiatur, ſi opere non adimpleatur. Imò verò, teſte Auguſtino, qui Prædicatorem aliquem laudant, nec ad illius prædicationem corriguntur, ipſi contra ſeipſos teſtes efficiuntur. Vtilitatem autem ex his quæ audiuimus, hauriemus, ſi, ait Plutarchus, cùm ab auditorio ſoli apud nos fuerimus, quæcumque audiuimus correxerimus. Si enim oportet ex tonſtrina ſurgentem accedere ad ſpeculum, caput attrectare, comam ſpectare, vt tonſa ſit, & diſcrimen tonſuræ: multò magis ex auditorio, ſcholáque digreſſus ad ſeipſum debet ſtatim reſpicere, contemplaríque animum ſuum, in qua ægritudine, vel

Iacobi 1.

Serm. 16. de verb. Domini.

Lib. de audiendo.

leuitate

leuitate depoſita leuior euaſerit, & erectior. Ita ſane nihil proficit ad ſpeculum verbi Dei ſe quempiam intueri, ſi maculas non abſtergat, vitam corrigat, virtutibus exornetur, moribúſque componatur. Vocat D. Bernardus Euangelium ſpeculum veritatis, quod nemini blanditur, nullum ſeducit, talem in eo ſe quiſque reperiet qualis fuerit. Serm. 1. de ſeptem panibus.

Iſti Iudæi Chriſtum audiebant, ſed ad Chriſtum non veniebant, audiebant inquam eius verba, ſed non retinebant. Multi ſunt illis ſimiles, audiunt Prædicatores, ſed quæ auribus audiunt, corde non retinent; ſunt veluti vas confractum, in quod ſi aqua infundatur, effunditur & exit. Eſt vir pius ſicut vas integrum, conſeruans & retinens quod ei reponitur: impius verò eſt quaſi vas confractum, liquorem non retinens. Hæc ſimilitudo eſt Spiritus Sancti apud Eccleſiaſticum: *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. Verbum ſapiens quodcumque audierit ſciens, laudabit, & ad ſe adijciet: audiuit luxurioſus, & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt tergum ſuum.* Eccleſ. 21.

Mea doctrina non eſt mea, &c. Hæc verba expendens D. Auguſtinus, ait. Domine, ſi tua eſt doctrina, quomodo non tua? ſi non tua, quomodo tua? tu vtrumque dicis, & tua, & non tua. Ex his verbis oſtendebat Chriſtus, à Patre procedere, & quicquid habebat ab ipſo Patre per æternam generationem habere. Nam iuxta illud Theologicum Axioma, *Quidquid habet Filius, habet à Patre.* Itaque Chriſtus vocat eam doctrinam, ſuam, & non ſuam. *Mea,* inquit, *doctrina*

non

non eſt mea: id eſt, hæc doctrina *eſt mea*, quia mihi communicata; & *non eſt mea*, quia à Patre communicata. Ideo addit, *ſed eius qui miſit me Patris.* Vel illud *(non)* ita intelligitur; mea doctrina non eſt mea, id eſt, non tantùm eſt mea, ſed etiam eius qui miſit me Patris. Vnde ait
Ioan.10. Ioannis 10. *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, & ſicut docuit me Pater, hæc loquor.*

Non debuit Chriſti doctrina conſiderari ſicut noſtra: nam noſtra fuit per partes comparata, modò Grammaticam, nunc Philoſophiam, poſtea Theologiam acquiſiuimus; Chriſti autem doctrina fuit ei ſimul & ſemel ab æterno, à diuino Patre communicata. Hoc adumbratum fuiſſe in illa Chriſti veſte inconſutili
Serm.3. obſeruat D. Ambroſius, de qua ſic Euangeliſta,
Ioan.19. *Erat inconſutilis deſuper contexta per totum.* Sicut igitur hæc veſtis nullam habuit ſuturam, ſiue nullis fuit partibus compoſita, ſed tota inconſutilis & contexta per totum, noſtræ autem veſtes conſuuntur, & partibus componuntur; modò enim aliqua pars vni, modò alia alteri arte conſutili coniungitur: ita Chriſti doctrina non fuit ſicut noſtra, per partes comparata, ſed omnino ei à Patre diuino, ſine aliqua ſutura communicata. Hunc Doctorem audiamus. Noſtra ſapientia, hoc eſt, humana conſuitur, aſſuitur enim, cùm liberos damus ad ſtudia, Grammaticis tradimus, Philoſophis erudimus eos, vt ſapientia in illis quæ non erat acquiratur. Domini autem ſapientia non aſſuta eſt, non quæſita: non enim didicit à Magiſtro, ſicut ipſi Iudæi dicunt: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didice*

didicerit? Et ipſe dicit, *Mea doctrina non eſt mea*, hoc eſt, de hoc mundo, *ſed eius qui miſit me*: hoc eſt quod ait de ſuperiori contextum, &c. Ipſi autem Iudæi hanc doctrinam non mirarentur, ſi hunc eſſe Dei filium confiterentur, & eius voluntatem operarentur; vnde ait.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, hic cognoſcet de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar. Quænam autem ſit Dei voluntas, complectitur D. Cyprianus aurea illa ſententia, Tract. de orat. Dom. quam vtinam omnes, & cordibus, & templis, & domibus ſuis inſcribant: eſt enim ipſa compendium vitæ, & perfectionis Chriſtianæ. Voluntas Dei, inquit, quam Chriſtus docuit & fecit eſt, 1. humilitas in conuerſatione. 2. ſtabilitas in fide. 3. verecundia in verbis. 4. in factis iuſtitia. 5. in operibus miſericordia. 6. in moribus diſciplina. 7. iniuriam facere non noſſe. 8. factam tolerare poſſe. 9. cum fratribus pacem tenere. 10. Deum toto corde diligere. 11. amare in illo quod Pater eſt. 12. timere quod Deus eſt. 13. Chriſto nihil omnino præponere: quia nec nobis ille quicquam præpoſuit. 14. Charitati eius inſeparabiliter adhærere. 15. Cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere. 16. quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confitemur: in quæſtione fiduciam, qua côngredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti velle eſſe, hoc eſt præceptum Dei facere: hoc eſt voluntatem Patris adimplere. Hæc qui fecerit, cognoſcet de doctrinâ Chriſti an ex Deo ſit, vel à ſeipſo loquatur.

Quid autem inter alia Dominus docuit? Audi; *Nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Ex his verbis videtur prohiberi, ex facie & delineamentis præſumptum iudicium. Non enim vſque adeò certum, & infallibile comperitur, ſed plerumque fallax & temerarium. Tritum eſt illud elogium, *fronti nulla fides.* Alibi Dominus, vt à iudicio temerario nos de-
Mat h.7. terreret, ait, *Nolite iudicare, & non iudicabimini:* quaſi illi tantùm ſint iudicandi, qui de aliis temerariè vel ex facie, aut externis geſtibus iudicare præſumunt.

Si hæc Chriſti verba à falſo & temerario iudicio nos non deterreant, ſaltem exempla terreant; exempla, inquam, eorum quibus malè ceſſit, quòd temerariè alios iudicauerint. Nam
Num.12. in primis, Maria ſoror Moyſis, quia temerè iudicauit de fratre propter vxorem eius Æthiopiſ-
1.Reg 1. ſam, percuſſa eſt lepra. Heli Sacerdos, quia Helcanæ coniugem Annam, Dominum toto pectore deprecantem, ex motu labiorum temerè cenſuit temulentam, è ſella deorſum lapſus, fractis cer-
2.Reg.6. uicibus expirauit. Michol vxor Dauid, quia leuitati, non humilitati attribuit, cùm Dauid lineo Ephod accinctus ante Arcam Domini ſaltauit, perpetuam ſterilitatis contumeliam incurrit.
2.Reg.10. Hanom Rex filiorum Ammon, cùm ex vana ſuſpicione, quaſi exploratum terram ſuam veniſſent, legatis Regis Dauidis partem barbæ abradi iuſſiſſet, & veſtes vſque ad nates ſuccidi; pro barbis raſis, capitis ſui diadema, pro ſuccisis verò veſtibus regnum amiſit. Neminem itaque iudicemus.

Diſcipu

Diſcipulorum Domini imitemur virtutem; vbi audiunt Chriſtum dicentem, *Vnus veſtrûm me traditurus eſt*, nullus de alio tam immane ſcelus ſuſpicatus eſt, nemo alium reum fore putat, nullus alterius faciem intuetur, & ſecundùm eam iudicat; ſed vnuſquiſque de ſe ſolicitus eſt, quaſi ſe ſolum inter omnes ſuſpectum habeat, ait enim quiſque, *Numquid ego ſum Domine?* Nos autem non ſic, qui vbi audimus patratum eſſe aliquod furtum, aut homicidium, vel aliquod aliud crimen, ſtatim de aliquo ſuſpicamur; nullus eſt qui dicat, *Numquid ego ſum?* Sed alium quiſque iudicat, licèt Dominum audiamus dicentem, *Iuſtum iudicium iudicate.* Ille iuſtum iudicium non iudicat, qui vel non eſt Iudex competens: vel, qui inexplorata cauſa, parte inaudita, & nullis adhibitis teſtibus, ſententiam profert. Dic peccator: quis te conſtituit Iudicem? à quo habes poteſtatem iudicandi de conſcientia proximi? *Tu quis es, qui iudicas proximum?* Conſcientiæ & cordium noſtrorum Iudex, Deus eſt. Iacobi 4.
Audi ipſum dicentem, *Ego ſum Iudex & teſtis.* Ierem.29.
Vnde & Paulus, *qui iudicat me Dominus eſt.* De 1.Cor.11.
illo etiam Iob, *Ecce*, inquit, *in cœlo teſtis meus.* Iudex igitur cùm ſit, cur tibi arrogas iudicium, quod ſibi reſeruauit? cur illius vſurpas Iuriſdictionem? *Inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas.* Et quamuis de conſcientia proximi tibi licitum eſſet iudicare, debes tamen ſeruanda ſeruare: nam is quem iudicas, eſt audiendus; & Deus, qui teſtis eſt, adhibendus. Tu nondum teſtem audiuiſti, neque reum interrogaſti; cur ergo iudicaſti? Crede mihi: vis iuſtũ iudicium iudicare? teipſum

Iob.16. Rom.2.

interroga, conſcientiam tuam ſcrutare; iudica teipſum, profer in te ſententiam, & dic, vt lingua tua confiteatur peccata tua, & manus
Aug. tuæ reſtituant ablata. Hoc conſulebat D. Auguſtinus. Conſcende tribunal mentis tuæ, voca teipſum ante teipſum, &c. Quia, teſte Apoſtolo,
1. Cor. 11. *ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, &c.

Cæterùm obſerua, quòd docente Domino in templo, mirabantur quidem Iudæi, ſed *nemo miſit in eum manus*: alibi etiam dicitur, quòd *erat docens in templo, & nemo apprehendit eum*. Venientibus Iudæorum miniſtris in hortum, vt eum caperent, dixit Ieſus, *Quotidie apud vos eram docens in templo, & non tenuiſtis me*. Ibi Iudæos reprehendebat, & illum Iudæi non apprehendebant; audiebant illi docentem, & ille non habebat
Orig. in eũ locum. capientem. Huius rei rationem aſſignat Origenes. Eius enim verba valentiora erant his, qui eum volebant comprehendere: & quamdiu dicit, nemo eum comprehendit, ſed ſi taceat, tum denique tenebatur. Itaque dum in eum Pilatus inquirit, cúmque flagris cædit, tacet: ſi enim locutus eſſet, in Crucem ſublatus non eſſet. Ipſo loquente in horto, ceciderunt in terram milites,
Ioan. 18. *Vt ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Si ſemper ita locutus fuiſſet, nunquam captus, nec quicquam ab eis paſſus fuiſſet. Verùm fuit Chriſto tempus loquendi, & tempus tacendi: tempus autem tacendi, fuit ei tempus patienti. Itaque docente illo in templo, erat ei tunc tempus loquendi, ſed non eum capiendi; vnde ait Euangeliſta.

Quare

Quærebant eum apprehendere, & nemo miſit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Hora eius vocatur tempus paſſionis. Quare? Cæteris rationibus prætermiſſis, dico quòd ideo illud tempus vocatur hora Chriſti, quia tunc nolebat Chriſtus alium pati præter ſe: vnde Iudæis ipſum in horto quærentibus dixit, *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire* Quaſi diceret ſecundùm D. Ambroſ. non quæro conſortem paſſionis: nolo vt aliquem eorum qui mecum ſunt, lædatis, ſicut enim hoc tempus meum eſt, hæc hora mea; ſic volo vt mea ſint omnia tormenta, quæ hoc tempore, & in hac hora inferuntur. Vnde meritò increpauit Petrum, quòd ſeruum Pontificis percuſſiſſet, eiúſque auriculam abſcidiſſet. Non erat tunc Malcho tempus patiendi, ſed Chriſto, ideo nolebat Chriſtus vt alius, niſi ipſe pateretur. Cur? dicat Diuus Bernardus. Ea hoſtia ſicut ſola prodeſſe potuit, ſic ſola ſufficit.

Ioan 18.

In Pſal. 61.

Serm. 3. de Paſſ.

Obſeruandum eſt, hoc tempus paſſionis non tantùm eſſe horam Chriſti, ſed & Iudæorum: Chriſtus enim dixit eis, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Quaſi diceret: hæc hora paſſionis, & mea, & veſtra eſt; mea, quia ſummopere deſidero tormenta inferri. Meā, quia in ea ſolus ego volo pati pro redemptione generis humani: veſtra, quia in ipſa datur vobis poteſtas capiendi, ducendi, accuſandi, flagellandi, iudicandi, & crucifigendi me. Hoc autem volebatis aliquando me prædicante in templo perficere, quando quærebatis me apprehendere; ſed non potuiſtis, *quia nondum venerat hora mea.*

Ioan. 18.

Quanto autem Chriſtus teneretur deſiderio patiendi, declarant hæc verba, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Hæc diſcipulis protulit, dum corpus ſuum manducandum contulit: cupiebant carnifices laniare Chriſtum; ſed ipſemet Chriſtus ad lanienam feſtinauit. Nam *pridie quàm pateretur, accepit panem*, &c. Chriſtus enim expectando paſſionem, præuenit paſſionem, dum memoriam inſtituit paſſionis. Antequam mactaretur & ſacrificaretur, ipſe ſe in oblationem & victimam obtulit, ſub ſpeciebus panis & vini. Adeò ad mortem currebat, ſic anxius erat de effundendo ſanguine, vt non ſuſtinens Pilati & hoſtium tarditatem, adinuenerit modum quo illorum rabiem præueniens ſeſe mactaret, dum ſanguinis poculum & ſuæ carnis eſum præpararet. Sanguis fundendus in Cruce, iam fundebatur in calice: corpus capiendum à Iudæis, iam ſumebatur à diſcipulis. Antequam Pilatus de Chriſto diceret Iudæis, *Accipite eum & vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate*, voluit ipſe dicere diſcipulis, *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Nondum venerat hora moriendi; ſed iam aderat hora memoriale mortis inſtituendi: vel ad hoc Chriſtus illud Sacramentum inſtituit, vt ardentiſſimum moriendi deſiderium oſtenderet. Hæc excogitatio eſt Diui Gregorij Nyſſeni ſic ſcribentis. (Homil. 5. de Reſur.) Qui omnia pro Dominica poteſtate & authoritate adminiſtrat, non expectat Pilati iudicium, ſed per ineffabilem, & arcanum ſacrificij modum, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe in oblationem & victi-

mam

mam offert pro nobis, Sacerdos ſimul & Agnus Dei. Vnuſquiſque ſuam horam mortis præueniat, non occidendo, ſed macerando, & præparando ſe. Audi clamantem, ſimul & monentem: *Eſtote parati, quia neſcitis diem, neque horam.* Cùm nobis non ſit illius horæ præcognitio, ſit ſaltem in nobis ad illam horam præparatio.

FERIA QVARTA
poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

Præteriens IESVS *vidit hominem cæcum.* Ioan. 9.

DE Chriſti oculis ſic Ioannes, *Oculi eius tanquam flamma ignis.* Sicut enim ignis flamma lucernam extinctam accendit & inflammat: ita oculi Domini cùm extinctas lucernas, id eſt, cæci oculos, attigerunt, illas inflammarunt. Quòd Chriſti oculi fuerint quaſi lux, & oculi cæci veluti lucerna extincta, affirmat Ambroſius his verbis. Quaſi lux Chriſtus tetigit cæcum, & lumen infudit, &c. Hoc autem Apoc. 5. Epiſt. 5.

accidit, quando *præteriens Ieſus vidit hominem cæcum.* Præteriens Medicus, non præteriuit mendicum; vidit hominem à quo videri non poterat: oculos coniecit in oculos; oculos ſuos clariſſimos, in oculos cæci obſcuriſſimos; oculos miſericordiæ, in oculos miſeriæ; oculos cœleſti ſplendore plenos, in oculos tenebris oppletos; oculos videntes in natiuitate, in oculos cæci à natiuitate, &c.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum. Iacob ſpiritu prophetico agnoſcens quales futuri eſſent Meſſiæ oculi, benedicendo Iudæ, ex cuius tribu
Geneſ. 48. eſt oriundus Meſſias, ait. *Pulchriores ſunt oculi eius vino:* vel, vt alij legunt, *rubicundiores* (id eſt ardentiores, & efficaciores) *ſunt oculi eius vino.*
Pſalm. 103. Præcipua vini efficacia eſt lætificare, & corroborare cor, iuxta illud, *Vinum lætificat cor hominis.* Et apud Athenæum, vinum vocant aliqui expellens mœſtitias. At oculi Domini magis lætificant, quia illuminant: ille enim triſtatur, qui oculis orbatur, vt patet in Tobia, & gaudio afficitur, cui viſus reſtituitur. Itaque Dominus hunc cæcum lætificauit, quando illum reſpiciens illuminauit. Reſpiciat ergo in nos Dominus; ille enim deſpicitur, qui ab eo non reſpicitur: fœlix autem, in quem oculi Domini. Nihil magis lætificauit, & illuſtrauit filium prodigum, quàm viſus patris. Hoc obſeruauit Diuus
Serm. 3. de filio prodig. Chryſolog. Patris, inquiens, viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ de reatu fuerat circumfuſa. Nam
Luc. 15. de illo dicitur, quòd *cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt.* Tunc

pater

pater eius miſerebatur, dum miſeriam filij contemplabatur.

Negauerat Petrus Dominum, nec dignabatur peccati pœnitere, donec eum reſpexit Dominus. Hoc adnotauit Ambroſius. Negauit primò Petrus & non fleuit, quia non reſpexerat eum Dominus: negauit ſecundò, non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negauit & tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè fleuit. Reſpice Domine Ieſu, vt ſciamus noſtrum deflere peccatum, lauare crimina. Nunquam Abelis ſacrificium Domino placuiſſet, niſi ad illud Dominus reſpexiſſet. *Reſpexit ad Abel, & ad munera eius*: vel, vt Theodotion vertit, *inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius.* Vide quòd idem eſt reſpicere, & inflammare. Qui igitur munera reſpiciendo, inflammauerat, nunc cæcum reſpiciendo & videndo, illuminabat. Cùm tantæ ſit vtilitatis viſus diuinus, dicat vnuſquiſque cum Dauide: *Reſpice in me, & miſerere mei*: nam *pulchiores ſunt oculi tui vino.* Ambr. Geneſ 4. Pſalm. 24.

Sciſcitantibus autem à Chriſto diſcipulis, quis peccauerit, an hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur, prudenter reſpondet Chriſtus, *Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Diſcipuli enim ſua interrogatione præbuerant Magiſtro occaſionem diſcooperiendi peccata, aut pueri, aut parentum, *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius?* Ieſus autem aſſeuerat, neque hunc, neque parentes peccaſſe. Hac reſponſione docet nos peccata proximi non reuelare. Qui enim aliena peccata manifeſtat, ſimilis

eſt homini ſtercus & fimum commouenti. Audi Chryſoſtomum. Si quis te prætereunte ſtercus commoueat, nónne hoc facientem reprehendis? Hoc fac & circa detractorem; non enim ſic commotum ſtercus illum fœtoré ſuſcipientem cartilaginem percellit, ſicut aliena peccata excuſſa & commota, atque vita aliorum impura prodita, audientium animos contriſtare & conturbare ſolet. Non placet Domino alienæ culpæ manifeſtatio.

Homil. 5. ad pop.

Neque hic peccauit, neque parentes eius. Hac reſponſione non dicit Dominus hunc hominem & parentes eius nullum habuiſſe peccatum, ſaltem enim contraxerant originale peccatum, quod eſt cauſa, non propinqua, ſed remota omnium infirmitatum, & laborum. Sed, quia erat quæſtio de cauſa propinqua, non de remota, ideo aſſerit Chriſtus ipſos non peccaſſe. Eſt, inquam, originale peccatum cauſa remota omnium pœnarum, quæ homini accidunt, & comparatur mari, *à quo exeunt omnia flumina.* Et ſicut qui prudenter ſe gerunt, ſolent ad ſuam vtilitatem vti aqua, quæ remotè exit à mari, & redit ad mare, verbi gratia, molitor ea vtitur ad molendum frumentum: hortulanus eam ſumit & conducit ad irrigandum hortum. Nullus eſt qui non vtatur aqua, tam ad bibendum, quàm ad lauandum, licèt exeat à mari. Sic licèt omnes pœnalitates oriantur tanquam ex remota cauſa à peccato originali, ſcilicet orbitates, paupertates, infirmitates; tamen multi ſunt, qui ex eis maximam hauriunt vtilitatem, illas patienter ferendo.

Eccleſ. 1.

Neque

Neque hic peccauit, neque parentes eius. Quibus verbis oſtendit Chriſtus, nobis non eſſe inquirendum cur Deus huic, aut alteri immittit aliquam calamitatem, ſed pro certo habendum, nihil nobis contingere abſque peculiari Dei prouidentia, & *vt manifeſtentur opera Dei* in nobis. Cæterùm, licèt de nullo debeamus iudicare: tamen, quando nobis aliquid accidit aduerſi, debemus noſtram examinare conſcientiam, ac ingenuè confiteri, id nobis accidere propter peccata noſtra.

Iuſtus erat Iob; ſed non ita iuſtus, quin aliquid haberet, quod purgatione indigeret. Hoc ipſe agnouit, dum *ſedit in ſterquilimo*, vel, vt alij legunt, *in cinere.* Solebant enim pœnitentes ſedere in cinere. Sic fecit Rex Niniuæ. Vt igitur Ionæ 3. oſtenderet Iob hoc ſibi contingere propter peccata ſua, ipſemet ad modum pœnitentis ſedit in cinere, atque dixit: *Ego me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Vide illum agere pœnitentiam, qui nullam in ſe animaduerterat culpam, & qui dicebat, *In omni vita* Iob. 27. *mea non me reprehendit cor meum.* Dicat itaque Auguſtinus. Percuſſus eſt Iob, cœpit putreſcere, ita vt eum ſcatentes globi vermium exararent. Serm. 22. de temp. Ipſe tamen quamuis eſſet iuſtus, non tamen fuit ſine peccatis; neque enim melior erat Sancto Ioanne Euangeliſta, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Per illam enim crudeliſſimam pœnam minuta peccata purgabantur.

Expende hæc vltima verba (*Per illam crudeliſſimam pœnam minuta peccata purgabantur*) & dic:

& dic: Si minuta peccata Iobi tam graui pœna purgata ſunt; quali pœna purgandæ ſunt noſtræ grauiſſimæ culpæ? Si is, qui neminem deſpexerat, tamen à propria vxore deſpicitur. Si is, qui fuerat pater orphano, claudo pes, cæco dux, pauperi adiutor; ab omnibus tamen in ſterquilinio derelinquebatur. Ille, inquam, qui neminem læſerat, neminem percuſſerat; tamen percuſſus fuit à planta pedis vſque ad verticem capitis, quanta ſunt digni animaduerſione, quantam debent ſuſtinere pœnam, qui aliena rapuerunt, multos læſerunt & contempſerunt, ptoximo detraxerunt, nemini opem tulerunt,& multa nefanda commiſerunt? Si neque hic mendicus, neque parentes eius peccarunt, ipſe tamen cæcus natus eſt; putas, qualis futurus es, qui hic tam multa patraſti crimina? Nullo quidē peccato hāc meruerat cæcitatē:ſed, ne reſtituto ſibi viſū aliquod in poſterū committat,luto ſuper oculos indigebat: vnde dicitur.

Liniuit lutum ſuper oculos eius. Cui reſtituendus erat viſus,rectè apponitur lutum: quia nihil niſi lutea viſurus erat. Talia ergo erant ei à Chriſto conſpicilia, *lunettes*, adhibenda, vt res, prout ſunt, videret. Liniuit igitur Dominus lutum ſupet oculos eius, quaſi ei dicendo: Nihil hactenus videras; nunc autem ex his quæ viſurus es,quædam pulchra eſſe tibi videbuntur, ſed ſcito, quòd quidquid hic habebis præ oculis, luteum eſt, & præcipuè quæ magis ſolent animos hominum allicere, veluti aurum, argentum, humana corpora, & ſimilia, quæ vt talia, id eſt, lutea repures, & contemnas, volo

ſuper

ſuper oculos tuos lutum linire, ne ſua ſpecie valeant te delinire. A diabolo ſunt quæ fallunt ſpecie, inquit Chryſologus. Qui autem hæc temporalia & lutulenta diligit, ſimilis eſt ſui, de qua Horatius, *Amica luto ſus.* Serm. de ſcandalo tollendo. Lib. 2. epiſt. 2.

Multis nocuit viſus. Diuus Bernardus deſcribit oculos in genere eſſe occaſionem peccati, indicium culpæ commiſſæ, & cauſam committendæ. Nam cor ſæpe non optaret, niſi oculus monſtraret; nec concupiſceret, ſi oculus non reſpiceret. Vnde ſic Euam, fructum moroſo intuitu conſiderantem, alloquitur. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia lumina iacis? quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquit, tendo, non manum: non eſt interdictum, ne videam, ſed ne comedam. Hoc etſi culpa non eſt, culpæ tamen indicium eſt: te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur. Auget curam, dum incitat gulam: acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem: offert tandem prohibitum, & aufert conceſſum, porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum: haurit virus peritura & perituros paritura. De grad. humilit.

Eſt igitur oculorum viſio frequens peccandi occaſio, & vix à corde expellitur, quod ei ſemel imprimitur. Vnde Saluianus: Oculi, ait, ſunt feneſtræ noſtrarum mentium, & naturales cuniculi. Flante aliquo nociuo vento clauduntur feneſtræ; nocerent apertæ, & proſunt clauſæ. Ita arcendi ſunt oculi ſuggerente dæmone, atque vt decipiat illicita præmonſtrante. Illud ergo claudatur per quod ingreditur, quod te aggreditur. Lib. 3 de prouid.

Lib.3. Pæd. cap.11. ditur. D. Clemens Alexandrinus vocat oculos primam originem, inſtrumentúmque amatoriæ faſcinationis. Illis enim abutenti ſunt multorum malorum cauſa. Hinc Poëta,

Ouid. Epiſt. 12. *Tunc ego te vidi, tunc cœpi ſcire quis eſſes,*
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perij.—

Sunt etiam oculi veluti latrunculi deprædantes Ierem 3. animam. Hac de re conqueritur Ieremias in perſona peccatoris: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Deprædatur, ſi illicita intueatur. Lib.21. Mor.2. Vnde Gregorius hunc locum afferens, & explicans, ſic ſcribit & monet. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*; concupiſcendo enim viſibilia inuiſibiles virtutes amiſit. Per oculum corporis pertulit prædam; vnde nobis ad cordis munditiem, ſenſuum diſciplina ſeruanda eſt.

Valdè perpendendum eſt quid de oculo Scri-Eccl 31. ptura dicat ob illicitas viſiones: *Nequius oculo quid creatum eſt?* Non quòd oculus in ſe nequam ſit; ſed quia homo illo abutens nequam fit. Ocu-Gen.34. lis Dina nequam facta eſt, nequam Dauid, nequiſſimi illi, qui videntes olim filias hominum, quòd eſſent pulchræ, illas adamarunt, illíſque abuſi ſunt, atque ob id aquis diluuij deleti ſunt. Meritò igitur Seneca cuidam cæcitatem de-Seneca. ploranti ſic loquebatur. Oculos te perdidiſſe ploras? habet nox ſuas voluptates. Quàm multis cupiditatibus via inciſa eſt? Huic oculi adulterium monſtrant: huic inceſtum: huic domum, quam concupiſcat: huic vrbem & mala omnia; certè irritamenta ſunt vitiorum, ducéſque ſcelerum.

Petrus Abbas Claraualleſis cùm ex vi morbi vno orbaretur oculo, monoculus dixit: *Vnum de inimicis euaſi, & plus à reſiduo formido.* Oculum vocabat ſuum inimicum, ob damna quæ interdum & ſæpe ex oculis oriuntur. Scribit etiam Hieronymus quoſdam Philoſophos effodiſſe ſibi oculos, ne à contemplatione philoſophiæ auocarentur. Ideo ſic Abiganum cæcum conſolabatur. Ne doleas, ſi non habeas quod formicæ, & muſcæ, & ſerpentes habent, id eſt, carnis oculos; ſed illum te oculum habere lætare, quo Deus videtur, de quo à Moyſe dicitur: *Tranſiens videbo viſionem hanc magnam.* Denique quoſdam etiam mundi Philoſophos legimus, vt totam cogitationem ad mentis puritatem cogerent, ſibi oculos eruiſſe. Lib. 2. cons Iouin.

Vocat D. Baſilius ſenſus corporis noſtri, & præcipuè oculos, animæ noſtræ pronubas. Lib. de virginit. Pronubæ ſecundùm Donatum dicuntur, quæ nubentes domum mariti deducunt ac comitantur. Vel poteſt etiam ſumi pronuba, vel pronubus, pro eo qui ſe immiſcet matrimoniis contrahendis: Hiſpanicè vocatur *Caſamentero*; fortè, quia interdum caſu mentitur, plus promittens vni parti, quàm par ſit, & quàm ſit: ita vt altera pars decipiatur, videns poſt contractum matrimonium illa non ſibi dari, vel in alia parte deſiderari, quæ à pronubis promittebantur; quod ſæpe contingit. Ita, quia oculi noſtri plus delectamenti, plus pulchritudinis, plus commodi, quam in rei veritate ſit, animæ noſtræ ſuggerunt, & promittunt, meritò pronubi vocantur. Euæ oculi fuerunt ei pronubi mentientes: nam

vidit lignum quòd eſſet pulchrum, & ſuaue ad veſcendum. Non erat ita pulchrum, nec tam ſuaue, ſicut promittebant oculi, nec in eo diuinitas, immortalitas, & ſuorum oculorum aperiendorum facultas continebatur, ſicut promittebatur.

Orat. 2. cōt. Iulian. Vnde Gregorius Nanzianz. Facilè, ait, impoſturam facit, quidquid delectat. Hoc patet in multis. Nam ſenes Suſannæ pulchritudine capti, fuerunt decepti, quod vni eorum exprobrans

Dan. 13. Daniel dixit; *Species decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Sic fuit deceptus Holofernes

Iudith 10. viſa Iudith, quæ *cùm intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.* Dicat igitur Sa-

Eccl. 9. piens; *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.*

2. Petr. 4. Diuus Petrus nonnullos ſcribit fuiſſe *oculos habentes plenos adultery, & inceſſabilis delicti*, id eſt, habentes oculos, quibus inceſſanter peccabant, modò hanc, modò alteram mulierem reſpicientes concupiſcendo, & concupiſcentes reſpiciendo: eſt enim humanus appetitus inſatiabilis.

Lib. 3. Pæd. cap. 11. Ideo ſunt oculi maximè arcendi. Obſeruat Clemens Alexandrinus, quòd ante totum corpus corrumpuntur oculi. Cor quidem eſt primum viuens, vltimum moriens: contrà verò, oculi vltimò viuunt, & primò moriuntur. Quod à ſapientiſſimo rerum omnium conditore ita ſtabilitum eſſe crediderim, vt primò oculus deficiat, ne cor amplius inficiat.

Vnde morientibus clauduntur oculi; quæ conſuetudo viguit etiam apud priſcos. Iacob

Geneſ. 46. morituro in Ægypto dictum eſt à Deo, *Ioſeph ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.* Obſeruabatur etiam apud Ethnicos: nam Penelope

ſcribens

ſcribens ad Vlyſſem, vt Telemachus filius vtriuſque parentis oculos clauderet, ſic precabatur,

Ille meos oculos comprimat, ille tuos. Ouid.

Cur hoc? vt diſcamus viuentes arcere oculos, dum periculum eſt ne illicita reſpiciant; cùm étiam nobis mortuis, nullo imminente periculo, comprimendi ſint. Volens igitur Dominus aperire oculo huius cæci, *liniuit lutum ſuper oculos eius*; vt primò terram ex qua plaſmatus eſt, & ad quam reuerſurus eſt, aſpiceret, & in eam ſæpe oculos defigeret, ne à conſideratione & cogitatione ſui recederet, & cœlum amitteret. Vnde ad eum ſic Ambroſius. Tibi Chriſtus impoſuit lutum, id eſt, conſiderationem tuæ fragilitatis.

Rurſus *liniuit lutum*, vt innueret, hæc omnia quæ viſurus erat hic cæcus, non tantùm eſſe lutea, ſed & caſura. In hoc mundo nihil fixum, nihilque ſtabile eſt, ſed omnia fluxa. Conquerebatur olim Deus apud Ezechielem de quibuſdam pſeudoprophetis, quia minante Domino bellum populo, vt reſipiſceret, ipſi promittebant pacem & firmitatem. *Erit manus mea ſuper Prophetas, eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non eſt pax; & ipſe ædificabat parietem, illi verò liniebant illum luto abſque paleis.* Ædificabat populus parietem, id eſt, muros Hieruſalem, Deus autem dixerat illos ruituros & caſuros propter peccata eorum: ſed falſi Prophetæ promittebant, quod Deus non promiſerat, ſcilicet pacem, atque ita fouebant populum in ſuis peccatis; & hoc erat, *linire luto abſque paleis, & abſque* Ezech. 13.

Et habetur 46 diſtinct. c. Sunt nonnulli. *temperatura.* Nam, teſte Gregorio, parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur. Liniendo itaque Dominus lutum ſuper oculos cæci, idem eſt, ac ſi ei diceret: videbis quidem deinceps, ſed caſura videbis: ſicut enim lutum, quod ego liniui ſuper oculos tuos, caſurum eſt lauante te ad natatoria Siloe, ita hæc omnia quæ viſurus es, caſura ſunt & peritura. Caue ergo ne ea diligas, ne tibi cum perituris perire contingat. Epiſt. 59. Quicquid vides, ait Seneca, currit cum tempore; nihil ex his quæ videmus, manet. Et alibi idem Philoſophus miratur, quòd res pe- Epiſt. 110. rituras miremur, & amemus. Quid miraris: pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt. Deinde, quid quærere & mirari debeamus, oſtendit. Mittamus animum ad illa, quæ æterna ſunt: miremur in ſublime volitantes rerum formas, Deúmque inter illas verſantem.

Præterea dico, Chriſtum etiam *liniuiſſe lutum ſuper oculos eius*, vt ſtatim videndo lutum, inui- Senec. taretur ad luctum. Notat Seneca, ingenti prouidentia Deum poſuiſſe in oculis viſum, & fletum, vt qui delictum committunt videndo, pœnas exoluant deflendo. Illi flere merentur, qui offendere non verentur. Dolebat Tobias, quòd Tob. 5. cæcus cœlum videre non poterat. *Quale gaudium mihi erit, qui lumen cœli non video?* Sed doleat iſte cæcus, quòd terram videat, & quòd alia multa viſurus ſit ad fletum mouentia: ita vt dicat idem In conſolat. ad Polybiũ. Seneca. Larga vbique, & aſſidua flendi materia. Lacrymæ nobis priùs deerunt, quàm cauſa dolendi.

Præterea,

Præterea, *liniuit lutum*, &c. tum vt ſe eſſe hominis conditorem, tum vt ex quo homo plaſmatus erat, oſtenderet. Ex luto fecit Deus hominem, ex luto reſtituit oculos homini. Si veſti pars aliqua deeſt, ex ſimili panno reſarcitur. Eumdem in modum deerat corpori huius hominis vna ex præcipuis partibus, ſcilicet oculi, ex eodem panno, ex quo corpus factum eſt, id eſt, ex luto reficitur. Hæc obſeruatio eſt D. Auguſtini. Non aliter Chriſtus vitium corporis emendauit, quàm conditor fecit; per id emendauit, quo erat conditum. Idem obſeruatur à D. Ambroſio, & eamdem huius impoſitionis luti affert rationem, dum ſic ſcribit. Cæco viſus luto reformatur. Iubere potuit Chriſtus, ſed operari maluit, vt cognoſcamus ipſum eſſe, qui è limo terræ corporis noſtri membra formauit.

Quæſt. 37. in nouum Teſtament.

In Lucam.

Liniuit oculos eius. Obſerua, Chriſtum adhibuiſſe remedium, vbi erat infirmitas. Si quis haberet brachium læſum & vulneratum, non bene curaretur, ſi pedi aut alteri parti cataplaſma imponeretur. Læſi erant oculi huius mendici; liniri debuerunt, non brachia, non pedes. Optimè igitur *liniuit oculos eius.* Multi non bene curantur, quia vbi conuenit, remedia non applicantur. Læſa eſt, verbi gratia, conſcientia tua, ſi crumena tua impleatur pecunia aliena. Quid agendum, vt curetur conſcientia tua? Extrahenda eſt pecunia ex crumena tua, non ex aliena, & ei, cuius eſt, non alteri, reſtituenda.

De ſexaginta fortibus, qui ambiebant & cuſtodiebant thronum Salomonis, ait Scriptura, quòd *erant ad bella doctiſſimi*, & quòd *vniuſcuiuſque* Cant. 3.

enſis erat ſuper femur ſuum. Per enſem intelligit
Lib.20. Mor.c.3. Gregorius mortificationem, corporiſque maceratione, & per femur, concupiſcentiam. Sicut enim enſis defertur ſuper femur ad defendendum corpus: ita gerenda eſt mortificatio ſuper concupiſcentiam, vt anima ſeruetur Deo. Cùm igitur vita noſtra militia ſit ſuper terram, videat vnuſquiſque vbi ſuum habeat enſem. Quid militat aduerſum te? luxuria, carnis concupiſcentia. Noli ab illo femore amouere enſem. Quid agis ad reſiſtendum huic vitio? Hoſpitalia viſito, Roſarium recito. Optima ſunt hæc; veruntamen iſta non ſunt arma, & enſis huius femoris: ieiuniis potiùs, corporis maceratione & diſciplinis reprimitur concupiſcentia. Vexat te rapina? Quibus vteris armis ad ei reſiſtendum? Frequento Sacramenta, ſæpe peccata confiteor. Optimum ſanè, verùm proprius & principalis enſis ad confodiendum hoc vitium, reſtitutio eſt. Debes enim reddere alteri, quod ſuum eſt; alioquin nihil tibi proderunt peregrinationes, & confeſſiones, nec alia bona opera. Adhibendum eſt igitur remedium, vbi debet adhiberi, ſicut & Dominus manus ſuas poſuit vbi erant ponendæ. Volens aliquando curare
Marc.7. ſurdum & mutum, *tetigit linguam eius: & miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Ita & nunc reſtituendo viſum huic cæco, *liniuit oculos eius*: & poſtmodum ait ei.

Vade ad natatoria Siloe. Miſſus mittit ad miſſum, dum Chriſtus miſſus à Patre, mittit hunc cæcum *in natatoria Siloe, quod interpretatur miſſus:* quia fuit tẽpore Regis Ezechię diuinitus datus,

&

& miſſus ille fons. Quod potiùs iſte ad Siloe, quàm ad probaticam, vel ad aliam piſcinam mittatur, non caret myſterio; quod expendens Auguſt. ſic ſcribit. Secretum quoddam inſinuat, quod tamen linguæ incognitæ nomé niſi Euangeliſta interpretatus eſſet, magnus intellectus lateret. Ecce Euangeliſta in fonte Siloe, id eſt, miſſi, vel miſſum; vt aurem erigas, & dum audis Siloe, ipſum Chriſtum intelligas. Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 16.

Quædam itaque conſiderantur in iſtò fonte Siloe, quæ vere Chriſtum Meſſiam repræſentabant. Primò, ortum ſuum ducebat & emanabat ex monte Sion, qui, teſte Ioſepho, vocabatur aliàs mons Dauid, quia in eò fuit ædificatum Palatium Dauid. Sic Chriſtus natus eſt ex Virgine orta ex ſtirpe Dauid: vnde ait Paulus, *Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Lib. 4. de bello Iud. c. 6. & 7. Ad Tit. 3.

Secundò, iſte fons fluebat ſine ſtrepitu, & cum ſilentio, teſte Propheta: *aquæ Siloe vadunt cum ſilentio.* Quanto cum ſilentio natus ſit Chriſtus, dixerant Pater & Filius, nempe Dauid & Salomon. Ille ſic ait: *Deſcendit ſicut pluuia in vellus.* Hic autem: *Cùm medium ſilentium tenerent omnia,* &c. De eius ſilentio ſic prædixerat Iſaias: *Non clamabit, non vocif. abitur, non audietur vox eius foris.* Tantum fuit eius ſilentium, vt ſiluerit vſque ad annum trigeſimum; poſtea accuſatus apud Pilatum, tacebat. Sic enim quoque de illo ſcriptum erat, *Tanquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Vnde Climacus. Ieſu ſilentium admirationi, & reuerentiæ Pilato fuit. Iſai. 8. Iſai. 42. Iſai. 53. Lib. de vita & interitu Prophetar. cap. 7.

Tertiò, & eſt obſeruatu digniſſimum, refert D. Epiphanius, quòd, licet iſte fons aquis abun-

daret, veruntamen Iudæi tantùm fruebantur huiuſmodi aquis, non autem infideles. Nam obſidentibus Chaldæis ciuitatem Hieruſalem, milites aquam in illo fonte non inueniebant: exſiccabatur Chaldæis, quia erant infideles, ſcaturiebat Iudæis, quia fideles, & Deum agnoſcebant. Hoc ponderat Baronius, qui etiam refert ex Ioſepho, in Palæſtina fontem extitiſſe, qui

Lib. 7. de bel. Iud. cap. 24.

fluebat ſingulis diebus hebdomadæ, dempto Sabbato, quo die ceſſabat; vnde dicebatur *fons Sabbaticus.*

At verò iſte fons Siloe, qui ſolis Iudæis aquas ſuppeditabat, & Gentilibus denegabat, poſtea mortuo Chriſto, & obſidente Tito Hieroſolymam, exſiccatus eſt Iudæis Chriſtum negantibus, & communicatus eſt Romanis Gentilibus, Chriſti mortem vindicantibus. Refert enim

Lib. 7. de bel. Iud. c. 8.

Ioſephus, quòd paulo ante aduentum Titi ceſſauit iſte fons, vt Iudæi aquam ex eo haurire minimè poſſent. Aduentante autem Tito cum ſuo exercitu, cœpit denuò ſcaturire, & aquis abundare, non tantùm ad bibendum, ſed ad campos irrigandos.

Iuſto Dei iudicio, Siloe, id eſt, fons miſſus aquam non mittebat his, qui miſſum à Deo Patre non agnouerant. Mirabile dictu! Quod Chriſtum repræſentabat, populo Chriſtum neganti ſe denegabat. Tunc exſiccato Iudæis iſto fonte, exiſtimat Hieronymus adimpletum

Ierem. 14.

fuiſſe illud Ieremiæ: *Maiores miſerunt minores ſuos ad aquam. Venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua vacua. Confuſi ſunt & afflicti,* &c.

Licet

Licèt pro omnibus Chriſtus venerit; tamen potiſſimùm & ſpecialiter ad Iudæos miſſus fuerat, per ſeipſum illis prædicaturus, & miracula operaturus. Vnde ipſe ait, *Ego non ſum miſſus, niſi oues quæ perierunt domus Iſraël.* Verùm, quia eum Iudæi non receperunt, imò omnino negarunt, & aperto ore clamarunt, *Tolle, tolle, crucifige eum, &c. nolumus eum regnare ſuper nos*; idcirco eo, & aqua doctrinæ eius priuari, & miſerè perire meruerunt. Hoc longè antè prædixerat & comminatus fuerat Iſaias: *Pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes.* Non propter aquarum Siloe contemptum, ſed propter Chriſtum aquis Siloe repræſentatum, abiectus eſt & contemptus populus Iudaicus: cui etiam meritò duo Apoſtoli hæc exprobrarunt; *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quia repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Chriſtus ipſe hoc ſatis etiam nunc innuebat, dum *exiuit de templo, & præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate.* Vide quòd egreſſus templo, incidit in cæcum; cæcis relictis, cæcum curauit, id eſt, Iudæis ob eorum infidelitatem derelictis, cæcum, id eſt, Gentilem populum illuminauit. Ita myſticè exponunt Græci. Vnde & Cyrillus. Iudæorum delictum, ſalus eſt Gentibus.

Iſai. 8.

Act. 13.

Ioan. 8. & 9.

In Cathena.

Vade, & laua ad natatoria Siloe, &c. Quid eſt opus, vt mittatur ad Siloe, cùm vel iam curatus fuerit; aut ſaltem potuerit à Chriſto curari, licèt eò non mitteretur? Conſueuerat Chriſtus etiam in operatione miraculorũ, vt quod pote-

rat homo, præſtaret: ſic iuſſit paralytico vt tolleret grabbatum ſuum;& leproſo vt adiret Sacerdotem, eique ſe oſtenderet. Hoc facilè agere poterant, Chriſtus autem imperticbatur quod ipſi non valebant. Quo facto oſtendit, etiam in collatione gratiæ debere hominem præſtare quod in ſe eſt.

Ioan. 8. Deprehenſa muliere adultera, ac Domino præſentata, *Ieſus inclinauit ſe, & digito ſcribebat in terra.* Quid ſcribebat? Peccata accuſantium, ait Hieronymus. Cur in terra & ad pedes eorum? vt facili negotio poſſent ea delere, pedibus terendo. At ipſi adeò erant obſtinati, vt *vnus poſt alium abierit*, nec paſſum quidem ad delenda ſua peccata præſtare voluerint. Sunt multi iſtis ſimiles, qui ex parte ſua nihil operari volunt, vt peccatorum remiſſionem conſequantur.

Lib. 2. cont. Pelag. c. 6.

Poterat Deus hunc cæcum curare, licèt ad natatoria Siloe non lauaret: verùm vult vt in his quæ ſpectant ad ſalutem tam animæ quàm corporis, hoc homo præſtet, quod præſtare poteſt, & ipſe operabitur, quod homo operari non poteſt: propterea congruè mittitur cæcus ad natatoria Siloe. *Abijt ergo, & lauit*, hoc enim præſtare potuit, *& venit videns*; hoc non poterat, ſed Deus præſtitit. Nam vbi creturarum operatio poteſt intercedere, amat Deus ab extraordinariis quieſcere. Id quod maximè claruit in Incarnatione Verbi, in qua poſtquam diuina virtus ſuam efficaciam oſtendit in efformanda Chriſti carne ſine virili ſemine, & in educendo fœtu ſine matris corruptione; vbi ad impoſitionem nominis ventum eſt, quæ creaturæ poteſta

poteſtatem non excedebat, Ioſepho relinquitur, ſic enim ab Angelo dicitur, *Ioſeph fili Dauid,* Matth. 1.
noli timere accipere Mariam coniugem tuam, &c. *pariet enim filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Quòd ſine carnali copula, & virili opera pariat, hoc non poteſt efficere humana virtus. Quòd autem nomen eius Ieſus publicaretur & nominaretur, hoc poterat Ioſeph: quaſi diceret Angelus: Sic laborare debes in puero nutriendo, in eius nomine publicando, & in matre fouenda, vt nihil quod tu præſtare potes, Deo relinquendum putes.

Deus nec ſuæ ſoli, nec Angelorũ virtuti committi gaudet, quod homo valet perficere. Hoc patet multis aliis exemplis ex ſacra Scriptura. Vt Arcam Domini in plauſtro labentem teneret Oza *extendit manum ſuam*, & ſtatim à Domino percuſſus interiit; ea ſanè ratione, quia qui humeros adhibere poterat, & debebat, extremitatem tantùm adhibuit manuum. Ita opinatur Theoderetus. Delicti luit pœnas: nam cùm Deus iuſſiſſet vt Sacerdotes ferrent Arcam Domini ſuis humeris, præter legem eam tulit in plauſtro. Nihil tam Deo exoſum, quàm qui cùm diligentiam & operam adhibere poſſint, & teneantur, illam Deo relinquunt. Is Deo placet, qui vbi ſuppoſitis humeris, manibúſque adhibitis, neceſſitati occurrenti ſatisfacere poteſt, omnipotentis ſolius auxilium non exercet. 2. Reg. 6. Quæſt. 20.

Volens Deus Eliam cibo reficere, eum iuxta torrentem Carith iuſſit manere. Cur iuxta torrentem morari iubetur, niſi vt alimoniæ cura inter Deum & hominem diuideretur? De cibo 3. Reg. 17.

prouidebat Deus, quia Propheta aliunde habere non poterat; potum verò non miniſtrabat, quia ex torrente aquam ſumere poterat. Hoc obſeruat Ioſephus. Ad torrentem quemdam degebat, vnde potum haberet, nam cibus ei quotidie per coruos afferebatur. Cibos quos Elias habere non potuit, Deus miniſtrauit. Potum autem ſibi vt à Deo miniſtraretur, poſtulare non poterat, illi enim dictum erat, *Vade contra Orientem*, &c. *& ibi de torrente bibes.*

Lib. 8. Antiq cap. 7.

Cur autem Deus ad paſcendum Prophetam vtatur potiùs coruorum miniſterio, quàm alterius cuiuſdam creaturæ, videtur indicare Diuus Chryſoſtomus his verbis. Prophetam per illas potiſſimùm aues, quibus ſui fœtus inuiſi nutrit. Odit enim prolem ſuam coruus, & natam non educat. Expoſitis autem ad aërem pullis, vtpote à parentibus neglectis, obuolitant animalcula quædam, diuina prouidentia ſuppeditata, quæ captantes illi, creſcunt & aluntur: vnde dicit Dauid, *& pullis coruorum inuocantibus eum.* Quaſi ad Eliam Deus ſilenter diceret: quæ neceſſaria ſunt, quæque homo via ordinaria ſibi comparare non poterit, ego ſuppeditabo. Hoc diſcas ab iſtis coruis qui tibi afferunt prædam: deſeruerant illi pullos ſuos, ſed eos me inuocantes non deſerui; nec ego te deſeram, imò per has aues prolem deſerentes, te nutriam. Fac tantùm, quod in te eſt, & quod tu ipſe præſtare potes, & ego perficiam, quod tu non poteris.

Serm. 1. de Elia Propheta.

Pſalm. 146.

Tob. 6. Raphaëli Angelo mandauit Deus de Tobia; & tamen nunquam legimus Angelum applicuiſſe manum ſuam, vt Tobiam à periculis erueret.

ret. Ecce immanis piſcis exiuit ad deuorandum eum, quem expaueſcens Tobias, clamauit voce magna, *Domine inuadit me.* Quid tunc Raphaël? accurritne piſcem occiſurus? Minimè, ſed dixit ei: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piſcem.* Non Angelus, ſed ipſe Tobias piſcem aggreditur: piſcis præcordia imponit prunis; piſcis felle liniuit oculos patris. Vnum in toto itinere petit Tobias ab Angelo, nempe, vt ipſe ſolus in ciuitatem Rages proficiſcatur, quia illò ire Tobias non poterat adiuratus à ſocero, *cuius vim adiuramenti*, inquit, *ſpernere non poſſum.* Tunc Raphaël ad Rages ciuitatem Medorum perrexit. Ecce tibi non aliud effecit Angelus, quàm id quod ſibi conſtat à Tobia non poſſe peragi. Nam quicquid eſt ſub noſtra virtute, nec Angelis, nec ſoli virtuti diuinæ eſt demandandum.

Cæterùm vnuſquiſque noſtrûm audiat Chriſtum ſibi dicentem, *Vade, & laua ad natatoria Siloe.* Nullam iſte cæcus poſuit, vel oppoſuit difficultatem; ſed ſimpliciter verbis filij Dei obtemperans, *abijt, & lauit, & venit videns.* Iam diximus aquis Siloe Ieſum repræſentari. Sicut iſte cæcus viſum non recepiſſet, niſi lauando ſe, aquas Siloe ſibi applicaſſet: ita nullus ſanguine Chriſti lauabitur, niſi ſibi illum applicare per Sacramenta ſtudeat. Non ſatis erat vt fons Siloe aquis abundaret, ſed neceſſe fuit, vt ad eum cæcus properaret, & in eo ſe lauaret. Ita, licèt ſufficientiſſimus ſit Chriſti ſanguis ad ſaluandum & curandum nos, nunquam tamen ſaluabimur & curabimur, niſi eo nos in Sacramen-

mentis lauerimus.

Itaque mittitur iſte cæcus ad natatoria Siloe, vt appareret eius fides & prompta obedientia, inquit Theophylactus. Poterat enim quædam obiicere, ſcilicet, quòd eſſet cæcus, neminemque haberet, qui eum duceret; quòd non eſſet certus an lauando, viſum reciperet. Nihil horum propoſuit, ſed ſimpliciter obediuit. Diuus Chryſoſtomus illum nobis imitandum proponit. Intuere cæci animum in omnibus obtemperantem. Præbuit vultum, nihil ſollicitus, an lutum eſſet, an ſputum, & quid ſibi Siloe opus eſſet: non, cur lutum liniret ſuper oculos, aut cur lauari præceperit: nihil tale reputauit; illud dumtaxat curauit, vt obtemperaret.

Dato aliquo præcepto, non vult Deus vt aliquid obiiciatur, aut replicetur, ſed dumtaxat vt obtemperetur. Quòd ſi aliquid ad tergiuerſandum proponatur, licet tandem adimpleatur, non manet tamen impunita illa tergiuerſatio. Præceperat Dominus Moyſi, vt iret ad Pharaonem, *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael, de Ægypto.* Non ſtatim obediuit Moyſes, ſed excuſando ſe, ait: *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Deus autem ſubiungit, *Ego ero tecum.* Ipſe verò ſemper ſe excuſabat, ſuam exponendo imbecillitatem, *Obſecro Domine, non ſum eloquens.* Dei tamen iuſſio vrgebat; & iterum Moyſes ire recuſabat. Tandem obediuit, ſed impunè non manſit: nam *iratus eſt Dominus in Moyſen.* Iuſtè iraſcitur, dum quod iubet, ſtatim non perficitur. Non vult Deus audire excuſationes, cùm iuſtæ ſint eius iuſſio

Exod. 3.

iuſſiones. Ipſi ergo pareamus, vt illum tandem videamus, & gaudeamus in æternum. Amen.

FERIA QVINTA
POST DOMINICAM quartam.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. Luc.7.

SOL etſi non rogatus omnia luſtrat, ſuum præbet ſplendorem, aurum in viſceribus terrę generat: Sol ſecundùm Dionyſium renouat, perficit, refouet, fœcundat, viuificat, calefacit, illuminat. Ipſo appropinquante flores, arbores, prata reuiuiſcunt, ipſo redeunte marceſcunt. Sic Chriſtus lux mundi, & Sol Iuſtitiæ, ſplendorem gratiæ & beneficiorum vltrò, nec rogatus adminiſtrat: de illo dicitur, *Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando.* Aliquando appropinquauit portæ Naim, ibi conſolatur viduam, cuius filium refouet, viuificat, iuuentutem renouat, quia illum in vitam reuocat, atque adſtantes ita illuminauit, vt ob id Deum magnificauerint, magnúmque in eis Prophetam

Actor. 10.

phetam ſurrexiſſe proclamauerint. Hunc iuuenem Gregorius Nyſſenus florem appellat, his verbis. Qui iuuenem retulit florem qui marcuerat indicauit, cuius adhuc vultus lanugine veſtiretur, & genarum decor grato fulgore niteſceret, &c. Appropinquante igitur iſto Sole Iuſtitiæ, extinctus flos refloruit, mortuus reuixit. Quid dicat Lucas attendamus.

Lib. de cre. hom. c. 26.

Ecce defunctus. O bene curantem Medicum! Diximus aliàs Lucam fuiſſe Medicum, de quo Paulus, *Lucas Medicus, cuius laus eſt in Euangelio*: vnde Diuus Hieronymus attentè conſiderando eius ſcripta, de illo dedit hoc elogium. Si nouerimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe Medicum, cuius laus eſt in Euangelio, animaduertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam. Tot ſunt antidota, quot verba. Si itaque nouerimus huius hiſtoriæ ſcriptorem eſſe Lucam Medicum, animaduertemus hæc verba, *Ecce defunctus*, animæ languentis eſſe medicinam.

Ad Coloſ. 4.

Epiſt. ad Paulinum.

Heri, Dominus volens curare cæcum, poſuit ante & ſuper oculos lutum: hodie, Medicus noſter Lucas volens homines curare ab ægritudine peccati, proponit nobis ob oculos adoleſcentem defunctum, *Ecce defunctus*: quaſi dicat, Magiſter meus poſuit lutum ſuper oculos cæci, vt curaretur, & ego ad illius imitationem, propono vobis adoleſcentem, qui cùm ſit defunctus, nihil aliud eſt, niſi lutum; vt curemini & conuertamini, illum conſiderate, attendite, *Ecce defunctus.* Nihil erat in hoc viro quod longam non promitteret vitam. Iuuenis

erat,

erat, quia *adoleſcens*, à matre plurimùm diligebatur, & de illo multa cura habebatur, quia *filius vnicus matris ſuæ*: ſed his non obſtantibus, *Ecce defunctus.*

In tribus mortuis quos Dominus ſuſcitauit, reperiebantur quæ ad vitam diutiùs protrahendam requirebantur, nempe iuuentus, facultates, & maxima erga illos cura & ſolicitudo. Nam puella Iairi principis Synagogæ, erat tantùm duodecim annorum, & patri vnica, vt ſcribit Lucas; ideo de illa multùm curabat pater: non deerant medicinæ, non cibaria, nec blanditiæ, & alia id genus, ad illam fouendam. Lazarus erat triginta annorum ſecundùm Epiphanium, qui de illo ſic ſcribit. In traditionibus inuenimus, quòd triginta annorum tunc Lazarus erat, quando eſt ſuſcitatus: poſtquam verò ſuſcitatus eſt, alios triginta annos vixit. Et erat frater tantarum, & tam piarum ſororum Marthæ & Magdalenæ, vt de illo maximam curam gererent, quod patet ex eo quòd ad Dominum miſerunt, *Ecce quem amas infirmatur*; non eis deerant, quibus fratri ſubuenirent. Iſte autem defunctus erat adoleſcens, ſic enim Chriſtus ei locutus eſt, *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Non poterat igitur excedere annum trigeſimum, in quo adoleſcentia terminatur, & à quo iuuentus vel virilis ætas initium ſumit, teſte Auguſtino. Mater eius illum vnicum habebat filium, erátque locupletiſſima, quod colligitur ex eo quod dicitur, *turba ciuitatis multa cum illa.* Itaque licèt iſti tres eſſent in iuuenili ætate, & haberent vnde ſubueniri poſſent, non minùs propterea morte

Luc. 8.

Hæreſ. 67. contra Manich.

Lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 15.

morte feriuntur. Idcirco eos mortuos Dominus ſuſcitauit, vt eos attendamus, & diſcamus nihil contra mortem valere.

Ecce defunctus efferebatur. Ecce iuuenis, ecce diues, ecce filius vnicus matris ſuæ, ecce inquam quem iuuentus, quem diuitiæ, quem matris blanditiæ, ac remedia quæque non potuerunt à morte liberare: ecce qui viuendo ſuam oſtentabat iuuentutem, ſuas iactabat diuitias, ſua iuuenili pulchritudine gloriabatur, nunc autem defunctus efferebatur, & non tantùm efferebatur, ſed & ſilendo loquebatur. De illo enim, ſicut de quocumque alio ſimili defuncto dicere poſ-

Ad Heb. 11. ſumus, quod D. Paulus de Abele protomortuo, *defunctus adhuc loquitur.* Expende (*adhuc*) quaſi dicat: loquebatur viuens, & adhuc defunctus loquitur, viuens loquebatur, moriendo tam verbo, quàm exemplo fratrem ſuum Cainum monebat, vt viua fide Domino ſacrificaret, eíque meliora offerret, & nunc *defunctus adhuc loquitur.* Quid loquitur? mortem patienter eſſe ſubeundam, multùm prodeſſe in morte bona opera exercuiſſe in vita: ætati etiam iuuenili non eſſe fidendum: quocumque tempore, in quacumque ætate hominem eſſe morti obnoxium.

Hom. 21. in cap. 11. ad Hebr. De illo ſic Chryſoſtomus. Non tantum efficit oratio, quantum illius perpeſſio. Quiſque viuens loquitur, aut loqui poteſt ſecundùm ſuum ſtatum; ſi mercator ſit, de mercatura; ſi opifex, de arte ſua; ſi Doctor, de ſcientiis; ſi miles, de militia & armis; *ſed defunctus adhuc loquitur*, dicítque tacẽdo, nihil omnino mercaturam, ſcientiam, arma, diuitias, nec vllam artem, aut quid-

quam

quam aliud, præter bona opera prodeſſe in morte. Multa dum viueret locutus eſt Salomon, vnde Eccleſiaſtes, quaſi Concionator nuncupatus eſt, *ſed defunctus adhuc loquitur*, non tantùm per illa quæ nobis reliquit ſcripta, ſed & per ea, quibus ſe dabat in vita, loquitur in morte, nempe nihil ei profuiſſe, imò plurimùm obfuiſſe illas voluptates, blanditias, mulierum amores, quibus operam dabat, nullámque ſibi comparaſſe vtilitatem ex tot hortis, quos plantauerat, ex tot palatiis, quæ extruxerat, ex tot cantilenis, ac cantatricibus, quas audierat, ex tot concubinis, & mulieribus, quas adamauerat, ex tantis diuitiis, quas poſſidebat.

Iſte adoleſcens loquebatur quidem dum viueret, florem iuuentutis patefaciendo, ſuam amplam ſubſtantiam iactando, corporis pulchritudinem, necnon & fortitudinem magnifaciendo, *ſed defunctus adhuc loquitur.* Quid autem ipſe & cæteri defuncti loquantur, dicat Auguſtinus. Verè, ſi ipſa oſſa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt, & dicere: O miſer, quantum pro cupiditate huius ſæculi diſcurris, aut quid ſuperbis, vel luxuriæ infœlicia oſſa ſubmittis? Attende ad me, & intellige, & conſidera me; hoc quod tu es ego fui, & quod ego ſum modò, tu eris poſtea.

Serm. 66. ad fratres in Eremo.

Audi etiam quid loquatur defunctus apud Eccleſiaſticum: *Memor eſto iudicij mei, ſic erit & tuum, mihi heri, tibi hodie.* Expende (*hodie*) quia nullus eſt, qui poſſit certò ſibi promittere ſe victurum in craſtinum, imò nec vſque ad veſperam. Quis eſt tam ſtultus, ſiue ſit adoleſcens,

Eccleſ. 38.

Cicer. de Senect.

cui ſit exploratum ſe ad veſperum eſſe victurum? Ridet Apoſtolus illos qui dicebant; *Hodie, aut cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in craſtino.* Increpatur hîc quorundam temeritas, qui obliti fragilitatis humanæ, longam ſibi multorum annorum ſeriem pollicentur, ſiquidem iuxta Poëtam, *Non eſt (crede mihi) ſapientis dicere viuam.* Vnde optimè monet Sapiens: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Hunc & cæteros defunctos audiuimus loquentes; nunc Dominum huic loquentem audiamus.

Iacob 4.

Mart. lib. 1.

Prouerb. 27.

Adoleſcens tibi dico, ſurge. Quo morbo, aut quomodo hic adoleſcens mortuus fuerit, neſcimus: hoc tantùm ſcimus quòd adoleſcens obierat. Fortè aliquid comederat, quod ei nocuerat mortémque attulerat. Antequam homo peccaret, mors in vnico fructu reperiebatur: ſupponamus hunc fructum vetitum fuiſſe pomum, vt volunt nonnulli, vel ficum, vt autumant alij. In illo vnico fructu vetito latebat mors; poterat homo ex aliis quibuſcumque fructibus comedere ſine metu mortis. Si homo non peccaſſet, nunquam & nullibi niſi in hoc ſolo fructu mortem inueniſſet. Nunc autem mors vbique.

Aliqui illam inuenêre, à quo longè exiſtimabant manere. Ruffinus Conſul Romanus, dum ſuos capillos pecteret, dente cuiuſdam pectinis læſus moritur. Quare? quia inter dentes pectinis latitabat mors. Quis vnquam dixiſſet mortem ibi latuiſſe? vbique mors. Anacreon Poëta comedens racemos, mortuus eſt. Fabius Prætor capillo

capillo reperto in lacticinio quo vtebatur ad refrigerandum ſe, periit. Vnde Plinius. Anacreon Poeta acino vuæ paſſæ; Fabius Senator Prætor in lactis hauſtu vno pilo ſtrangulatus eſt. Quare? quia etiam habet capillus quo mortem abſcondat. Nónne etiam Abſalom capillis ſuſpenſus periit? Dicat ergo ille apud Senecam: *Capillus habet ſuam vmbram*, in qua latitat mors. Lucia Marci Aurelij Imperatoris filia, nendo extremitate acus pungitur, & inde moritur, quia etiam in acu mors abſconditur. *Tellement que la mort ſe treuue meſmes en la pointe d'vne eſguille.* Nihil eſt inuentu difficilius acu diſperdita, quòd ob exiguitatem facilè fallat quærentium oculos. Vnde eſt illud adagium apud Plautum, *Acum credo inueniſſes, ſi acum quæreres.* Quod prouerbiali hyperbole dicebatur de re diligenter inueſtigata. Interim in eo quod vix reperiri poteſt, reperitur mors. Inter ridendum olim mortuus eſt Sophocles: ita vt etiam in riſu adſit mors. Filij Prophetarum ſic ad Eliſæum clamauerunt, *Pater mors in olla.* Vide quòd etiam inter ollas & cacabos latitet mors; atque ita inde mors oriebatur, vnde quo viueretur, expectabatur. De illa igitur dicat Poeta:

Lib. 7. c. 7.

Pub. Mim.

P'aut. in Merc.

Quáque ruit furibunda ruit, totúmque per orbem
Fulminat. ——

Ouid. ad Liuiam.

Adoleſcens tibi dico, ſurge. Ponderat D. Gregorius Nyſſenus illa verba Domini ad Moyſen: *Prophetam ſuſcitabo eis de gente tua, & de medio fratrum tuorum. Dabo verbum meum in ore eius.* Quod ad literam intelligitur de Chriſto, qui iiſdem verbis ad miracula patranda vſus eſt, quibus

Lib. teſtim. contra Iudæos.
Deut. 18.

Pater ad omnia condenda. Quando enim Deus
Pſalm. 148. voluit condere mundum, *dixit, & facta ſunt*. Similiter Chriſtus, quando, verbi gratia, voluit hunc adoleſcentem ſuſcitare, ait, *tibi dico, ſurge*. Hoc enim promiſerat Pater, *Dabo verbum meum in ore eius*. Eodem quo ego, loquetur idiomate, eodem planè verbo vtetur: dicendo ego creaui; ipſe quoque dicendo recreabit. Conſidera, inquit ille Doctor, vim dicti: neque enim alicui alteri Prophetæ dixit ſe dediſſe verbum. Ipſi enim ſeruorum more miniſtrantes dicebant, *Hæc dixit Dominus*. Chriſtus autem vt oſtenderet ſe eſſe ipſummet Dei filium, cui verba Patris commiſſa ſunt, dixit; *tibi dico*: non, *Hæc dixit Dominus*. Atque in poſterum ſemper propria authoritate locutus eſt: dixit enim leproſo, *volo, mundare*. Mari & fluctibus tumeſcentibus, *ſile, refrenare, obmuteſce*, &c. Et huic adoleſcenti, *Adoleſcens tibi dico, ſurge*.

Obſeruanda ſunt hæc verba, *tibi dico, ſurge*, ad noſtram eruditionem: vbi enim primùm Chriſtus illa protulit, *reſedit qui erat mortuus*. Quoties peccatori dicitur, vt ſurgat à peccato, & non ſurgit? Conquerebatur olim Deus de populo ſuo, ſicut & nunc de nobis poteſt conque-
Oſee 8. ri: *Scribam eis multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ ſunt*. Prædicant & annuntiant Concionatores diuinas leges, ſed vt plurimùm ab auditoribus alienæ reputantur, id eſt, vnuſquiſque exiſtimat eas aliis, non ſibi, dici. Sed vnicuique dicendum eſt, *tibi dico*: tibi ô auare, vt auaritiam deſeras, aliena reſtituas: tibi ô impudice, vt libidini renuncies. Noli putare alteri hæc dici, ſed *tibi dico, ſurge*.

Inter

Inter hominem pium & impium eadem eſt differentia, quæ inter vas integrum & confractum. Vas integrum liquorem conſeruat: confractum verò non retinet. Vir pius verbum Dei retinet; impius verò non. Audi Eccleſiaſticum: *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Licet audiat, *tibi dico, ſurge*, non ſurgit, peccatum non deſerit. Quare? quia quæ ei dicuntur non retinet, ſibi dici non putat. Ideo à ſe exire permittit, per vnam aurem percipit, & per aliam dimittit. Vas confractum eſt. *Audiuit luxurioſus, & diſplicebit ei, & proiiciet illud poſt dorſum ſuum.* Ergo proiiciendus erit, & confringendus. Ita prædicitur, *tanquam vas figuli confringes eos.* Pius verò velut vas integrum ſibi reſeruat, ſibique accipit & conſeruat, quæ ei dicuntur. *Verbum ſapiens quodcunque audierit ſcius, laudabit, & illud adiiciet.* Quale vas Virgo Beatiſſima extitit, quæ *conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Eccl. 21. Ibidem. Eccl. 21. Luc. 2.

Multi ſunt Petro ſimiles: cùm enim omnibus Chriſtus diceret, *Omnes vos ſcandalum patiemini*, &c. ipſe verò reſpondit, *Etſi omnes, ſed non ego.* In peccatores inuehitur Prædicator, quòd auari, quòd luxurioſi, quòd blaſphemi ſint; aliquis tamen hæc audiens dicet, *Etſi omnes, ſed non ego.* Occidit Cain fratrem ſuum, propter quod maledicitur, *ſed non ego.* Perſequebatur Abſalom patrem ſuum, propter quod miſerè periit, *ſed non ego.* Inducbatur diues purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, *ſed non ego.* Sunt nonnulli qui ſuam pecuniam dant in vſuram, *ſed non ego.* Interim qui ſolus dixerat, *ſed non ego*, imò qui Matth 26. Marci. 14. v. 29.

promiſerat potiùs mori, quam Chriſtum negare, ſolus ipſe negauit. Sic ille interdum ſolus peccato inficitur, à quo ſe immunem putat. Quando igitur audimus reprehendi peccatores, vnuſquiſque noſtrûm exiſtimet hæc omnia ſibi dici: Prædicator enim vnicuique ait, *tibi dico, ſurge.*

Præterea, vnuſquiſque non tantùm ſe immunem exiſtimat ab illo peccato de quo erit ſermo; ſed quaſi mortem euaſurus, dicit ſe omnia euitare pericula, quibus alij ſeſe exponentes, mortui ſunt. Verbi gratia, audit quis aliquem pauperem obiiſſe, eo quòd vnde ſibi ſubueniret, non haberet;ipſe verò dicit,*ſed non ego*, non ſum ego ſicut ille,pauper, ego habeo quo ſuſtenter. Alius mortuus eſt, quia exiens in agrum,ab æſtu & Sole percuſſus eſt, *ſed non ego*, non inquam ego egredior domo in feruore diei. Alius obiit, quia pedeſter inceſſit, & poſtmodum ſudore madefactus aquam nimis frigidam bibit, *ſed non ego*,non bibo ego aquam frigidam. Ille mortuus eſt, quia à cibis nociuis non abſtinuit, præcoces fructus comedit, nimio ſe ingurgitauit cibo,*ſed non ego*; non enim cruda, nec nimiùm comedo, frugaliter viuo.Quid dicis peccator?non euades mortem, quia tale, vel tale periculum euaſiſti. Si hoc morbo non moriaris, morieris alio, *Ecce defunctus.*Ecce inquam adoleſcens, qui cùm eſſet vnicus filius matris ſuæ,vnicè diligebatur,fouebatur, conſeruabatur ne nociua comederet, ne feruente Sole incederet, ne aliquo periculo ſe exponeret, mortem tamen non potuit euadere, *Ecce defunctus.*

De

De quibuſdam Deus conquerebatur, quando vt eis denuntians ſic loquebatur: *Væ qui opulenti eſtis in Sion optimates, capita populorum*, &c. *qui ſeparati eſtis in diem malum*; vel, vt eſt in Hebræo, *elongantes diem malum*. Id eſt, qui elongatis à vobis diem malum, ſcilicet mortis, nec vnquam de ea cogitatis, exiſtimantes eam longè eſſe à vobis, cùm ſitis opulenti. Quia diuites erant & primates populi, nunquam, aut ſerò ſe morituros exiſtimabant; idcirco væ illis. Amos 6.

Per eumdem Prophetam oſtendit Dominus cui mors comparetur, vt nullus in poſterum audeat fidere in ſua ſublimitate, iuuentute, ſanitate, aut diuitiis, ſic enim loquitur Amos: *Hæc oſtendit mihi Dominus, & ecce vncinus pomorum*. Volens Deus innuere quomodo ſe gerat erga illos qui ſibi, ſuiſque diuitiis nimium fidunt, oſtendit huic Prophetæ vncinum ad trahenda & colligenda poma, dixitque ei, *Quid tu vides Amos? vncinum pomorum*. & addidit Dominus: *Bene vidiſti, venit finis ſuper populum meum*. Ac ſi diceret Deus: ô Propheta, multi falluntur, eo quòd cùm ſint iuuenes, adoleſcentes, corpore ſani, diuites, potentes, putant ſe diu victuros, credúntque habere, quo morbis & infirmitatibus reſiſtant; verùm ego vtar morte ſicut homines vncino, ſiue vnco ad colligenda poma. Videbis interdum poma in ſummitate cuiuſdam rami, quò cùm nulla manus poſſit attingere & peruenire, videntur nullo modo poſſe colligi; at ſi quis ſumat vncinum, *vn croc*, illa facili negotio inde extrahet & cadere faciet. Ita nonnulli ſecuros ſe putant, à morte longè diſtantes, Amos 8.

quia vident ſe adoleſcentes, vel in florente iuuenta, & in ſublimi dignitate conſtitutos, ac diuitiis affluentes: ſed accidit vncinus ſiue mors, quæ illos inde extrahit; vnde de illa Poeta,

Ouid. 3. Amor. *Omnibus obſcuras iniicit illa manus.*

Audi quemdam iactabundum apud Abdiam: Abd. c. 3. *Quis detrahet me in terram?* At Dominus ad illum; *Si*, inquit, *exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te.* Nullus itaque iactet ſuam iuuentutem, robur, diuitias: Deus enim vncino ſiue morte inde detrahere poteſt, ſicut detraxerat hunc adoleſcentem.

Eſt mors veluti venator aut venatrix, ideo cum arcu & ſagitta depingitur. Videbis auem in ſublimitate cuiuſdam arboris, ibi ſecuram ſe putat, ſed accedens venator arcum tendit, illam capit: vix poteſt auis alicubi ſe abſcondere, aut quieſcere, vnde illam venator non extrahat. Sic non poteſt homo mortem effugere; nam quocumque in loco, quacumque ætate, in pueritia, adoleſcentia, iuuentute, morti ſubiicitur, & ab illa capitur. Audi dicentem:

Prop. lib. 3. *Ille licèt ferro cautus ſe condat & ære,*
Mors tamen incluſum protrahit inde caput.

Et ſicut venator aues, vel lepores tam iuuenes, quàm veteres capit, ita & mors nemini parcit,

Ouid. ad Liuiam. *Illa rapit iuuenes, ſuſtulit illa ſenes.*

Vncinus eſt, non pomorum, ſed hominum. Hunc rapuerat adoleſcentem, illum deiecerat & proſtrauerat; nec illum potuit defendere adoleſcentia, Horat. lib. 3. *neque vlla eſt, aut magno, aut paruo lethi fuga.*

Noli flere. Quaſi diceret: ante meum aduentum

tum licitum erat mortuos flere, quia tunc non erat matura, nec tempeſtiua mors; modò autem, meo aduentu, maturum factum eſt tempus moriendi. Simeon ille iuſtus ſtatim viſo Chriſto in templo ſic decantauit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuũ in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Hunc cygnæum Simeonis cantum expendens Gregorius Nyſſenus, hæc ſcribit. Quàm beatus ille ſacer ad ſacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturauit? Et pulchre dixit (*maturauit,*) vt maturum & tempeſtiuum moriendi tempus à Chriſti Domini aduentu præſagiret. Luc. 2.

Ante Chriſti aduentum amara erat mors, etiam viris iuſtis, quia immatura. Videas hoc in vno Abrahamo, qui ingrediens Ægyptum, adeò mortem pertimeſcebat, vt totus pauidus dixerit vxori ſuæ: *Noui quòd formoſa ſis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: vxor ipſius eſt; & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis,* &c. Quid ais ô bone ſenex? Si non vxor tua dicatur Sara, rapietur in fœdum Ægyptiorum coniugium. Rapietur forſan, ait ille; ſed ego viuam. Tunc nondum erat Domini aduentu matura mors, quam ita expauebat Abraham, vt præ illa contemneret pudicitiam vxoris. Hæc obſeruatio eſt Diui Chryſoſtomi. Quia nondum mortis erat ſoluta tyrannis, propterea in adulterium conſentit iuſtus, & quaſi ſeruit adulterio in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat. Gen. 12. Hom. 32.

Quòd ſi tibi ſcrupulus eſt, quòd dicatur Abraham, vt mortem fugeret, pudicitiam vxoris

contempſiſſe, pulchre illum expedit ab hoc nodo D. ille Chryſoſtomus, dum prudentiam Abrahæ ex hoc facto commendat. Quia cùm pudicitiæ periculum ſemper inſtaret, & cùm haberetur Sara vxor, ſiue ſoror; & inſuper adderetur periculum vitæ, ſi vxor putaretur, è duobus malis euecturis, alterum ſapientia ſua impediuit, nimirum cædem, quòd hanc æſtimauerit maius eſſe peccatum. Et quidem cùm monebat, *dic quòd ſoror mea ſis*, potiùs diminutionem procurabat peccati, quod grauius eſſet in adulterio & homicidio perpetrato. Præterea oſtendebat quàm metuenda eſſet tunc mors: at poſt Chriſtum nihil nobis debet eſſe morte ſuauius; ideo *noli flere*.

Orat. de Bernice & Proſdoco.

Maturum hoc & tempeſtiuum moriendi tempus ipſe Plinius fatebatur optimum, ſic enim ſcribebat: Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius eſt, quam tempeſtiua mors. Hæc ſolum accidit poſt Chriſti aduentum, cuius gratia maturi iam & tempeſtiui excidimus, aptandi in tabernacula æterna. Cùm itaque ante Domini aduentum mors ad ſuam maturitatem non perueniſſet, amara erat, illam etiam perfectiores expaueſcebant: ſed Chriſti aduentu & morte, eſt eius aculeus hebetatus. Idcirco mortuo filio, ô mulier *noli flere*.

Plinius.

Deflendi potiùs ſunt viui quàm mortui, cùm ſit hæc vita plena miſeriis & calamitatibus, de quibus luculenter Auguſtinus. Vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, plena miſeriis & erroribus, quæ non eſt vita dicenda, ſed mors, in qua momentis

ſingulis

ſingulis morimur,per varios mutabilitatis defe-ctus,diuerſis generibus mortium. Nunquid ergo hoc quod videmus in hoc mundo dicere poſſumus vitam? quam humores tumidant,dolores extenuant, ardores exſiccant,aër morbidat,eſcę inflant, ieiunia macerant, ioci diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt,diuitiæ inflant & iactant,paupertas deiicit, iuuentus extollit,ſenectus incuruat,infirmitas frangit, mœror deprimit, & his malis omnibus mors furibunda ſuccedit, &c. Neſcio certè,an veriùs dicenda ſit vita hæc,vita mortua,an mors viua.

Audi quomodo idem Doctor hanc ipſam vitam deſcribat. Vita mea,vita fragilis, vita quæ quantò magis creſcit,tantò magis decreſcit,quãtò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit; vita fallax, & vmbratica, plena laqueis mortis.Nunc gaudeo, ſtatim triſtor,nunc vigeo, ſtatim infirmor,nunc viuo,ſtatim morior: nunc fœlix appareo, ſemper miſer; nunc rideo, iam fleo: hinc timor, hinc tremor,hinc fames, hinc ſitis, hinc calor,hinc frigus,hinc languor, inde dolor exuberat,&c. Quis modò audeat deflere, quem Dominus à tantis voluerit miſeriis eripere? Non mirum igitur ſi dixerit huic mulieri, *noli flere.* Solil.cap 2

Noli flere. Cur Chriſtus prohibet fletum? Videtur reſpondere D.Auguſtinus, dicendo quòd Chriſtus his verbis vult increpare parentes, quòd mortem corporalem filiorum defleant, non ſpiritualem, quam præcipuè deflere deberent.Audite me fratres, Chriſtiani ſumus, & tamen plerumque ſi filius cuiuſquam moriatur, plangit *In illud Pſalmiſtæ, Quoniam iniquitatem meam.*

plangit illum:ſi peccat,non illum plangit : tunc erat plangendus , tunc peius mortuus luxurioſè viuens , quàm moriendo luxuriam finiens:tunc quando iſta faciebat in domo tua , non ſolùm mortuus , ſed & putebat ; hæc dolenda ſunt,illa ſuſtinenda.

Hom.67.ad pop. Diuus Chryſoſtomus indicat etiam quinam ſint lugendi. Circa defunctos ne temerè lugeamus , neque de viuentibus ſtultè lætemur. Sed quid?Lugeamus peccatores non tantùm defunctos, verùm & viuentes:de iuſtis autem gaudeamus non modò ſuperſtitibus,verum & mortuis. Nam illi quidem & viuentes mortui ſunt : hi verò mortui quoque viuunt. Peccatores vbicumque fuerint , procul à Rege morantur, propterea lacrymis ſunt digni.Infideles deplora abſque illuminatione migrantes,ſunt enim cum damnatis extra regales aulas , & pœnæ addicti. In diuitiis defunctos defle, qui nullam ex diuitiis ſibi comparauêre conſolationem , qui ſua diluendi peccata poteſtatem accepêre,& neglexêre.

Noli flere. Mox reſurgendum ; illi enim non ſunt lugendi , qui ſunt reſurgendi,vel quos ſperas reſurrecturos. *Nolumus,* aït Paulus, *vos ignorare de dormientibus , vt non contriſtemini , ſicut & cæteri qui ſpem non habent.* Et potiſſimùm ſi in Domino moriantur,veluti boni fideles & Chriſtiani ; illis enim mors portus eſt, ibi quieſcunt. Audi Pſalmiſtam:*Conuertere anima mea in requiem tuam,quia Dominus benefecit tibi.* Quando benefecit animæ ? dum illam liberauit à corpore ſeruitutis huius. Beneficium putat idem Doctor

1.Theſſ.4.

Pſal.114.

animæ

animæ exhibitum liberari à corpore, vnde ſic ſcribit. Rem iſtam Deus beneficium nuncupat, & tu luges? Tranquillus eſt portus, mors. Itaque conſidera quòd plena malis eſt vita præſens. Cogita quoties & ipſe præſentem execratus es vitam: res enim in deteriora prolabuntur. Ibidem.

Noli flere. Vel enim filius iuſtus erat, vel iniuſtus: ſi iuſtus, cur defles illum, qui diutiùs viuendo poterat fieri iniuſtus? Si verò iniuſtus, nec illum defleas, quia iniuſtior euadere poterat. Sic ratiocinabatur idem Chryſoſtomus. Si peccator quidem obiit, mala repreſſa ſunt: nec ſi Deus pœnitentiam acturum nouiſſet, ante pœnitentiam eum rapuiſſet. Si verò iuſtus vitam finiuit, in tuto bona conſecutus eſt. Adeò Deus bonus eſt & miſericors, vt nullum ex peccatoribus mori in peccato permitteret, ſi illum pœnitentiam acturum præuideret. Miſericorditer igitur ſe habet, quando illum rapit, nec diu viuere ſinit, ne maiorem ſibi acquirat damnationem. Itaque ideo in defunctorum obſequiis decantantur hymni, fiunt pſalmodiæ, quæ, vt annotat idem Doctor, ſunt gaudentium & gratias agentium. Qui enim pſallit, gaudet: qui hymnizat, gratias agit. Mortuo itaque aliquo, ſunt nobis Deo gratiæ agendæ, quòd illum non tantùm à præſentibus malis eripuerit, ſed quòd ipſum rapuerit in illo meliori ſtatu, in quo præuiderat ipſum aliquando futurum. Nobis ergo pſallendum eſt, quòd in tali ſtatu obierit, vel quòd ita obierit, vt pro illo deprecari poſſimus. Itaque *noli flere.* Ibidem.

Noli flere. Hæc verba viduæ dicta ſunt, tum ad illam conſolandum, tum etiam ad innuendum, ipſam non debere flere, vel triſtari. Vnde idem Chryſoſtomus ſic illam, vel ſimilem alloquitur. Virum non habes, habes tamen conſolatorem, Patrem orphanorum, & Iudicem viduarum. Noli ergo lugere. Noli inquam lugere, quia quod lugeas, non habes; non enim tibi, vel filio fit iniuria: non tibi, quia quod tibi ad tempus conceſſum erat, repetitur. Nec illi, quia quod omnibus etiam iuſtis commune eſt, patitur, nempe mortem. Noli ergo lugere: lugere autem poteris, quando ab aliquo iniuriam patieris, quia lacrymæ, quas emittes, aſcendent in cœlum, vociferabuntur, & ego clamores illarum exaudiam. Sic ego promiſi, quando ſic mandaui; *Vidua & pupillo non nocebitis: ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.*

Ibidem.

Exod. 22.

Omnium Deus audit clamorem, ſed præcipuè viduarum: omnium etiam videt lacrymas, ſed diligentiùs viduarum lacrymas conſiderat, maximè ſi ob iniuriá illis illatam fundantur; quia tunc aſcendunt vſque in cœlum, & deſcendunt ſuper nocentes eis. *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cœlum.* Omnis aqua tendit deorſum & ad ima, nec plus aſcendit quàm deſcendit: ſed aqua lacrymarum viduæ aſcendit à maxilla vſque ad cœlum, plus inquam aſcendit quàm deſcenderit: nam deſcenſus eſt dumtaxat ab oculis ad maxillas; aſcenſus

Eccleſ. 35.

verò à maxillis vſquè ad cœlum, vt contra lædentes pœnam extorqueant huiuſmodi lacrymæ. Nulli igitur prætcrquam viduæ dictum eſt à Chriſto, *noli flere*, vt innueret, maximè nobis cauendum eſſe, ne viduas offendamus, eíſque occaſionem flendi præbeamus, cùm ad cœlum vſque pertingant earum lacrymæ, vindictam expoſtulaturæ.

Obſeruandum eſt, quòd licet Deus ſit omnium Rex, & Dominus, omniúmque Pater & Iudex, ſpecialiter tamen dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium*: & apud Pſalmiſtam *Pater orphanorum, & Iudex viduarum*. Hæc obſeruatio eſt D. Chryſoſtomi, qui rationẽ huius aſſignans, ait. Deus magnus Rex eſt Regum, & Dominus dominantium. Idem ipſe ſui dignitate excellens, Pater inuenitur orphanorum, & Iudex viduarum. Duo facit, & clementiam oſtendit, & potentiam proponit: ſeſe Patrem fatetur orphanorum, quò calamitoſos ſoletur, potentéſque terreat, ne orphanis & viduis moleſti ſint. Apoc. 19. Pſalm. 67. Homil. 5. de Pœnit.

Dices: Cur præcipuè Iudex viduarum dicitur Dominus? Cæteris rationibus prætermiſſis, reſpondeo Deum ideo vocari Iudicem viduarum, vt oſtendat verè ab ipſo illos eſſe iudicandos, qui viduis grauamini ſunt, illáſque lædunt: hominum quidem poterunt euadere iudicium, non Dei, qui cauſas illarũ vindicat, & iudicat, ſibíque ſpecialiter reſeruat. Viduarum igitur ſe declarat Iudicem, defenſorem, & conſolatorem. Hanc non tantùm eſt verbis conſolatus, ſed & facto, quando eius filium ſuſcitauit, eíque dedit.

Dedit

Dedit illum matri ſuæ. D. Bonauentura obſeruat illum loquendi modum Euangeliſtæ: non enim dicit, tradidit, vel reddidit, ſed, *dedit illum*
3. Reg. 17. *matri ſuæ.* Reſuſcitato filio viduæ Sarephtaneæ, Elias *tradidit illum matri ſuæ.* Similiter Eliſæus
4. Reg. 4. poſtquam filium Sunamitidis ſuſcitauit, ait matri, *tolle filium tuum.* Ieſus verò, vt oſtendat ſe eſſe ſupremum Dominum, *dedit illum.* Qui priùs dederat, abſtulerat, qui abſtulerat, iterum dat. *Dedit illum,* non reddidit, non reſtituit, quia nemini debitor eſt, ſed *dedit.* Si itaque tibi moriatur fi-
Iob. 1. lius, dic cum Iob, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Quicquid habemus, à Domino habemus. Ille ergo poteſt auferre, qui voluit conferre. Caue ne tuo vitio auferat tibi gratiam, qua itur ad gloriam.

FERIA

FERIA SEXTA
POST DOMINICAM quartam.

Ecce quem amas infirmatur. Ioan.11.

PVLCHRE dicunt Hebræi, Deum ſibi ſoli quatuor claues naturæ reſeruaſſe. Primò, clauem pluuiarum, vt eas ad libitum emittat, & effundat ex ſuis theſauris, *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore opportuno.* Deut.28. Secundò, clauem vitæ & generationis, vt patet ex illa increpatione Iacob ad Rachel conquerentem quòd non haberet filios, *Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Gen.30 Tertiò, clauem alimoniæ ad famem depellendam, iuxta illud, *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Pſal.144. Quartò, clauem ſepulchrorum, id eſt, reſurrectionis; vnde ipſe ait per Ezechielem: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris*, &c. Ezech.37. *Et ſcietis quia ego Dominus, cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris*, &c. Ideo Chriſtus iuſſit aperiri ſepulchrum Lazari, vt Deus &

Dominus agnoſceretur à Iudæis. Vnde dicitur quòd *multi crediderunt in eum.* Quomodo autem res ſe habuerit attendite.

Languente & ægrotante Lazaro in Bethania, duæ ſorores eius, ſcilicet Magdalena, & Martha, miſerunt ad Ieſum dicentes, *Ecce quem amas infirmatur.* D. Theophylactus exiſtimat hæc verba dicta fuiſſe cum admiratione, quaſi dicerent iſtæ ſorores: Miramur Domine, quòd ille infirmetur, quem amas. Amauit Pharao Ioſephum, & illum multis honoribus affecit, multa bona, multáque beneficia ei contulit. Diligebat Aſſuerus Mardochæum, & in ſignum amicitiæ, illum ab omnibus publicè iuſſit honorari. Reges quos diligunt beneficiis, donis, dignitatibus, & diuitiis cumulant: ac tunc dicimus aliquem à Principe diligi, quando ab eo ditatur, & ad aliquem gradum honoris promouetur; non autem quando ab eo cæditur, aut bonis expoliatur.

Hoc eſt certiſſimum, quòd dum aliquem diligimus, bona ei optamus, & ſi poſſumus, largimur. Deus itaque iis quos amat, bona etiam largitur. Quæ bona? non diuitias, non honores, non voluptates, & cætera huiuſmodi, quæ non ſunt verè bona, niſi his qui carnem ſapiunt; nam
1. Cor. 2. *animalis homo non percipit, quæ ſunt Spiritus Dei:* ſed ea tribuit quæ ad bona æterna comparanda conducunt, ſcilicet infirmitates, paupertatem, perſecutiones, flagella, & ſimilia aduerſa. Nónne audis? *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit:* Et alibi, *quos amo, caſtigo.*

Si quis lutum, ſtercus, vel aliquid, quod ſperneret, daret amico, non inde coniiceres illum

illum diligere huiuſmodi amicum. Deus pauci facit res huiuſce mundi, de quibus ſic Apoſtolus, *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora.* Illa erant Paulo veluti ſtercora, quia Chriſto ſciebat eſſe deſpectui. De Nabuchodonoſore bona temporalia congregante dictum eſt à Propheta ex parte Dei, *vt quid congregat contra ſe denſum lutum?* Quod veluti lutum aut ſtercus reputatur, non ſolet Deus concedere amicis. Sicut igitur non diceretur quis à Rege diligi, cui daret Rex ea quæ ſpernit; neque ille à Rege odio haberi, cui quod Rex magni facit tribueretur: ita dicendum eſt, Deum eos non ſemper amore proſequi quibus bona temporalia, aut dona corporalia largitur. Dat Turcis, dat Barbaris, & infidelibus diuitias, ampla regna, quos tamen ob illorum infidelitatem non diligit: dat brutis multa dona corporalia, vtpote Coruo vitam longæuam, Ceruo velocitatem ac corporis incolumitatem, Tauro fortitudinem, Equo generoſitatem, Pauoni pulchritudinem, Aquilæ videndi perſpicacitatem, & alia aliis huiuſmodi. Audi Senecam. Quæ vulgûs appetit, quæ reformidat, nec bona ſunt, nec mala: ideo tam bonis, quàm malis Deus obiicit. Vides igitur dari malis hominibus, imò & beſtiis quæ tu plurimi facis. Signum igitur eſt, illa non eſſe verè bona; vera autem bona ſurſum ſunt. Audi dicentem, *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Deus igitur his quos diligit, & qui eum diligunt, ſeruat bona quæ hîc *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* Ad quæ vt poſſimus peruenire, immittit nobis ea quæ mala reputa-

Ad Philip. 3.

Abac. 2.

Lib. de prouid.

Pſal. 26.

1. Cor. 2.

mus,nimirum morbos,dolores, bonorum iacturam,& ſimilia; ſed ea ſunt ſigna amicitiæ Dei in nos. Non mirando igitur,ſed laudando,ac concludendo dicant iſtæ ſorores, *Ecce quem amas infirmatur.*

Iob.2. Iob vxori inſultanti & exprobranti ait: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus?* Ponderanda ſunt illa verba (*de manu Domini.*) Non enim illud malum eſt quod de manu Domini procedit, licèt videatur eſſe malum: illud autem quod extra Dei manum poſitum eſt, vel ſolo aſpectu nos perterrefacit. In ipſa Dei manu virus deponit, non ſecus ac Moyſis virga, in terra coluber, in manu eius vim venenatam & figuram terrificam amittit. Exemplum ſit Elias fugiens Iezabelem ne occi-
3.Reg.19. deretur,& qui mortem à Deo precatur, *tolle animam meam.* O Propheta,ſi mori deſideras, cur fugis quærentem te occidere? Nolebat mortem de manu Iezabelis,ſed de manu Dei: nam mors quæ de manu Dei infligitur, non mors, ſed vita dicitur. Hæc eſt illa manus, quæ,ait ille Doctor, Martyres facit. Nam vbi deſunt Nerones, Diocletiani, Domitiani, & alij Tyranni, ſolet Deus nobis manu ſua immittere vel corporis ægritudines, vel animi mœſtitias,aut bonorum iacturas, vel ſimilia, quæ ſi patienter & æquo animo feramus, martyrij coronam referemus. Quid autem ad verba illarum ſororum reſponderit Dominus,audiamus.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Cùm hæc audio, recordor eorum quæ ex parte Dei apud
Iſai.3. Iſaiam, viro iuſto ſunt intimanda: *Dicite iuſto*

quoniam

quoniam bene, vel, vt alij legunt, *quoniam bonum.* Quicquid iuſto accidit bonum eſt, vel bene illi accidit, vel ad bonum ei accidit. Contigit Lazaro infirmitas, ſed *hæc infirmitas non erat ad mortem*; ſed in bonum, quia *pro gloria Dei.* Mors etiam bene ei accidit. Itaque quicquid adueniat iuſto, dicamus ei *quoniam bene.* Congratulandus eſt tam in aduerſis, quàm in proſperis. Infirmatur aliquis, ſi iuſtus eſt, debemus ei congratulari, eique dicere *quoniam bene.* Mortuus eſt eius filius, frater, aut pater, aut alius ex familiaribus, *dicite ei quoniam bene.* Nauis in qua continebantur ferè omnes eius facultates, naufragium fecit, vel piratæ omnia ſunt deprædati, *dicite ei quoniam bene.* Contendebat cum aliquo, cauſa cecidit, *dicite ei quoniam bene.* Sic Paulus congaudebat & congratulabatur fidelibus aduerſa patientibus, *Gaudeo & congratulor vobis*, &c. Philip.2.
Quare etiam ob aduerſa ſunt ita congratulandi? quia, teſte Apoſtolo, *diligentibus Deum omnia* Rom.8.
cooperantur in bonum. Nam quicquid eis accidit, in bonum conuertunt, ſemper Deum laudant. Contrà verò, improbis omnia cooperantur in malum, ait Auguſtinus. Id eſt, ſicut iuſti ex ad- Serm.78.de
uerſis vtilitatem hauriunt, & in eis Deum bene- temp.
dicunt: ita mali ex proſperis damnum ſibi comparant, & in eis Deum offendunt. Si ad honores promoueantur, fiunt ſuperbi, crudeles: ſi ſint diuites, fiunt auari, & luxurioſi: ſi ſani, dant ſe voluptatibus, ludis, omnia cooperantur in malum. Vnus proponatur Saül. Rex factus eſt, ſed regno abuſus eſt; de illo ait Scriptura: *Saül* 1.Reg.14.
pugnabat in circuitu, & quocumque ſe verteret, ſu-

perabat. Deus illum defendebat, & ipſe Deum offendebat; vnde ſecundùm Hebræum ſic legitur, *quocunque ſe vertebat, impiè agebat*, vel, *impius fiebat*. Quidquid ei accidebat, vertebat in malum, tam proſpera quàm aduerſa. Si illum aggrediatur Goliath, minásque intentet, Saül iniuſtè ſe gerit, animum deponit: victo à Dauide Goliath, inuidia ducitur. Si Dominum interroget, & ei reſpondeat, non obedit verbis, nec præceptis Domini: ſi ei Dominus non reſpondeat, conſulit Pythoniſſam; omnia ei cooperantur in malum. Vnde optime ab eodem Iſaia dicitur; *Væ impio in malum*, id eſt, væ impio, quia quidquid ei accidit, in malum cõuertit. Iuſti autem ſciunt ex omnibus, quæ eis accidunt haurire vtilitatem; *omnia eis cooperantur in bonum.*

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Quomodo dicit Chriſtus, hanc infirmitatem non eſſe ad mortem, id eſt, non ei allaturam mortem, cùm ex ea mortuus ſit? Reſpondet Auguſtinus. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, quia & ipſa mors non erat ad mortem, ſed potiùs ad miraculum. Non ordinabatur illa infirmitas ad mortem, id eſt, finis huius infirmitatis non erat mors, cùm ipſius mortis finis eſſet vita. Non ideo mortuus eſt Lazarus, quia infirmabatur, ſed vt reſuſcitaretur, atque ita gloria Dei & potentia manifeſtaretur. Dum Medicus dat infirmo amarum poculum, non intendit dare ei amaritudinem, ſed ſanitatem, id eſt, optat vt ex eo poculo amaro ſequatur ſanitas. Ita Chriſtus ſinendo Lazarum infirmari & mori, bonum aliquod intendebat ei conferre pro ſua gloria, nempe

Tract. 48. in Ioan.

nempe vitam; vnde ait, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.*

Similiter quoties Deus immittit nobis aliqua aduerſa, ſemper intendit dare aliquid pro ſalute animæ noſtræ. Fugiente Iona à facie Domini, *miſit Dominus ventum magnum*, permiſit, vt mittentibus nautis ſortes, *caderet ſors ſuper Ionam*, vt ſorte deprehenſus mitteretur in mare, & vt ſubmerſus abſorberetur à piſce, atque abſorptus euomeretur ab eodem piſce, & litori reſtitueretur, & Niniuem proficiſceretur; & in ea verbum Dei annuntiaret, vt Niniuitæ conuerterentur, & ciuitas non ſubuerteretur. Vides quomodo hæc infirmitas non erat ad mortem. Ventus inquam ille validus, marini fluctus, immanis piſcis, atque in eo per triduum detentio, non erant ad mortem Ionæ, ſed vt reſipiſceret ipſe, & ſua prædicatione reſipiſcerent Niniuitæ. Audiamus D. Irenæum. Suſtinuit Deus abſorberi Ionam à Ceto, non vt abſorberetur, & in totum periret, ſed vt euomitus, magis ſubigeretur Deo, & plus glorificaret Deum, qui inſperabilem ſalutem ei donaſſet, & firmam pœnitentiam faceret Niniuitis, vt conuerterentur ad Dominum, conterriti ab eo ſigno, &c. Lib. 3. contra hæreſ. cap. 22.

Promiſerat Dominus Abrahæ amplam poſteritatem, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in litore maris.* Gen. 22. Interim iubet ſibi ſacrificari filium, ex quo tanta multitudo debebat naſci, *Tolle filium tuum vnigenitum*, &c. *atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Si de medio tollatur, quomodo multiplicabitur? Vbi erit multitudo fructuum, ſi arbor eradicetur? Tunc

volebat Deus ſuis ſtare promiſſis, dum vidit Abraham ſuis obtemperare iuſſis. Non præcipiebat Iſaacum ſacrificari, vt ſacrificaretur, & moreretur, ſed vt Abrahã manifeſtaretur, & mereretur, diſponendo ſe ad exequendum Dei mandatum. Hoc igitur mandatum non erat ad mortem, ſed ad manifeſtandam Abrahæ obedientiam, cámque remunerandam: hanc ei dedit mortificationem, qui multiplicandi fecerat promiſſionem; & eius filium volebat viuere, quem præcipiebat occidere, cúmque ſaluari, quem iuſſerat immolari.

Volebat Deus Ioſephum regnare in Ægypto, ſed vt ad tantum faſtigium perueniret, permiſit vt à fratribus odio haberetur, in ciſternã proiiceretur, atque Iſmaëlitis venderetur. Illud odium, illa perſecutio, hæc venditio, hæc inquam aduerſitas, non erat ad mortem, nec ad perditionem, ſed ad eius promotionem: non enim ad tantam dignitatem perueniſſet, ſi in huiuſmodi incommoda non incidiſſet. Hic eſt Dei mos, vt quos diligit, & quos ſibi ſeruat, multis ſinat infirmitatibus affici, perſecutionibus agitari, paupertate premi, vel aliis ſimilibus calamitatibus diuexari. Olim de fortuna ſic Seneca. Fortuna vt gladiator, fortiſſimos ſibi pares quærit, alios faſtidio tranſit: ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenũ in Socrate, mortem in Catone. At longè magis Deus noſter ignem experitur in Laurentio, beſtias in Ignatio, lapides in Stephano, equuleos in Vincentio, rotas in Catharina, gladium in Dorothea, & infirmitatem

Lib. de prouid.

tatem in Lazaro, qui ideo infirmatur, vt moriatur; moritur, vt reſuſcitetur; reſuſcitatur, vt diuina potentia manifeſtetur. Eſt igitur verum, quòd hæc infirmitas non erat ad mortem.

Hinc etiam collige, nihil homini contingere in rebus humanis præter Dei voluntatem & præceptum, id eſt, ordinationem, ſiue iubentem, ſiue permittentem. Ductis in captiuitatem Babylonicam filiis Iſraël, nonnulli eorum eò dementiæ deuenerunt, vt non diuina prouidentia hoc ſibi accidere autumarent. Vnus dicebat hoc eueniſſe ſibi ob ſuperbiam & crudelitatem Nabuchodonoſoris: alter verò ob ſuam vecordiam, quia ſi viriliter huic Regi reſtitiſſent, ipſos non ſubiugaſſet: alij aliis cauſis, & non diuinæ prouidentiæ tantam cladem tribuebant; quod animaduertens Ieremias ſic inuehebatur, *Quis eſt iſte qui dixit, vt fieret, Domino non iubente? Ex ore Altiſſimi non egredientur, nec bona, nec mala? Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?* Thren.3. Quaſi dicat, quis tam impius ſit, vt dixerit, nec aduerſa, nec proſpera euenire nobis ex ore, id eſt, ex præcepto & ordinatione Dei?

Eſt hæc conſolatio efficax in omni tribulatione, ſi cogitemus nihil euenire nobis, cuius auctor non ſit Deus, & omnia ab eo attemperari ad noſtram ſalutem; atque interim culpam noſtram agnoſcamus, eiuſque clementiam, & opem imploremus. Libet audire Senecam. Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur, hic eſt magnus Epiſt.108.

animus, qui ſe Deo tradidit. At contrà ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mauult Deum, quàm ſe. Quid melius & Chriſtianius dici poteſt? Ergo quicquid Deus tibi immittit non eſt ad mortem, id eſt, ad perditionem, ſed ad ſalutem. Eſt enim Deus etiam creator eorum, quæ ab hominibus vocantur mala, vt ipſemet teſtatur, *Ego Dominus, & non alter, formans lucem & creans malum.* Quod intelligitur de malo pœnæ, quod propriè dici poteſt malum bonum, quia illo malo poſſumus effici boni; vel quia illud malum ordinatur ad bonum. Non enim mittitur ad perditionem, ſed ad correctionem, non vt damnemur, ſed vt his flagellemur, & ſaluemur. Vnde D. Gregorius. Creare ſe mala Dominus indicat, cùm res bene conditas, & per naturam bonas, nobis malè agentibus in flagellum format.

Iſai. 45.

Lib. 3. Mor. cap. 7.

Sit itaque cuiuſque Chriſtiani in paupertate, morbo, perſecutione, calumnia, naufragio, incendio, ſpoliatione, excidio, morte, & ſimilibus, hæc conſtans & ſolida cogitatio, reſolutio & conſolatio: Ego certus ſum, Dei prouidentiam regere omnes cauſas ſecundas, omniáque tam aduerſa, quàm proſpera moderari & dirigere ad ſuorum ſeruorum & amicorum ſalutem. Audio enim Apoſtolum dicentem, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nihil igitur poteſt mihi accidere, quantumuis aduerſum, durum & acerbum, quod priùs à ſumma cœleſtis Imperatoris aula non fuerit ordinatum.

Certus ſum inſuper quòd nihil mihi inferre poſſunt

poſſunt homines, dæmones ac omnes creaturæ, amplius quàm Deus velit, prouiderit, eiſque facultatem dederit, qui ſuis omnia facit cooperari in bonum. Sæuiant, inquit Auguſtinus, quantum voluerint,& quantum permiſſi fuerint peccatores. Quidquid acciderit iuſto, voluntati Dei deputet, non poteſtati inimici; ſæuire ille poteſt, ſed ſi ille noluerit, ferire non poteſt. Et ſi ille voluerit vt feriat, nouit quemadmodum excipiat. Quid ſibi ergo plaudet iniquus, quia flagellum de illo ſibi fecit Pater meus: Illum aſſumit ad miniſterium, me autem erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus, quantum permittat iniuſtis, ſed quantum ſeruet iuſtis. Et alibi idem Doctor. Prorſus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid fecit, niſi ille qui deſuper habet poteſtatem permittat, aut ad pœnam, aut ad diſciplinam. Dicat igitur Dominus, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* In Pſal. 36. In Pſalm.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Moritur igitur Lazarus, vt reſuſcitetur, reſuſcitatur, vt filius Dei glorificetur, glorificabitur quando ob hoc miraculũ multi credent in illum. *Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.* Præterea glorificatus eſt Chriſtus, dum occaſione iſtius miraculi maximo cum honore fuit receptus in Hieruſalem. Quomodocumque Deus diſponat de amicis ſuis, pro gloria ſua diſponit. Diligebat Dominus Lazarum, illúmque vocat amicum ſuum, dicens:

Lazarus

Lazarus amicus noſter dormit. Quando audis Lazarum eſſe amicum Chriſti, recordare communis illius Adagij, *Amicorum omnia ſunt communia.* Quando duo ſunt inuicem amicitia coniuncti, quod vnius eſt, alterius eſt: ſi vnus dicat alteri, præbe mihi tuum pallium, vel enſem, aut aliquid ſimile, debet alter reſpondere, ſume tibi, alioquin non ſunt veri amici; omnia enim inter amicos debent eſſe communia. Adeò eſt Deus amicus noſter, vt quidquid habet, homini tribuat: ait homo, Domine da nobis cœlorum influentias; ſume, influant cœli. Habes Solem, habes & Lunam, præbe nobis illa aſtra ad illuminandum nos; volo, ait Deus, vt ab eis illumineminì. Habes Angelos, præbe nobis aliquos ex eis ad noſtri cuſtodiam, hoc Deus conceſſit: ita vt nullus ſit qui non habeat Angelum cuſtodem. Habes terram, da nobis eam, & iube vt ipſa nobis fructus & herbas afferat, illam dedit; vnde Propheta, *Terram autem dedit filiis hominum*, eique præcepit vt germinaret, *germinet terra herbam virentem.* Pergit homo ſemper poſtulans, Domine habes filium, da nobis illum. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* O fili indigemus tuo corpore, & ſanguine, præbe nobis, *Accipite, hoc eſt corpus meum: bibite, hic eſt ſanguis meus,* Dicat igitur Apoſtolus, *Omnia veſtra ſunt ſiue mors, ſiue vita, ſiue Angeli*, &c. Nec mirum, nam *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Paul.Man.

1 Cor.3.

Rom.8.

Quidquid habet Pater, dat nobis pro ſalute noſtra. Filius quoque dat nobis ſuum corpus, ſuum

ſuum ſanguinem, ſuam vitam, ſua Sacramenta ſua merita, & omne quod in ſe eſt. Spiritus Sanctus etiam confert nobis ſuum amorem, ſuas gratias, ſuas inſpirationes, ſua dona. O verum amicum Deum! Dei nos amici erimus, ſi quidquid habemus, ei tribuamus. Amicus Dei erat Abraham, cui cùm Deus poſtularet filium ipſe ſine cunctatiòne libenter offerebat. Amicus erat noſter Lazarus, qui nihil habebat, quod Chriſti non eſſet. Vult Dominus, vt infirmetur, infirmatur; vult moriatur, moritur; vult putreſcat, *iam fœtet*; clamat vt veniat foras, ſtatim *prodiit qui erat mortuus*; vult vt perſequentibus Iudæis, mari expoſitus Maſſiliam veniat, venit; vult vt martyrium ſubeat, ſubiit. Ecce verum Dei amicum, qui nihil habet, quod Domini non ſit, & Domino non tribuat. Similiter fecerunt omnes Sancti & amici Dei; omnia Deo obtulerunt, bona, vitam, & quidquid in eis erat, etiam nullo propoſito & promiſſo præmio, ſed dumtaxat pro Dei gloria; hoc ſaltem erant contenti quòd propter Deum patiebantur, bonis expoliabantur, perſecutionibus agitabantur, & moriebantur. Vnde D. Chryſoſtomus ſic de tribus pueris in fornacem miſſis ſcribit. Illi expoſuerunt animam ſuam pro gloria Dei, neque ſolùm ob hoc ſunt admirandi; ſed quòd id nullius mercedis gratia fecerunt. Ideóque dicebant, *Eſt Deus in cœlo potens eripere nos, qui etiamſi non eripiat, notum ſit tibi Rex, nos non ſeruiturps diis tuis: ſufficitque nobis illa merces, quòd propter Deum morimur.* Orat. contra Iud.

Videamus an nos tantæ diuinæ amicitiæ reſpondea

ſpondeamus. Reſpondebimus autem, ſi ſine reluctatione omnia Deo tribuamus, aut ſaltem quod ipſe nobis abſtulerit, patienter feramus. Si enim propter opes deperditas, vel propter filium; aut parentem mortuum, vel ob amiſſam ſanitatem, te excrucies, non es verus eius amicus, non ſunt tua ei communia. Nam ſi verè Deum diligeres, libenter ei, vel pro eius gloria, tribueres. Quomodo dares vitam, qui pauperi propter Deum petenti denegas micam? Quomodo dares te, qui ei tua recuſas? Quomodo dares animam, qui nec vel minimum tui corporis digitum pro eius gloria offerre velles? Quoties tibi dixit; *Fili præbe mihi cor tuum*, & tamen quod Deo denegas, amaſiæ concedis? Si omnia cum illo haberes communia, de ablatis non doleres, quidquid à te petit, præberes, atque ita verus eius amicus fieres; & de te ſicut de Lazaro diceret.

Amicus noſter dormit, vado vt à ſomno excitem eum. Idem dicit de omnibus his quæ amicis ſuis contingunt; ſi enim amicus Dei eſſes, & verbi gratia, & ægrotares, diceret ipſe, *Amicus noſter infirmatur, vado vt ſanem eum:* ſi pauper eſſes, diceret, *Amicus noſter egenus eſt, vado vt ei ſubueniam.* Similiter diceret de omnibus aliis neceſſitatibus quæ tibi obuenirent: nónne de quibuſdam ſequentibus ſe dicit, *vnde ememus panes, vt manducent hi?* Et de alia turba, *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent,* Scito illum præcipuè curam gerere eorum, qui eum ſequuntur & diligunt.

Matth. 18.

Sunt Dei amici veluti lapides quadrati, qui quocumque vertantur ſemper ſtant & firmi ſunt.

ſunt. Non ſine myſterio iuſſit Dominus Arcam fieri ex lignis quadratis : nam vbi noſtra communis verſio habet, *facies Arcam de lignis leuigatis*, Septuaginta legunt, *de lignis quadratis*. Ita etiam legit D. Auguſtinus, qui etiam rationem aſſignans huius, cur Deus iuſſerit Arcam componi ex lignis quadratis, ſic ſcribit. Quòd de lignis quadratis Arca fieri iubetur, vndique ſtabilem vitam Sanctorum ſignificat. Quantuncumque enim verteris quadratum, ſtabit.

Gen. 6.

Lib 15. de Ciuitate Dei. c. 26.

Præterea, volebat Deus vt lapides fundamenti templi eſſent quadrati: vnde dicitur, *Præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Iuſti ſimiles ſunt lapidibus quadratis; in quocumque euentu, ſiue proſpero, ſiue aduerſo, ſemper ſtant. Quadrato lapidi, inquit idem Auguſtinus, ſimilis eſt iuſtus, ſi qua vertatur non cadit: nam quadratus lapis quocumque eum verteris, ſemper ſtat. Quadratus lapis fuit Iob, qui dum diuitiis abundabat, pauperibus erogabat, dum indigebat, Deum benedicebat, atque ita tanquam lapis quadratus non cadebat, ſed ſemper ſtabat. Quadratus lapis fuit noſter Lazarus, qui ſanus Chriſto miniſtrabat, mortuus Chriſti voci obediebat. Fortè in figuram huius permiſit Chriſtus, vt Lazarus quatriduo maneret in ſepulchro; *Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Ex illis viris quadratis, id eſt, ex hominibus, qui ad omnia tam aduerſa, quàm proſpera parati ſunt, vt omnia in Dei gloriam & honorem peragant, conſtruitur Arca, fundatur templum, hoc eſt, merebuntur illi homines

3. Reg. 5. 17.

In Pſal. 86.

mines quadrati ingredi ciuitatem cœleſtem, quæ ſecundùm Ioannem, *in quadro poſita eſt*. Licèt autem Lazarus eſſet Chriſti amicus, non tamen ſtatim audita eius infirmitate adiuit Bethaniam; ait enim ſacer textus.

Tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Cur Dominus hoc audito non ſtatim ſe contulit Bethaniam? cùr adhuc manſit duobus diebus? Nónne erat amicus Lazari? nónne ſcriptum eſt,
Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, reuertere cras, cùm ſtatim poſſis dare?* Cur inquam ſinit Lazarum mori, ſepeliri,
[illegible].63. imò iam fœtere? Reſpondet Chryſolog. vt tota vis mortis impleretur. Voluit autem Chriſtus vim mortis impleri, quatenus eis manifeſtaretur quantum ipſa potuerit. Hoc poteſt mors in hominem, nempe occidere, animam à corpore ſeparando; & corpus ſepulchro tanquam loco proprio tradere, ac putredini & fœtori exponere. Nihil aliud poteſt, hic finitur eius potentia.

Suſcitauerat Chriſtus alios mortuos, ſed nondum impleta mortis potentia. Quando, verbi gratia, ſuſcitauit filiam Archiſynagogi, mors tantùm eam occiderat, ſed nondum eam ſepulturæ mandauerat. Suſcitauit & filium viduæ, quem etiam mors & occiderat, & domo eiecerat, atque vt extra ciuitatẽ ad ſepeliendum efferretur effecerat; ſed nondum ad putredinem perduxerat. At in Lazaro permiſit Dominus morti vt totã ſuam vim exerceret, permiſit & ſepulchro & corruptioni, vt quod ipſe erat facturus, non humanum, ſed omnino diuinum eſſe oſtenderet. Quod egregiè animaduertens idem
Ibidem. Chryſologus, ſic ſcribit. Videtis, quemadmodum

dat

dat locum morti, licentiam dat ſepulchro, corruptioni poſſe permittit, negat nihil putredini, nihil fœtori, atque vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit, vt humana ſpes tota pereat, & tota vis humanæ deſperationis accedat, quatenus quod facturus eſt, diuinum ſit, non humanum.

Præterea, manſit Dominus in eodem loco duobus diebus, noluítque ire ad Lazarum, quando ſorores eius miſerunt ad eum, ſed quando ipſe iudicauit eſſe eundum. Tunc enim ait, *Eamus ad eum*; non iuit provt petebatur, ſed provt expediebat. Laudantur iſtæ ſorores quòd miſerint, quòd infirmitatem fratris expoſuerint, imò quòd vt eum Chriſtus curaret, optauerint: ſed non laudarentur, ſi quòd venire diſtulerit doluiſſent, vel conqueſtæ fuiſſent. Ita nobis quidem licitum eſt, neceſſitates noſtras Deo exponere, imò orare, vt quæ nobis magis expediunt, concedat: ſed nobis non licet conqueri, quòd dare differat, cùm interdum ipſa dilatio ſit nobis neceſſaria. Deinde non differtur, quod opportunè confertur. Audi Auguſtinum. Non tardabit Dominus ad vtilitatem, ſi tardauerit ad tuum deſiderium. Petit infirmus bibere, ſed Medicus non vult dare potum ad ipſius votum, ſed ad commodum, ſcilicet ceſſante, vel minuente febre. Non tardat ergo ad vtilitatem, ſi tardet ad deſiderium; vel interdum recuſat Deus minora conferre, vt maiora tribuat. Idem Doctor aſſignans rationem, cur Chriſtus diſtulerit, ſic ait. Ille diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare. Nonnullorum audiuntur querelæ,

Aug.

Tract. 49. in Ioan.

verbi gratia, vnus dicit: Iam diu eſt quòd ego podagra, vel alio morbo laboro, & ſingulis diebus oro Dominum vt dignetur me ab hac infirmitate liberare. Alter ait, à longo tempore paupertate premor, & Deum aſſiduè precor vt mihi ſubueniat, & tamen magis ſemper indigeo. Crede mihi, *Spera in Deo, & ipſo faciet.* Quid faciet? fortè non quod tu petis, vel quando tu petis, ſed quod, & dum tibi magis expedire videbit. Iſtæ ſorores optaſſent fratris ſanitatem, ideo ad Chriſtum miſerunt, ſed ille diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare. Noluit tunc quod minus erat dare, vt poſtea quod maius erat conferret. Ita ſi tardet dare quod poſtulas, ſcito hoc tibi profuturum. Audi hortantem: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Non tardabit inquam ad vtilitatem. Interdum enim Deus hìc non ſanat, vt parcat in æternum. Audiamus eumdem Doctorem. Videtur Deus non exaudire, vt ſanet & parcat in ſempiternum.

Pſalm. 36. | Abac. 2. | In Pſal. 33.

Idem Auguſtinus oſtendit ſatis citò nobis conferri, quod à Deo petimus, illúdque eſſe feſtinum, quod nobis diuturnum videbatur: affértque ſimilitudinem infirmi, querentis quòd non citò ſibi detur quod petit, licèt qui ei miniſtrant, feſtinent. Infirmitas, inquit, facit diu videri, quod citò eſt. Quomodo inueniuntur deſideria ægrotorum, nihil tamdiu, quàm vt calix ſitienti præparetur; vtique feſtinatur à ſuis, ne fortè offendatur infirmus. Quando fiet? quando coquitur? quando dabitur? Celeritas eſt in illis qui tibi ſeruiunt, ſed infirmitas tua diuturnum putat quod citò agitur. Infirmitas noſtra, impatientia

In Pſal. 36.

tientia eſt, qua ferè omnes laboramus, & qua, quod feſtinum eſt, diuturnum putamus. Tandem ita concludit, & hortatur idem Doctor. Quod tibi longum videtur, citò eſt Deo, ſubiunge te Deo, & citò tibi erit. Ibidem.

Porrò, ſcit ille ſanare qui nouit vulnerare, præuidet quando debeas curari qui nouerat quando debuiſti infirmari; ergo ab eo expectes medelam, à quo recepiſti plagam. Habet quando te cupiat eripere, qui habuit quando te voluit percutere. Audi illum dicentem, *Percutiam, & ego ſanabo*. Quando ſanabit? quando quod poſtulamus dabit? dum nobis expedire iudicabit. Ab eo igitur ſperemus tempus liberationis, à quo iuſte recepimus modum vexationis: ſcit enim quando ſimus ſubleuandi, qui nouerat quandò fuimus caſtigandi. Venit itaque Dominus ad ſuſcitandum Lazarum, quandò iudicauit tempus eſſe opportunum. Acceſſit Martha, ac dolens dicebat, fratrem non fuiſſe mortuum, ſi Chriſtus adfuiſſet; Dominus autem illam conſolatur dicens. Deut. 32.

Reſurget frater tuus. Chriſtus de ſeipſo apud Iſaiam: *Miſit me*, inquit, *vt mederer contritis corde, vt conſolarer omnes lugentes*. Triſtis erat Martha, & lacrymabatur, dolebàtque de morte fratris ſui; illam lugentem conſolatur Dominus his verbis, *Reſurget frater tuus.* Sicut nihil eſt morte triſtius, aut nihil eſt quod nobis maiorem afferat triſtitiam, quàm mors: ita nulla eſt maior conſolatio quàm ſpes reſurrectionis. Triſte eſt illud nuncium, *Mortuus eſt filius, frater, aut pater tuus*: ſed iucundum & conſolatione plenum eſt illud, Iſai. 61.

Reſurget frater, filius, pater tuus. His verbis conſolatus eſt aliàs D. Hieronymus amicum ſuum Heliodorum, qui plurimùm triſtabatur propter obitum Nepotiani: nam propoſitis & ab hoc Doctore allatis multis infidelibus, qui naturalibus rationibus ſe inuicem conſolabantur in morte ſuorum, tandem concludit. Præſtet fides in nobis, quod illis exhibuit infidelitas: audiamus Chriſtum auctorem fidei & conſummatorem dicentem; *Reſurget frater tuus.* Simili modo

Orat. de obitu Valent. D. Ambroſius mortuo Valentiniano conſolabatur huius Imperatoris filias. Tempus eſt quando eum recipietis viuum, reſurget enim & iterum viuet. Dixit autem Martha.

Scio quia reſurget, &c. Nam cùm credam te reſurrecturum, credo quoque fratrem meum, cæteróſque homines reſurrecturos. Paulus ſic inferebat, *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.* (Rom. 5.) Vnde ex reſurrectione Chriſti, Patres noſtram colligunt reſurrectionem, veluti Ignatius, Tertullianus, Irenæus, & alij. Conſequentiæ autem vis in eo eſt, quòd redemptor, vindex & propinquus repræſentet eum quem redimendum ſuſcepit: ideo enim quia ſine carne propinquus non eſſet, carnem aſſumpſit, vt perfectus redemptor, & propinquus eſſe poſſet illorum, qui homines eſſent. Neque perfectè redimit quem à morte quoque corporis non liberat; neque perfectè liberat, niſi ipſe quoque, ipſe in ſeipſo mortem vincat, & reſurgat. Ergo hominem quem mori neceſſe eſt, neceſſe quoque eſt à morte ſurgere ope & virtute ſui Redemptoris reſurgentis. Redemptor autem niſi viuat, & poſt

(Epiſt. ad Trallianos. Lib. de reſur. carnis. cap. 23. 24. Lib. 5. c. 7.)

mortem

mortem reſurrexerit rediuiuus homo, non erit perfectum humanæ vitæ reliquis hominibus exemplar, & cauſa. Si viuit autem poſt mortem, vitæ conferendæ certiſſimam iniicit ſpem mortalibus omnibus, propoſito ſuæ vitæ exemplari, qui mortem illorum ſua morte repræſentauit & interemit. Sic eleganter Nazianzenus. Mors aduerſus mortem, & tenebræ propter lumen, & ſepultura aduerſus illam in terram reuerſionem, & reſurrectio propter reſurrectionem. Sciens igitur Chriſtus ſe reſurrecturum, ac ipſam ſuam reſurrectionem futuram eſſe cauſam noſtræ reſurrectionis, aſſeueranter dixit Marthæ, *Reſurget frater tuus.* Martha autem certa de Chriſti reſurrectione, & conſequenter de noſtra, dixit, *Scio quia reſurget*, &c. Orat. 1.

Videntur etiam corpora noſtra orare, dum ſepulturæ mandantur, vt dignetur Dominus aliquando illa ſuſcitare. Hæc vt intelligas, nota quid dicat Paulus, cùm de glorificatione Chriſti Ieſu pòſt reſurrectionem loquitur, ait, *In nomine Ieſu omne genu flectatur*, &c. Quid eſt, *flectatur?* deprecetur omnis homo, & ab hoc viuente Deo, atque vitæ & reſurrectionis auctore vitam emendicet: atque viuentem quoque venerabundi adorent illi, qui in cœlis, qui in terris viuunt, tum etiam ipſi quorum in ſepulchris, inferis, & ſubterraneis iacent cadauera, vt quæ ab illo reſurrectionem & vitam expectent. Vnde obſeruant aliqui, quòd dum quis ſepelitur, & in terra deponitur, ipſo iacendi habitu, videtur quaſi proſternendo ſe, adorare Deum viuentem, & ſupplex deprecari reſtitutionem ad vitam, Philip. 2.

ideóque iunctis manibus ſepelitur, quaſi orans ex eo loco. *In conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.* Sic fere interpretatur D. Ignatius.

Epiſt. 2. ad Trallianos.

Tollite lapidem. Quaſi dicat, lapis eſt amouendus, qui non erat imponendus; nam apud quaſdam nationes ingens lapis, aut grauis arena cadaueribus non imponebatur, ſed leuiſſimum puluerem, aut terram minimè grauem ſuper iacere ſolebant. Hinc natæ familiares illæ precationes.

Meleager.

Salue terra parens: nunc tu quoque ſis leuis illi,
Qui grauis antè tibi non fuit Auſigenes.

Mart.

Et apud Martialem.

Sit tibi terra leuis, molliqne tegaris arena.

Tibul.

Tibullus cuidam obeunti perniciem optans ita precabatur, *Infelix vrgeat oſſa lapis.* Imbuit etiam mos iſte Hebræos, qui etiam ex religione quadam defunctis parcebant, ne lapides eorum cadaueribus imponerent. Ideo quaſi contra morem & contra ſolemnem ritum illud obſeruatur, quòd ſupra cadauer Abſalomis ingens lapidum aceruus aggregatus eſt, *Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis.* Quod ex conſilio Ioab factum fuit, vt hoſti etiam mortuo inſultaret. Qui enim viuus grauis patri ſuo fuit, meruit etiam mortuus aceruo lapidum grauari & onerari. Lazaro autem qui nemini fuit grauis, non debebat ingens lapis ſuperimponi; ideo *tollite lapidem.* Obſtinatis verò peccatoribus non tantùm mortuis debet imponi lapis, ſed & adhuc viuis expedit vt

2. Reg. 18.

ſuſpen

ſuſpendatur eis mola aſinaria, & demergantur in profundum maris.

Iam fœtet. Si corpus illius quem Chriſtus diligebat, iam fœtebat, quantò magis animæ eorum quos odit? *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Vita animæ eſt gratia: ſi itaque corpus à quatuor diebus anima deſtitutum iam fœtebat, vt & ſorores eius ſuſtinere non poſſent, quanti putas fœtoris erit anima, à menſe, vel ab anno diuina gratia deſtituta, & peccatis repleta?

Dic Martha, nónne fratrem tuum diligebas? diligebam, inquit, & adhuc diligo. Víſne cum illo manere? non. Quare? quia *iam fœtet.* Viſne vt ſepulchro cum vermibus includatur? maximè, quia *iam fœtet.* O Deus optime & amantiſſime, qui nihil odis eorum quæ feciſti; nónne animam etiam peccato inquinatam diligis? diligo. Cur vis vt Paradiſo priuetur, & cum dæmonibus in infernum detrudatur? quia *iam fœtet.* Videte quid contingat peccatoribus ob fœtorem animæ.

Fœtebat Marthæ Lazarus quatriduanus: ſed multò peiùs fœtet peccator Deo & Angelis. Non poteſt Deus fœtórem peccati tolerare, ideo nullum vult peccatum in cœlum intrare. Quando Lucifer peccauit, ſtatim fœtere cœpit, vnde ſtatim cœlo eiectus eſt. Vtinam nares haberemus ſpirituales, quibus noſtrorum peccatorum fœtores perciperemus; quia nullum peccatum committeremus, & iam commiſſa deponeremus, ac de illis pœnitentiam ageremus, ac ſic in cœlum ingrederemur. Sed non poteſt quis in illud ingredi, niſi foras egrediatur, audiátque Dominum clamantem, eíque obediat.

Lazare, veni foras. Vbi vox Chriſti intonuit, mox qui fuerat mortuus reſiliit, *& ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Quod obſeruans D. Ambroſius, ſic fatur. Comprehende ſi potes quomodo clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium, non iam ſuo ordini, ſed diuino nutui ſeruiebat: agebatur priùs, quàm parabatur inceſſus. O nos felices, ſi ſic præceptis diuinis obtemperemus! Mortui magis ſunt viuentes, vocem Domini non audientes, quàm ipſi mortui ad vocem Domini reſurgentes. Reſurgunt, inquam, mortui, & reſurgendo ac voci Domini obediendo pudefaciunt nos, qui ſæpe vocem Domini audientes obtemperare renuimus. Quod nunc Lazaro in ſepulchro iacenti, hoc & nobis in peccato ſepultis dicitur, *veni foras.* Hoc obſeruat Diuus Gregorius. Lazaro dicitur, *veni foras*, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur; cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras iam per confeſſionem egredere. Veniat foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Idem ſentit D. Auguſtinus, explicans quid ſit venire foras. Quid eſt, ait, foras prodire, niſi quod occultum eſt foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Veni ergo foras, ſi non vis manere foris.

Lib. de fide reſurrect.

Lib. 2. Moral. c. 9.

DOMI

DOMINICA IN PASSIONE.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

AD bellum ſeſe olim accingentes Romani ſolebant vexilla erigere, quibus milites ad ſumenda arma aduerſus inimicos inuitabantur; vnde Tertullianus, opus eſt vexillo & conuolabunt. Attic. epiſt. 17. Habebant autem diuerſa vexilla ſecundùm diuerſitatem belli, vt ſcribit Cornelius Tacitus. Lib. 1. Annal. Nam ſi, verbi gratia, aliqui eos grauiter læſiſſent, propter quod mererentur omnino deleri, & eorum ciuitates ſuccendi, & ſolo æquari, erigebatur vexillum coccineum, ſiue purpureum, quo ſignificabatur, hoſtibus minimè eſſe parcendum, ſed contra eos igne, ferro & ſanguine eſſe agendum. Videtur Eccleſia nos ad bellum inuitare, dum Crucis vexilla iubet hodie eleuare; *Vexilla Regis prodeunt.* Quærit igitur mater noſtra, vt nos accingamus ad vindicandam necem ſponſo ſuo Ieſu Chriſto illatam, atque arma ſumamus contra occiſores, oſtendens vexillum purpureum, canit enim, *Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpura.*

A quibus autem ſit occiſus indicat Apoſtolus, Rom.4. *mortuus eſt propter delicta noſtra.* Peccata ſunt quæ illum occiderunt, contra ea ſunt arma ſumenda; etenim noſtra ſuperbia caput eius acutiſſimis coronauit ſpinis: noſtra auaritia manus & pedes eius clauis transfixit: noſtra luxuria ſacratiſſimam eius carnem grauiſſimis cruentauit verberibus: ira noſtra iniuriis & conuiciis eum affecit: inuidia noſtra latus eius aperuit: gula noſtra acetum & fel ei propinauit: deſidia noſtra Cruci eum affixit; noſtra denique vitia illum occiderunt. Quis igitur contra illa non dimicabit? fierine poterit, vt cum tantis inimicis, qui tam duris tormentis Saluatorem noſtrum affecerunt, pacem ineamus? Vt autem Chriſtus partim innueret ſe non pro ſuis delictis, cùm nullum peccatum in eum cadere poſſet, ſed pro noſtris eſſe paſſurum, hac vſus eſt obteſtatione, ad ſuam innocentiam comprobandam, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Iam extabat teſtimonium cœli de Chriſti innocentia, Patris enim cœleſtis iam vox intonuerat, *Hic eſt filius meus dilectus.* Iam quærente Chriſto, quid de ſeipſo ſentirent homines, ſuum Petrus in perſona omnium Apoſtolorum protulerat teſtimonium, Matth.16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ioannes quoque iam illum proclamauerat innocentem, cùm Agnum illum vocitarat, *Ecce Agnus Dei.* Angelus præterea qui eius natiuitatem nuntiauerat, ſanctitatem eius genitrici Mariæ prænunciauerat, *Quod enim naſcetur ex te* Epiſt.61 ad Pamach. *Sanctum, vocabitur filius Dei.* Verùm quia interdum, teſte Cicerone apud Hieronymum, amantium

tium cæca ſunt iudicia; voluit Chriſtus etiam inimicos obteſtari, eiſque committere vitam ſuam examinandam; *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Iſti impij Iudæi tandem cogebantur eius fateri innocentiam, dum aliquando dixerunt, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Quaſi dicant: illo ex omni parte conſiderato, tam in verbis quàm in factis, nihil penitus animaduertimus, præter ſigna & miracula, quibus populus cogitur in illum credere. Quid tibi videtur Pilate de Chriſto? auditis omnibus quæ contra eum obiiciebantur, quid ſentis de illo? *Nullam cauſam inuenio in eo, de quibus eum accuſatis.* Quid dicis proditor Iuda, qui adeò illum oderas, vt illum tradere non ſis veritus? *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Dic quod eſt tuum de Chriſto teſtimonium, ô vxor Pilati, ſaltem viro tuo dic, *Quid tibi & iuſto illi?* Quis ex vobis, ô latrones, arguet illum de peccato? *Hic nihil mali fecit.* O vos Gentiles, quis ex vobis arguet eum de peccato? Forte quia illum non agnoſcitis, de illo teſtimonium non perhibebitis. Sed audite vnum ex veſtris, ſcilicet Centurionem, qui eius adfuit paſſioni, audite, inquam, illum & iuſtum & Dei filium confitentem, *Verè hic homo iuſtus erat, verè filius Dei erat iſte.*

Luc. 22. Matth. 27. Matth. 27. Luc. 23. Matth. 27.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Intendit Chriſtus his verbis nos docere, quomodo nos gerere debeamus antequam veniat hora mortis: non enim indigebat iuſtificatione, qui nullam poterat committere offenſionem; ſed vtilem nobis dare voluit inſtructionem, ſciebat enim ſe adducen

adducendum coram quibuſdam Iudicibus tempore ſuæ paſſionis & mortis: fuit namque ductus ad Caïpham, ad Pilatum, & ad Herodem: ſciebat præterea in huiuſmodi tribulationibus multos ipſum eſſe falsò accuſaturos, illóſque Iudices ipſum eſſe interrogaturos. Antequam igitur veniret huiuſmodi tempus, voluit ſuam manifeſtari innocentiam, ac palàm dicere, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quaſi dicat: ad innocentiam meam comprobandam, & patefaciendam, nolo expectare horam mortis meæ.

Propterea obſeruandum eſt, Chriſtum coram huiuſmodi Iudicibus tacuiſſe, & nihil ferè reſpondiſſe; nam coram Caïpha adeò tacebat, vt
Marc.15. dixerit ei Pontifex, *Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei viui.* Coram
Luc.23. Pilato etiam obmuteſcebat, *ita vt miraretur Præſes vehementer*, ac ei dicere cogeretur; *Vide in quantis te accuſant.* Coram verò Herode nihil penitus reſpondit: nam, teſte Luca, *ſtabant principes Sacerdotum, & Scribæ conſtanter accuſantes eum, ipſe autem nihil reſpondebat.* Quare tacebat? Quare non reſpondebat? Quia priùs dixerat quæ erant dicenda: iam reſponderat, quæ nunc eſſent reſpondenda: iam, inquam, omnia peregerat, quæ ad innocentiam ſuam manifeſtandam erant neceſſaria. Quando hæc peracta ſunt? Dum dixit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Dices, quando Chriſtus hæc verba proferebat, nullus eum accuſabat, nemo interrogabat. Quare ergo interrogatus ab illis Iudicibus, vel accuſatus ab illis falſis teſtibus, non dicebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quia imminebat tunc hora mortis; hoc enim

erat

erat ei longè antè dicendum, atque innocentiæ ſuæ conſulendum. Vtinam & nos conſulamus conſcientiæ noſtræ, omniáque antequam immineat hora mortis peragamus, quæ nobis agenda ſunt ad iuſtificationem noſtram.

Quid vnicuique noſtrûm ad hoc propoſitum conſulat etiam Dominus alibi, precor attende. *Cum vadis cum aduerſario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad Iudicem, & Iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Luc. 12. Idem videtur conſulere apud Matthæum, *eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via.* Quis ſit iſte aduerſarius quærunt Doctores. Alij enim hunc aduerſarium dicunt eſſe diabolum, de quo Diuus Petrus, *Aduerſarius veſter diabolus.* 1. Petr. 5 Verùm, quia nunquam huic aduerſario diabolo conſentire debemus, aliqui, vt Diuus Athanaſius, per hunc aduerſarium de quo loquitur Christus, intelligunt propriam conſcientiam. Lib. quæſt. q. 62. Dicitur, inquit ille Doctor, conſcientia aduerſarius, nam occultè in corde nos redarguit: remordendo enim & intus arguendo, videtur nobis aduerſari.

Diuus Auguſtinus per hunc aduerſarium intelligit legem diuinam, quæ, inquit, eſt aduerſarius noſtræ voluntatis. Serm. 1. de verbis Domini. Vnde & exclamat. O quàm bonus aduerſarius, quàm vtilis aduerſarius! non quærit noſtram voluntatem, ſed vtilitatem. Vtiliter enim aduerſatur huiuſmodi lex voluntati & concupiſcentiæ noſtræ, quæ interdum vellet ſenſualiter ac carnaliter viuere; ſed ſe opponit lex, *Non mœchaberis.* Vellet voluntas noſtra vindicari de inimicis, at contra

Rom.7. tradicit lex, *Ne iraſcaris fratri tuo*: ita vt dicat Apoſtolus, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Siue iſte aduerſarius ſit propria conſcientia, ſiue lex diuiña; oſtendit Chriſtus quomodo cum illo nos gerere debeamus, dum ait apud Lucam, *Cùm vadis cum aduerſario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo*; & apud Matthæum, *eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via.* In via igitur ſumus quandiu viuimus, & tendimus ad mortem, & poſt illam, ad Deum Iudicem: graditur nobiſcum propria conſcientia, comitatur & nos lex, ſiue Dei mandatum. Huic ergo aduerſario voluntatis, ſenſualitatis ac concupiſcentiæ noſtræ debemus eſſe conſentientes, id eſt, viuere debemus ſecundùm conſcientiam, & legem diuinam. Voca ô homo teipſum ante teipſum, aſcende tribunal mentis tuæ, & dic, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed quibus hæc dicet? tum ſuæ conſcientiæ, tum præceptis diuinis. Veniant ergo mandata diuina, & dicat; Quod ex vobis arguet me de peccato? Quòd ſi viderit ſe aliquod eorum violaſſe, ſtatim confiteatur, agátque pœnitentiam; recordetur ſermonis Domini, *eſto conſentiens aduerſario tuo.*

Ad hoc iudicium faciendum, & ad hanc pacem cum illo noſtro aduerſario ineundam, nos Hom.45.ad pop. præclare hortatur Diuus Chryſoſtomus his verbis. Conſtitue ſuper conſcientia iudicantem rationem; & in medium omnia tibi patrata propone, animæ tuæ peccata ſcrutare, & pœnas exige diligenter & dic; Quamobrem hoc, & hoc

cauſa

cauſa eſt? Quare tu hoc, & hoc admiſiſti? Vel dic non iactabundus, nec quaſi innocens, ſed diligenter teipſum examinans, & ea mente ſecundum quam Chriſtus te docere voluit; *Quis arguet me, aut arguere poterit de peccato?* Si reus ſis, ſtatim te accuſabit aduerſarius tuus, ſcilicet conſcientia, cui fac conſentias, pacémque cum illa ineas, peccata tua deferendo, & pœnitentiam agendo, alioquin coram diuino illo Iudice, peracta via, id eſt, finita hac vita, te accuſabit. Vnde addit idem Doctor. Si per ſingulos hoc feceris dies, cum fiducia ſtabis ante tremendum illud tribunal. Paulus ita purus eſt factus, & propterea dicebat, *ſi enim nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Ibidem. 1 Cor. 11.

Dices, quando mihi faciendum eſt hoc examen? Quando mihi ineunda eſt pax cum hoc meo aduerſario? Audi, *citò, dum es in via*; citò, cùm mane poſſis, noli expectare veſperam. *Dum es in via,* id eſt, in hac vita, quia in futuro ſæculo non poterit quis huic aduerſario conſentire, ſed impium perpetuò torquebit per continuum remorſum, qui propter cruciatum vocatur vermis, de quo Propheta, *vermis eorum non morietur.* Quàm citiùs itaque poterimus, & non tantùm citò, ſed & ſæpe omnibus noſtræ animæ facultatibus, omnibúſque tam internis, quam externis noſtris ſenſibus dicamus; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Si enim illicitè mulierem aſpexeris, accuſabit te oculus; ſi proximo detraxeris, accuſabit te lingua; ſi obſcœnas cogitationes admiſeris, accuſabit te intellectus; ſi turpiter aliquid amaueris, accuſabit te volun-

tas;

tas; ſi iniuriæ recordatus fueris, arguet te memoria. Ita nos geramus, vt à nullo iſtorum ſenſuum arguamur.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Sinamus iſtos impios & ingratiſſimos Iudæos. Quid reſpondere poterunt multi Christiani dum à Chriſto dicetur eis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Dic homo, qua in re poteris me arguere? Quid
Ierem.2. ego non præſtiti pro te, & tua ſalute? *Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quia elongauerunt a me, & ambulauerunt poſt vanitatem?* Sed & vos quid inueniſtis in me iniquitatis? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quid vltrà debui facere, & non feci? Neceſſe erat vt Chriſtus pro
Ad Tit.1. nobis traderetur? *Dedit ſemetipſum pro nobis.* Indigebamus Sacramentis? Lauit nos Sacramento Baptiſmatis, confortauit nos Sacramento Confirmationis, reconciliamur Sacramento Pœnitentiæ, reficimur Sacramento Euchariſtiæ. Dicat
Ibidem. ergo Apoſtolus, *præſtitit omnia abundè.* Quot inſtituit Sacerdotes? Quot Confeſſores, vt ab eis abſoluamur? Quot Prædicatores, vt erudiamur? Quot inſpirationes immiſit? à quantis nos eripuit periculis? in quo poſſumus illum arguere?

Contra verò, quis eſt qui non poſſit nos arguere de peccato? Quod præceptorum non ſumus tranſgreſſi? Quis ex noſtris ſenſibus non
2. Petr.1. abundat exceſſibus? Nónne gerimus *oculos plenos adulterij!* Nónne aures noſtræ apertæ ſunt ad
Pſalm.5. audiendas detractiones? nónne *lingua noſtra ſicut*
Iſai.1. *nouacula acuta facit dolum?* nónne *ſepulchrum patens eſt guttur noſtrum?* nónne *manus noſtra ple-*
Iſai.9. *næ ſunt ſanguine?* nónne *pedes noſtri ad malum currunt?*

currunt? Non tantùm, ô peccator, poteſt Deus, ſed & omnis creatura, arguere te de peccato; imò ipſum tuum peccatum arguet te. Audi aſſerentem, *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.* Non potes ergo dicere, *Quis arguet me de peccato?* cùm nihil ſit quod non habeat, vnde te poſſit arguere. Primò enim habebis Deum arguentem, & peccata tua, vt & ipſa te arguant, ante te ſtatuentem. *Arguam te, & ſtatuam contra faciam tuam.* Quid eſt *ſtatuam?* ordinabo, vel præparabo, vel, vt alij legunt, *diſponam ante oculos tuos*, flagitia tua; & non tantùm peccata tua, vt ab eis arguaris, ponam ante faciem tuam, ſed & teipſum, vt à teipſo arguaris: vnde legit Hieronymus, *proponam te ante oculos tuos*; & Diuus Auguſtinus, *conſtituam te ante faciem tuam:* vt cogaris dicere, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Ierem. 2. Pſal. 49. Pſal. 118.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ac ſi dicat: Qui non poteſt peccare, non poteſt mentiri, cur ergo non creditur illi qui non poteſt mentiri? Adeò erant iſti increduli, licèt vera opera viderent, & vera verba audirent à Chriſto, vt, teſte Marco, ipſe Dominus *miraretur propter incredulitatem eorum.* Sed ſinamus iſtos Iudæos, & videamus quid in nobis ſit admiratione dignum. Si infideles ſumus, certè nullus mirabitur incredulitatem noſtram; ſed vereor ne miretur quis propter credulitatem noſtram, quia credimus, & ſecundùm quod credimus, non viuimus. Quis non mirabitur videre hominem Chriſtianum credere, verbi gratia, adulterium pœnam mereri æternam, & tamen non ceſſare adulterari & mœchari? Fieríne poteſt vt credat Marc. 6.

quis ob minimam voluptatem æternum acquiri ſupplicium, & tamen velit voluptatibus indulgere? Quis non mirabitur cùm viderit aliquos fideles credere vnicum peccatum mortale mortem mereri æternam, & tamen ſingulis quoque diebus multa patrare peccata? Quis vellet guſtare aliquem cibum veneno infectum? *Nunquid,*
Iob.6. ait Iob, *poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?*

Si quis aliquid manducandum proponeret, & diceret Medicus, nullus ex eo comedat, nam certò ſcio hoc eſſe venenatum, & mortem comedenti allaturum; & vnus diceret, nolo credere verbis iſtius Medici, & comederet, & moreretur; alter diceret, ego quidem credo huic Medico, & hunc cibum eſſe venenatum, & tamen volo ex eo comedere, licet mihi afferat mortem. Dic rogo, quem magis mirareris? Quis magis mortem mereretur incurrere? Certè priorem mirareris propter illius incredulitatem, quòd ſcilicet Medico affirmanti noluerit credere: at ſecundus magis eſſet, non tantùm admiratione, ſed & increpatione & morte dignus, qui cùm crederet, ſciret & intelligeret ſub illo cibo venenum latere, & infallibiliter ſibi mortem allaturum, noluerit ab eo abſtinere; imò ſuum ex eo voluerit ventrem implere. *Nunquid poteſt quis guſtare, quod guſtatum affert mortem?* Venit Chriſtus cœleſtis Medicus, aſſerens peccatum eſſe quid mortiferum, docénſque illud eſſe fugiendum, tanquam à facie colubri; vnde Apoſtolus ab eo edoctus ſic ait: *Peccatum cùm conſummatum fuerit generat mortem.* Peccatum autem coſummatur, quando volunta-

riè committitur: illud autem committere, eſt venenum bibere. Hoc licèt audiant infideles, Iudæi, Mahumetani, nolunt credere Chriſto, ideo ob ſuam incredulitatem moriuntur, damnantur, quia *qui non credit iam iudicatus eſt.* Credunt tamen Chriſtiani, & fatentur, quòd ſcilicet *anima quæ peccauerit ipſa morietur*, & non minùs dant ſe omnibus vitiis; aliqui auaritiæ ſtudent, alij luxuriæ, quamuis ſciant & credant, quoſdam auaritia, alios verò luxuria periiſſe, mortémque æternam incurriſſe. Illis nempe infidelibus, Iudæis & ſimilibus poteſt Deus dicere; *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Iſtis verò, ſcilicet Chriſtianis, quaſi mirabundus dicet: Si veritatem dixi, & credidiſtis, quare non feciſtis? Rationem aſſignat, dum ait.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, ſed vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Probat his verbis Chriſtus, iſtos Iudæos ſibi veritatem dicenti non credere, quia ex Deo non ſunt. Ex quo ergo ſunt? Audi, *Vos ex patre diabolo eſtis*, non creatione, ſed imitatione, quia ſcilicet ſicut diabolus *in veritate non ſtetit, & veritas in eo non eſt, mendax eſt, & pater mendacij*; ita iſti odio habebant veritatem, & vera dicentem non audiebant: vnde & eis meritò exprobratur, *Deſideria patris veſtri vultis perficere.* Quænam fuerunt deſideria Luciferi? Dum adhuc eſſet in cœlo, Verbo carnem humanam aſſumpturo inuidit. Nam, teſte Bernardo, vidit & inuidit. Noluiſſet Verbum incarnari, quia nolebat naturam humanam ſupra Angelicam exaltari. Multos alios Angelos ad ſuam traxit ſententiam, ac ſimilia deſiderare perſuaſit,

Ioan 8.

Bernard.

qui ideo,ſicut & ille diaboli ſunt effecti,& cœlo eiecti. Poſtea lapſus de cœlo Lucifer,hanc eamdem Incarnationem impedire conatus eſt, dum naturam humanam in vno homine Adamo, peccato infecit. Sed cùm illam Incarnationem impedire non potuerit, ſaltem eam impugnare ſtuduit, hominibúſque, & potiſſimùm iſtis Iudæis perſuaſit ne illam crederent, & Chriſtum filium Dei incarnatum non reciperent,ſed eum acriter inſectarentur,verbíſque eius & miraculis non crederent. Et quia hæc perficiebant, ideo rectè eis dicit Chriſtus,*Deſideria patris veſtri vultis perficere.*Id eſt,quod ille per ſe non potuit,vellet per vos perficere; ſed ſicut non potuit in ſe, ita nec poterit in vobis.

Videte, auditores, ne deſideria diaboli perficiatis;optat ille vt verbum Dei non audiatis, vt peccata non confiteamini, vt bona ablata non reſtituatis,vt inimicos non diligatis,vt voluptatibus indulgeatis, ieiunia contemnatis, carnes in Quadrageſima comedatis, quidquid dixit & mandauit Dei filius, paruipendatis.Si hoc egeritis,deſideria diaboli in quantum poteſtis, perficere conabimini,ac proinde audietis, *Vos ex patre diabolo eſtis*;quia verbum eius, & non Dei auditis, & adimpletis. *Qui autem ex Deo eſt,verba Dei audit.* Obſeruatione dignum eſt quod ab Apoſtolo Iacobo dicitur, dum de Dei verbo loquitur, nóſque ad illud audiendum hortatur;

Iacobi 1. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras* Expende (*inſitum verbum.*) Docent qui de agricultura agunt, arbores non poſſe inſeri, niſi arboribus eiuſdem naturæ, & ſpeciei. Si enim,

enim, verbi gratia, ſurculus pomi ſumatur, & vlmo aut quercui inſeratur, non tantùm ſterilis remanebit, ſed & exſiccabitur & marceſcet: ſi autem alteri pomo, licèt ſterileſcenti, ſurculus fœcundi pomi inſeratur, fructum afferet. Nam iuxta Columellam, arbor inſita eſt fructuoſior, quàm quæ inſita non eſt, quàm quæ cum ramis radicibúſque ſeritur. Quot autem hic auditores cerno, tot arbores inſitas videor videre; à prima namque die Quadrageſimæ, ad modum inſitorum & agricolarum, varios ſurculos vobis inſerere cœpimus, nunc de dilectione inimicorum, modò de reſtituendis bonis ablatis; nunc de confitendis peccatis. Eratis enim veluti arbores ſteriles, aut non niſi fructus inſipidos afferentes; vt autem dignos fructus pœnitentiæ produceretis, vobis inſitum eſt verbum Dei. Itaque *ſuſcipite inſitum verbum*; quod ſi non ſuſcipiatis, & fructum afferatis, ſignum erit *vos non eſſe ex Deo.*

Cæterùm, ſicut inſitio non fit ſine inſectione & vulnere, quo truncus ipſe & ſecatur, & aperitur: ita etiam hæc ſpiritualis inſitio, qua verbum Dei noſtris inſeritur animis, debet fieri cum inſectione; reſecare enim debemus & increpare malas veſtras habitudines, omniáque vitia quibus dediti eſtis: & ſicut non fit inſitio, nec inſectio ſine gladio; ita nulla prædicatio ſine Dei verbo, quod ideo gladius ab Apoſtolo vocitatur, *Viuus eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Vnde aliqui dum increpantur dolent & conqueruntur. Pauci ſunt qui dicant cum D. Bernardo. Illius Doctoris libenter audio Serm. 59. in Cant.

vocem,qui non ſibi plauſum,ſed mihi planctum mouet. Non debemus moueri auditorum querimoniis, ſed eorum conſulere ſaluti. Malui, in-
Serm. 6. quit Ambroſius, peccatum veſtrum incuſando acriter increpare, quàm leuiter diſſimulando nutrire. Non nocet ſpeculum deformi, quòd ipſum oſtendat qualis ſit; nec Medicus ægrotanti, quòd ei febrem annuntiet. Non enim eſt Medicus cauſa febris, ſed ipſe febrim arguit: ita nec Prædicator odit quos increpat.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Ille igitur timeat qui à verbo Dei audiendo abſtinet. Vis videre quantum noceat homini illud non audire? Obſerua precor, quid legamus apud Matthæum. Aliquando Domino cócionanti dictum
Matth. 12. eſt, *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant.* Quibus ſtatim Dominus, quaſi matrem ignoraret, ait, *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Proh bone Domine! ſic matrem ignoras,& eam matrem quæ tibi præ cunctis creaturis gratior extitit, quæ te nunquam offendit? Quid nunc agit, ob quod, ſaltem typicè, à te ignoratur? Sanè quia concionante Domino, ipſa foris di-
De vera circ. citur ſtare. Hæc obſeruatio eſt D. Hieronymi ſic ſcribentis. O myſterium! Matrem Mariam ſibi Dominus abiurat, cùm extra verbi audientiam eſſet conſtituta, eo potiſſimùm tempore quo verbum prædicaretur à Verbo. Heu qui à verbo audiendo abſunt,metuo ne in æternum ignorentur à Verbo. Caueant itaque,& paueant qui tempore prædicationis malunt per vicos & plateas obambulare, vel foris ſtare, aut ludere, quàm concioni intereſſe. Paueant præcipuè illi

illi quibus hodie dicitur; *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, ſed vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Quid autem reſponderint & egerint iſti peſſimi Iudæi, audiamus.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Quid ad hæc Dominus? *Ego dæmonium non habeo.* Noluit conuicium conuicio retundere, ſed patienter & benignè reſpondere, vt nos eadem nobis eſſe præſtanda doceret. Præuidebat Dominus ſua membra, nempe fideles multa eſſe paſſuros, ſcilicet verbera, famem, ſitim, perſecutiones, iniurias, opprobria, mortem: hæc omnia voluit ille pati, vt ad ſimilia æquanimiter ferenda inuitaret. Quantæ clementiæ quantique amoris eſſet ille Medicus, qui renuente infirmo poculum amarum bibere, hauriret ipſe, vt infirmum inuitaret, demptis duabus guttulis, quas hauriendas infirmo relinqueret? Eodem modo ſe habuit Chriſtus erga nos. Hoc pulchrè obſeruauit Auguſtinus. Prior bibit Medicus ſanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim tam amarum eſt in illo poculo, quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit, cùm dæmones expelleret; *Dæmonium habes.* Vnde & conſolatur ægrotus dicens: Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? Si dolores amari ſunt, etiam mortuus eſt. Si genus mortis exhorreſcit infirmitas, nihil illo tempore ignominioſius fuit quàm mors Crucis. Hic ergo Dominus faciens diuina, admonet nos, patiens humana. Nihil eſt quod poſſit hominem afficere, & torquere, quod non ſuſtinuerit Dominus: guttulæ ſunt,

Serm. 18. de verb. Domini.

& parum eſt quod nobis bibendum & tolerandum reliquit, & quàm æquaminiter illud ſit ferendum, miti hac reſponſione oſtendit. Pudeat infirmum, ſi poſt Medicum renuat bibere poculum.

Itaque quid magis ſit admiratione dignum ignoro, an Iudæorum contumelia, an Chriſti patientia, quam monſtrabat accepta eorum iniuria. Licèt Deus propoſuerit latere in homine, nunquam tamen imitatus eſt impatientiam hominis. Itaque debebat in hac tanta patientia agnoſci filius Dei; non enim ſolent filij hominum eſſe adeò patientes. Vnde Tertullianus. Hinc vel maximè, ô Phariſæi, Dominum cognoſcere debuiſtis, patientiaam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.

Lib. de Patientia. c.3.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Exiſtimat D. Hieronymus, hos Iudæos optimè ab Iſaia repræſentari, qui in illorum perſona ſic ait: *Rugiemus quaſi vrſi omnes.* Libenter vrſus colluctatur; verùm ſi quis cum eo luctans nimiam ei vim inferat, velítque eum deiicere, ſtatim fremit vrſus, eúmque ita comprimit, vt interdum opprimat, & occidat; quod Totilæ Regi cum vno vrſo colluctanti accidiſſe legitur. Iſti Iudæi, & multi alij eis ſimiles, blandè eis loquentes libenter àudiunt: at eos acriter increpantes opprimere quærunt, iniuriis laceſſunt. Audi frementes vrſos, *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?*

Iſai.59.

Quòd aliorum vitia increpentur, omnes diligunt; ac libenter audiunt aliorum errata redarguentem. Sic Herodes libenter audiebat Ioannē,

quando

quando in Iudæorum peccata inuehebatur, vocans eos *genimina viperarum.* Vnde ait Marcus, *Herodes obſeruabat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & libenter eum audiebat, & eo audito multa faciebat.* Quando, verbi gratia, Ioannes ei conſulebat vt furta, aut alia crimina non tolerarentur, & fures, proditores, & alij huiuſmodi de medio tollerentur, *eo audito multa faciebat.* At verò dum ad ipſum Regem ſe conuertit, eíque dixit, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui;* tunc non libenter eum audiebat, ſed ab eo tempore illum vſque ad mortem inſectatus eſt. Quàm multi ſunt & iſtis Iudæis, & Herodi ſimiles, qui nullam volunt ferre increpationem, gaudent quòd alij arguantur; dolent ſi ipſi increpentur. Dicat igitur Auguſt. Homines amant veritatem lucentem, oderunt redarguentem. Iſti maligni non tantùm verbis, ſed & lapidibus illam impugnabant, quando Chriſtum lapidare volebant. Auguſt.

Tulerunt lapides, vt iacerent in illum. Corda lapidea recurrunt ad lapides, in hoc peiores diabolo, qui Dominum aggreſſurus ſumpſit lapides, non vt eis Dominus percuteretur, ſed vt verbo eius in panem conuerterentur. *Ipſe autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.* Abſcondendo ſe, ſuam non abſcondebat miſericordiam. Non quæro modò quò receſſerit, ſed quantum ab eis receſſerit Chriſtus; & dico quòd fortè exiuit, & receſſit ab eis, quantum iactus eſt lapidis. Iam imminebat tempus paſſionis, quo inchoante, *auulſus eſt à diſcipulis quantum iactus eſt lapidis.* Cur intra iactum lapidis Ieſus Saluator Luc.22.

ſe continet? Ni fallor, vt à lapideis & obduratiſſimis etiam cordibus miſericordia eius capiatur. Hoc à me non dico, ſed ab alio diſco, nempe a Simeone de Caſſia, qui ſic ſcribit. Progreſſus puſillum, ſcilicet, quantum iactus eſt lapidis, vt nunquam ita ab aliquo elongetur Chriſtus, vt cor lapideum hominis ad ipſum non poſſit, ſi velit, conuerti.

Iſti Iudæi volebant Chriſtum lapidare, & ipſe voluit ſe occultare, & ab eis elongare, non multum, vt eum ſi vellent, inuenire poſſent. Nam quantumuis peccatorum molibus grauetur homo, quantumuis ſcelerum obduratione lapideſcat; tamen intra iactum lapidis, hoc eſt, intra id quod grauiſſimus & obduratiſſimus homo poteſt facere, ſe continet diuina miſericordia & gratia. Dum itaque iſti iaciunt lapides, videntur terminum ponere, vltra quem non vult progredi diuina miſericordia. Tunc autem iuſtiſſimè iraſcitur Deus in hominem rebellem, qui eam habuit gratiam, qua vel lapideum cor poſſit emundari. Nunquam adeò elongatur Chriſtus Dominus, vt non poſſit haberi à lapideſcentibus etiam animis.

3.Reg.13. Sacrificante Rege Ieroboamo contra legem Domini ſuper altare lapideum, non legimus manum eius exaruiſſe, niſi poſtquam altare voce & ſermone Prophetæ contra illud inclamantis, confractum eſt: ſed *cùm audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam*, &c. *& exaruit manus eius.* Quærit Chryſoſtomus, cur manus Regis non exaruerit niſi poſt confractionem altaris.

In proœm. in Iſai.

ris. Reſpondet, vt reſipiſceret Rex lapide in fruſta diſciſſo. Deinde, ſic Deum Ieroboamo loquentem inducit. Lapis enim ſi in ſciſſuras non foret conſciſſus, vtique tibi peperciſſem: nunc quando lapis conſciſſus eſt fruſtillatim, nec ſic quidem tu ad correctionem emendatus es, ob id ira aduerſum te incandeſco. Sic in iſtos Iudæos debuit deſæuire ira Dei, quia non tantùm poſt iactos lapides, nec ad iactum lapidum, Chriſtum non quæſierunt; ſed nec quando in eius paſſione *petræ ſciſſæ ſunt*, conuerti voluerunt. Cauete ne propter peccata veſtra longiùs à vobis auellatur Chriſtus, quàm quantum iactus eſt lapidis: nolite expectare lapidum confractionem, ne æternam incurratis damnationem. Tunc lapides in Chriſtum iacimus, quando nimiùm in peccatis noſtris iacemus: vel tunc lapides iacimus, quando cor lapideum gerimus. Væ nobis ſi prius per mortem corda noſtra ſcindantur, quàm conuertantur.

Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Nunc & aliàs voluerunt Iudæi Chriſtum lapidare: alibi enim dicitur, *ſuſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum*; ſed ipſe reſpuit lapidationem, qui ſibi elegerat crucifixionem. Cur autem Chriſtus potiùs elegerit mori crucifixione, quàm lapidatione, docet Chryſoſtomus. Tumultuarium genus necis eſt lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri vltima Chriſti mandata. Multa erat dicturus Chriſtus in morte, quæ volebat vt perciperentur & audirentur: ac in lapidum fragore non potuiſſent percipi.

Ioan. 10.

Chryſoſt. in hūc locum.

percipi, ideo maluit crucifigi, quàm lapidari. Volebat inquam vt audirentur hæc verba, *Ignoſce illis.* Volebat vt quæ Patri, quæ Matri, quæ pio latroni dicebat, perciperentur, & executioni mandarentur; idcirco maluit crucifigi, quàm lapidari.

Præterea, noluit lapides admittere, ſed eos ad B. Stephanum mitti. Sciendum eſt, Chriſtum Ieſum ſe habuiſſe ad modum cuiuſdam Principis, aut Domini, qui cùm videat menſam ſuam multis & variis ferculis refertam, ſciátque multos ſe habere familiares, & amicos, modò ſeruat vnum ex illis huic, modò aliud alteri; aut in ſignum beneuolentiæ, hoc ferculum mittit ad vnum ex ſuis amicis, aliud verò ad alterum. Sic Chriſtus Dominus habet ſuam menſam, de qua
Luc.22. ait, *Ego diſpono vobis*, &c. *vt edatis & bibatis ſuper menſam meam.* Quibus ferculis repletur huiuſmodi menſa? Cruce, ſpinis, clauis, virgis, felle, aceto, opprobriis, iniuriis, lapidibus, craticulis, gladiis, vnguibus ferreis, morbis, paupertate, perſecutione, & ſimilibus. Seruatis ſibi ex his multis ferculis, videlicet opprobriis, alapis, flagellis, ſputis, ſpinis, &c. ſumpſit lapides & ſeruauit Stephano, qui eos gratanter excepit, tanquam de menſa Domini emanantes: vnde canit Eccleſia, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Crucem tam etiam ſibi, quàm Petro & Andreæ ſeruauit, ad quam cùm hic properaret, ſcirétque hanc eſſe ſui Magiſtri ferculum, illam deſiderabat: vnde ad eam ſic exclamando, ſimúlque lætando dicebat; *O bona Crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans*

*tans ſuſcipias me, diſcipulum eius qui pependit in te, Magiſter meus Chriſtus.*Gladium ſeruauit Paulo, craticulam Laurentio, ſimiliter & alia fercula aliis ſuis amicis. Si tibi contingat vnum ex iſtis ferculis,verbi gratia,ſi paupertate premaris, iniuriis,vel aliquo morbo afficiaris,noli conqueri, ſed lætari, quia de menſa Domini participas.

Abſcondit ſe, & exiuit de templo. Accipientibus Iudæis lapides, vt illum lapidarent, non lapides accepit Chriſtus, vt in eos proiiceret, maluit ſe abſcondendo, & exeundo, quàm lapides iaciendo ſe defendere, vt doceret, quomodo nos gerere debeamus erga inſurgentes in nos.Hoc annotauit Gregorius,qui ſic ſcribit. Quanta humilitate iram proximi ferre dêbeat,perpendat homo, ſi furores iraſcentium abſcondendo ſe declinauit Deus.Nemo ergo ſe contra acceptas iniurias, & contumelias erigat;nemo pro conuiciis conuicium reddat. Imitatione enim Dei,glorioſius eſt iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare. Dices, ſi fugiam, aut me abſcondam, mihi erit dedecori, debeo honori meo conſulere, atque ita reſiſtere, & par pari reddere. Imò honori tunc conſulitur, dum in manu Dei relinquitur;quando enim tu offenderis,Deus plus in te offenditur, quàm tu. Ergo illius eſt potiùs vindicari quàm tuum; ipſe ſuum tuúmque defendet honorem. Propterea rectè conſulit idem Doctor. Accepta contumelia, meditemur in opere vocem Chriſti,*Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.*Hoc dixit,hoc fecit Chriſtus, vt eadem dicamus & faciamus, honorémque noſtrum ei committamus, non obſtantibus

quibuſcumque acceptis iniuriis, vt tandem illo perfruamur in cœlis. Amen.

FERIA SECVNDA
POST DOMINICAM Paſſionis.

Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui miſit me. Quæretis me, & non inuenietis, &c. Ioan. 7.

NOTA eſt illa Domini querimonia aduerſus huius ſæculi potentes & primates, *Ibo ad optimates, & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperũt vincula.* Ieremi. 5. Sæpiſſimè illi qui in hoc mundo potentes ſunt, ſua abutuntur potentia, ſuíſque diuitiis, modò hunc opprimendo, modò laſciuiendo ac voluptatibus indulgendo, ita vt de illis ſcribat Baſilius. Hom. 7. in diuites auares. Potentiæ incrementum fit eis occaſio maioris ſceleris. Quæſiuit Iezabel vt Naboth interficeretur, non defuerunt ei falſi teſtes,

teſtes, qui eum accuſarunt. Quare tam citò illi falſi teſtes ei adhæſerunt & obtemperarunt? quia Regina. Dauid captus amore vxoris Vriæ, illam concupiuit, & obtinuit. Quare illa non reſtitit? quia qui eam deperibat, erat Rex & potens. Voluit Abſalom fratrem ſuum occidere, hoc perfecit, non per ſeipſum, ſed per ſuos ſeruos. Quare obedierunt illi ſerui? quia Abſalom erat Princeps, & non audebant ei contradicere. Satius eis fuiſſet ſi plebeij extitiſſent, quia nulli eorum iuſſa præſtitiſſent. Potentiæ incrementum fit eis occaſio maioris ſceleris. Qui miſerunt ad Ieſum miniſtros, vt eum apprehenderent, erant ex potentibus huius ſæculi. Audi.

Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Niſi potentes fuiſſent non miſiſſent, & quia imperant, miniſtri eis obtemperant, atque ita ſua abutuntur potentia, & authoritate. Neminem legimus eorum iuſſui & conatui ſeſe oppoſuiſſe, omnia eis proſperè ſuccebant, omnes erant parati eorum iuſſa exequi. Sed væ eis, quibus nullus contradicit, qui omnia habent ad nutum. Occiſo Naboth, iuſſu Regis Achab, venit Elias ad iſtum Regem, non ei congratulaturus de vinea recuperata, ſed ei exprobraturus crimē eius, dicens: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti.* Quaſi diceret: quando Naboth occidere iuſſiſti, nullus tibi contradicebat, imò vnuſquiſq; tibi parebat; pacificè illius vineā poſſides, nullus eſt, qui tibi ſit in hac poſſeſſione moleſtus: ſed ſcito, quòd tandem illud erit tibi aduerſum, quod iudicas proſperum; quod & ei eueniſſe legimus. Dicat igitur Sapiens, *Proſperitas ſtultorum perdet* 3. Reg. 21. Prou. 1.

perdet eos. Verè ſtulti ſunt peccatores dum lætantur, quòd omnia eis proſperè ſuccedant. Nam
Lib 16. Mor.c.15. teſte Greg. Manifeſtum perditionis indicium eſt, quando affectatis iniquitatibus ſubſequens fauet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens peruerſa concipit.

Contrà verò felices quibus contradicitur, vel quorum conatus ad malum impediuntur, &
Ezech. 20. de quibus dicitur, *neque cogitatio mentis veſtra fiet.* Multi aliquando cogitant malum aliquod patrare; ſed beati ſi dato aliquo impedimento, eorum intentum non ſuum ſortiatur effectum. Ira-
1. Reg. 25. tus olim Dauid contra Nabal, decreuerat illum & domum eius delere ob iniuriam acceptam: verùm occurrit ei Abigail, quæ validiſſimis & prudentiſſimis rationibus perſuaſit Dauidi, ne vltrà progrederetur, & ab illa vindicta ceſſaret. Quod cùm feciſſet Dauid, ait ei: *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me.* Reuera fuit illa benedicta quæ impediuit, ne Dauid, qui mitiſſimus ab omnibus habebatur, nomen acquireret viri crudeliſſimi. Similiter dico, quòd benedicta eſt illa infirmitas, qua præpediris, ne luxuriæ operam des. Benedicta illa paupertas, quæ te impedit, ne vlciſcaris de inimicis, & propter quam ludo, & comeſſationibus vacare non poſſis.

Dixit eis Ieſus: Adbuc modicum tempus vobiſcum ſum. Notat Theophylactus, illud (*vobiſcum*) habere quamdam emphaſim. Quaſi dicat: Ego, licèt à vobis reiiciar, tamen *vobiſcum ſum.* Vos me odio habetis, & ego *vobiſcum ſum.* Toruis me reſpicitis oculis, & tamen *vobiſcum ſum.* Apud Sapien-
Sap. 2. tem dicebant de Christo iſti impij, *Grauis eſt nobis*

nobis ad videndum. Illum non libenter intuebantur,& ille cum eis libenter morabatur, *vobiſcum ſum.* Ideo per modicum tempus vobiſcum ſum, vt in æternum mecum eſſe poſſitis.

Adhuc modicum vobiſcum ſum. Vide Domini clementiam, veniunt illum apprehenſuri, & Dominus dat eis tempus pœnitendi. Cum poſſet, inquit Chryſoſt. & flectere & perterrere audientes, quantauis loquitur humilitate, quaſi dicat: Quid me interficere quæritis? quid me perſequimini? Modicum expectate,& non quærentibus me vobis capiendum exponam. Expendendum eſt illud (*Adhuc.*) Ac ſi diceret: Iam me inſectati eſtis, & ego peperci: iam me iniuriis affeciſtis,& ego tuli: iam miracula negaſtis, ac me in multis offendiſtis,& ego ſuſtinui: nunc autem vt me interficeretis, huc acceſſiſtis,& ego *adhuc* expectabo vos, quia *modicum tempus vobiſcum ſum.* Homil 49. in Io.

Prædicans Ionas Niniuitis, illa particula (*Adhuc*) vſus eſt. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Quærit D. Athanaſius, cur Propheta non dixit, *Poſt quadraginta dies*, &c. ſed, *Adhuc quadraginta dies* Reſpondet, quòd in illo (*Adhuc*) continebatur tempus quod eis dabatur ad agendam pœnitentiam. Si enim dixiſſet, *Poſt quadraginta dies*, &c. infallibilem eis prædixiſſet ſubuerſionem elapſis quadraginta diebus: at dicendo, *Adhuc*, &c. indicauit eis non tantùm tempus pœnitendi, ſed & ſpem eis dedit veniam obtinendi. In eo verbo, *Adhuc*, tolerantiam Dei intelligimus, & in ſubuerſione iram poſt tolerantiam futuram, ni reſipiſcerent. Tract. de Paſſ. Domini.

Itaque ſicut Niniuitæ audientes illud (*Adhuc*) habuerunt fiduciam, & egerunt pœnitentiam, durante quadraginta dierum tempore: ita iſti Iudæi debebant agere pœnitentiam, durante illo modico tempore, quod eis dabatur. *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum.*

Quòd ſi quæras, quantum durauit illud modicum tempus? Reſpondetur, duraſſe ferè per ſeptem menſes; Chriſtus enim hoc eis dixit in feſto tabernaculorum, quod celebrabatur menſe Septembri, & receſſit ab eis, id eſt, paſſus eſt, menſe Martio. Sed quid Iudæos memorem? Peccas hodie, & licèt non audias, tibi tamen dicitur, *Adhuc modicum tempus tecum ſum.* Id eſt, adhuc tibi modicum tempus datur vt reſipiſcas. Iterum peccas, tibi iterũ dicitur, *Adhuc modicum tempus*, &c. Rurſus incidis in peccatum, & tibi adhuc dicitur, *Adhuc modicum*, &c. Vide, ne Deus conqueratur, & dicat, *In omnibus his peccauerunt adhuc.* In illo ſpatio quod Deus dedit, vt ageres pœnitentiam, adhuc peccaſti: dat tibi *Adhuc modicum tempus*, & adhuc peccas.

Pſalm. 77.

Quod tibi conceditur, modicum eſt, hoc agnoſcit diabolus, qui *tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Quòd ſi quæras cur tanta cum diligentia quærat perdere te; reſpondet Ioannes, *ſciens quia modicum tempus habet.* Vtinam nos tantam curam adhibeamus in procuranda noſtra ſalute, quantam adhibet dæmon in procuranda noſtra perditione. Non finit præterire modicum illud tempus ſine tentatione & ſuggeſtione: nihil relinquit intentatum, omnem mouet lapidem, vt cœlo arcearis, & orco

Apoc. 12.

adiu

adiudiceris. Tu verò illud inſumis in comparandis diuitiis, ædificandis ædibus, plantandis vineis, quærendis voluptatibus, honoribus ambiendis, vt verè de te illud dici poſſit; *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Iob.24.v.23

Nota hanc ſimilitudinem. Si quis impius in ſurgeret in Regem, illúmque attentaret occidere,& cùm non potuerit,peteret ab ipſo Rege, vt daretur ei ſaltem modicum tempus ad euadendum & aufugiendum, & ad locum tutum ſe recipiendum: ſi eius petitioni annueret Rex, & iſte malignus eo tempore abuteretur, & illo durante aliam viam occidendi Regem excogitaret, & quæreret, dic precor, licèt non potuerit perficere, quale non mereretur ille ſupplicium?qua pœna non eſſet dignus?Nónne omnes illum reum mortis proclamarent? Huic certè ſimilis efficeris, dum illo tempore, quod tibi ad agendam pœnitentiam à Deo conceſſum eſt, abuteris, & in priſtina, aut noua crimina prolaberis. Commiſeras crimen auaritiæ, luxuriæ, blaſphemiæ, aut aliud ſimile: poſtulaſti à Deo inducias,vt ſcilicet dignaretur tibi dare tempus, quo pœnitentiam ageres, vt pœnam quam merebaris æternam, euaderes. Adhuc modicum tempus conceſſit Deus: tu verò illud inſumis non in agenda pœnitentia, ſed in patrandis nouis delictis. Væ tibi, nam ſupplicio æterno dignus efficeris, quia illo modico tempore abuteris. Audi Greg.Miſericors Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat; ſed cùm eius patientiæ gratiam nos ad augmentum vertimus culpæ, Simile. Homil.11. in Ezech.

hoc ipſum tempus, quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictiùs ad feriendum vertit.

Dederat Deus olim hominibus in diebus Noe, centum & viginti annos vt pœniterent, & non perirent, *Erunt dies hominis centum & viginti anni*; qui quidem annorum numerus intelligitur de tempore pœnitentiæ quod dabat eis Dominus. At illi non tantùm non vacabant bonis operibus, ſed ſe turpiſſimis fœdabant voluptatibus. Itaque quo potuiſſent ſibi Deum reddere placatum, reddiderunt iratum, & non meruerunt peruenire ad numerum promiſſum, ex quo fuerunt amputati viginti anni, & omnes illi aquis diluuij deleti. Vnde Hieronymus. *Erunt dies hominis centum & viginti anni*, id eſt, do eis centum & viginti annos ad agendam pœnitentiam. Quia verò pœnitentiam agere contempſerunt, viginti annorum ſpatiis amputatis, anno centeſimo venit diluuium ſuper terram.

Genеſ. 6.

Hieron. in hunc locum.

Qui potuit hos homines priuare illis viginti annis ob nimiam illorum luxuriam, poteſt & nunc amputare ex vita tua aliquos annos quos ſtatuerat tibi dare, ob nimiam tuam auaritiam, libidinem, aut alia vitia. Tibi igitur reſtat *adhuc modicum tempus*. Bene vtere illo tempore modico, vt gaudio fruaris æterno. Audi Chryſoſtomum. Breue tempus nobis in præſenti vita præſtatur: quo niſi in neceſſariis vtamur, quid illuc migrantes faciemus?

Homil. 57. in Ioan.

Adhuc modicum tempus, &c. Domine, quare non das multum tempus, non modicum? Quid maximi momenti poſſumus agere in modico tempore? Bene noſtræ vtilitati conſuluit, quando

modi

modicum tempus tribuit. Si videat pater filium ſuum eſſe prodigum, ac multos conſumere denarios, conſueuit illi dare paucos, quia ſi plus daret, plus impenderet & diſperderet. Si videat mater paruulum multùm comedere, dat ei modicum cibum, quia ſi plus daret, plus voraret, atque ita ſibi noceret; ſatius illi eſt ſi pedetẽtim tribuatur. Ita Dominus, videns nos terere multùm temporis, iudicauit magis nobis expedire, ſi modicum tribuatur, cùm in illo modico poſſimus nobis comparare æternum. In modico tempore Magdalena lucrata eſt indulgentiam ſuorum peccatorum, non quia multùm temporis habuerit, ſed quia *multùm dilexerit*. In breuiori tempore pius latro adeptus eſt Paradiſum.

Adhuc modicum tempus &c. Hoc breue tempus tibi dedit Deus, non vt hîc in coniugio voluteris, non vt familiam ſtabilias non vt præſentibus fruaris, non vt ſedem figas, quaſi hîc diu, vel in æternum manſurus; ſed tantùm ad hoc, vt in eo quaſi ſtadio virtutum, decurras ad metam & brauium, ad beatam inquam æternitatem; vt in illam oculis, animo, mente intendas, & contendas, vt hunc tibi omnibúſque actionibus tuis ſcopum præfigas. Propterea datur tibi hoc modicum tempus, vt in dies cogites; tantum iam vitæ meæ demptum eſt, fortè non tantùm ſupereſt: quot diebus viuo, totidem agor & vrgeor ad mortem. Quid ſi hodie, ſi cras illa obueniat? Itáne vixi, vt mori non dubitem? Quid alia tracto? quid partior animum in vxorem, familiam, & mundum? Quid opibus, quid ſtatibus, quid iungendis affinitatibus inhio?

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Vtinam illud *modicum* nobis iugiter verſaretur in mente: modicum enim eſt tempus vitæ noſtræ. Bene

Simile. ergo vtamur iſto modico. Nónne' ille eſſet amens, cui ſi daretur modicum fruſtum panis ad reficiendum ſe, ſumeret iſtum panem, & canibus proiiceret, nec micam quidem ſibi reſeruaret? Sic ſtulti illi ſunt, qui cùm modicum tempus habeant ad viuendum, & bene operandum, illud terunt, & proiiciunt, vt ita dicam, non canibus, ſed voluptatibus, ludo, comeſſationibus, venationi, & aliis vanitatibus. Exiſtimo ego quòd damnati maximè cruciantur, dum temporis deperditi recordantur: libenter peterent vnam guttam, id eſt, vnum inſtans illius temporis; ſed iuſtè eis denegaretur, modò experiuntur quanta fuerit illius modici temporis iactura, quam parui pendebant, & auri vel diuitiarum damnum magni faciebant; quod maximè dolebat Chryſo-

Hom. 57. in Ioan. ſtomus, dum ſic ſcribebat. Si parum auri amittis, id omne damnum appellas, & ſi totos dies in diaboli operibus conſumpſeris, nihil amiſiſſe opinaris. Fruſtillatim tibi tempus conceditur, quia tibi modicum datur, habes enim tantùm *Nunc*, quod fruſtulum eſt temporis; non habes præteritum, quia tranſiit, nec futurum, quia nondum venit. Caue igitur ne illud *Nunc*, quod modicum eſt, inane teratur.

Lib. de orat. Dom. Quærit D. Cyprianus, cur Chriſtus docuerit nos ſic orare, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Expende (*hodie.*) Cur inquam vult vt tantùm pro *hodie*, & non etiam pro craſtina die, aut ſaltem pro vna hebdomada, vel menſe, aut pro

vno

vno anno, panem petamus? Quia, inquit ille, de craſtino cogitare prohibetur. Cùm nulli ſit exploratum ſe in craſtinum eſſe victurum, de hodierna, non de craſtina die cogitet: nullus ſit de craſtino ſolicitus, cùm nemini craſtinum promittatur. Dic & hodie, *Adueniat regnum tuum*; quia neſcis an dicturus ſis cras. Noli in craſtinum differre, quod hodie potes præſtare.

Audiamus Sapientem: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Quæ quidem dies nō tantùm intelligitur de craſtina, ſed & de hodierna: vnde in Chaldæo ſic habetur, *Neſcis quid paritura ſit hodierna dies.* Nonnulli volunt illa verba quæ Diuus Iacobus in ſua Canonica ad calcem capitis quarti ſubtexuit, pro commentario huius loci habenda eſſe; ſic enim ait. *Ecce nunc qui dicitis: hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino.* Hæc vltima verba cohærent prorſus cum illis, *ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Harum ſententiarum luculentum etiam mihi videntur eſſe commentarium hæc verba Senecæ. Stultum valdè eſt, ætatem diſponere, ne craſtino quidem, imò nec hodierno dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longa inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt: nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Qui quotidie vitæ ſuæ extremam manum impoſuit, non indiget tempore.

Prou. 27. Iacobi 4. Epiſt. 101.

Cæterùm valdè expendendum eſt illud ver-

bum Sapientis, nempe, *pariat*, quando dixit, *ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Nam cùm tempus ſuis decurſibus res omnes in lucem dat, apte admodum eas parere, & eniti dicitur. Rurſus in partu omnia incerta ſunt ac dubia; nullis enim argumentis certò deprehendere licet, an marem, an fœminam, an hoc, vel illo potiùs tempore infantem naſci oporteat. Itaque cùm Salomon ait, *pariat dies*, maximam rerum incertitudinem & mobilitatem notauit; quia neſcit prorſus homo, an quæ in craſtinam diem pendent, proſpera futura ſint, an aduerſa. Ignorat etiam ſtata cuiuſcũque rei tempora, & natas occaſiones, atque adeò de futuris nihil certò decernere licet. Præterea vſus eſt Sapiens verbo *pariendi*, quia ſicut partus non perficitur ſine dolore: ita vix aliquid accidit, quod dolore non miſceatur, nam etiam *riſus dolore miſcebitur.* Adde inſuper, quòd non tantùm datur partus naturalis & tempeſtiuus, ſed & celer, quem aborſum vocant; vnde *Ialad*, quod hic reperitur, ex obſeruatione Hebraizantium, non modò de partu naturali, ſed etiam de aborſu enunciari ſolet: ita vt ſic liceat vertere iſta verba, *ignorans quid ſuperuentura per aborſum edat dies.* Quemadmodum fœtus ex aborſu ineptus eſt, quia vel mortuus naſcitur, vel citò perit: ita ſæpe inutilia ſunt & vana, quæ nobis affert hodierna dies, aut quæ allatura eſt craſtina. Item, ſicut naturales partus ſolent aborſibus fruſtrari: ita rerum futurarum opportunitates, vel quæ hodie, aut craſtino ſperamus, importunis caſibus præpediuntur. Si Deus det nobis craſtinum, de his adhuc, illo bene iuuante, dicemus craſtino.

Quare

Quæretis me,& non inuenietis. Quare illum non erant inuenturi? quia,vbi erat inueniendus,non erant quæſituri. Reuocandum eſt in memoriam, quid Chriſtus parentibus illum quærentibus reſponderit; *Quid eſt quod me quærebatis?* In Luc.2. quæ verba Timotheus Hieroſolymit. ſic Chriſtum loquentem inducit. Vt quid me quærebatis?in cœlum non aſcendiſtis, ad infernum non deſcendiſtis,in Ceto Ionæ non habitaſtis. Quibus verbis deſignantur loca in quibus ſine dubio inueniri poteſt, quando in aliis non inuenitur. Nimirum in cœlis, vbi glorificans beatos adeſt; in inferno,vbi mulctat impios;& in Ceto Ionæ, id eſt,vbicunque aliquis affligitur,aut calamitatibus deuorari videtur. Ibi ſedes certiſſima Dei, ibi illum aſſidentem inuenies.

Et quia iſti Iudæi nolebant illum quærere inter aduerſa,ſed potiùs inter proſpera,ideo meritò illis dicitur, *Quæretis me, & non inuenietis;* ſupple,inter delicias, &c. Qui Deum requirit, tribulationem requirat, cùm in tribulatione ſit. Vnde Bernard. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, ait Serm.17. Deus;& ego interim aliud requiram, quàm tribulationem? Non ſunt diuitiæ, voluptates, inquirendæ, cùm in illis non inueniatur Dominus.

Indicat Chriſtus vbi præcipuè habitet, dum ad parentes ſubiunxit;*Neſciebatis quòd in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Non autem Patris eſt indulgere voluptatibus, ſi tu Patris ſis, in te erit filius illius Patris; eris autem eius ſi bonus ſis. Audi Origenem. Vnuſquiſque noſtrûm, ſi Homil. 26 bonus fuerit, atque perfectus, poſſeſſio Dei in Luc.

Patris eſt, habet in medio ſui Ieſum. Apud te ergo illum inuenies.

Quæretis me, & non inuenietis. Multi quæſierunt Deum, & non inuenerunt. Quæſiuit illum Antiochus, ſed non inuenit; *orabat ille ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſequuturus.* Quæſiuit illum Iudas, dum peccatum agnouit: *Peccaui,* ait; dum denarios reſtituit, *& retulit triginta argenteos*: ſed non inuenit niſi laqueum & ſuſpendium. Dices, illi non bene quæſierunt, ideo non inuenerunt. Quomodo ſcis te illis meliùs quæſiturum? Quis tibi hoc promiſit? Qui non es certus, an bene quæras, quomodo poteris eſſe certus, an inuenies? Credas mihi, quære dum potes, vt inuenias dum vis, & ſemper diuina iudicia reformides.

2.Mach.9.

Ponderat D. Chryſoſtomus ea quæ Abſalomi acciderunt. Præceperat Dauid, vt ſeruaretur Abſalom, *Seruate mihi puerum Abſalom.* Mulus ſuper quem ſedebat Abſalom, *ingreſſus eſt ſubter condenſam quercum, & adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat pertranſiuit.* Hoc nunciatum eſt Ioab, qui ait nuncianti: *Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra?* Acceptis igitur Ioab tribus lanceis, veniens ad locum, *infixit eas in corde Abſalom.* Vides hic iudicia Dei; poterat Abſalom aliò ducere mulum, ne per denſiſſimas arbores tranſiret. Quis illum duxit per hanc viam? quomodo ſolum milites dereliquerunt? quis docuit mulum illo ſuſpenſo pertranſire? quomodo ſuſpenſus eſt propriis capillis? Quare illos non præſcindebat? nónne ſecum habebat enſem, pugionem quo

2.Reg.18.

quo præſcindere poterat? Fierine potuit, vt vnus ſaltem ex ſuis illum non viderit, vel ſecutus fuerit, atque ita liberauerit? Cur auſus eſt Ioab ipſum interficere ſtante Regis prohibitione? Reſpondet ille Doctor. Vt ſcias, quod factum eſt non fuiſſe humanæ induſtriæ, ſed totum fuiſſe diuini iudicij. Parcebat pater, & clamabat, *Seruate mihi puerum Abſalom.* Sed illum Ioab noluit ſeruare, illum mulus noluit portare, illum capilli ligauerunt, rami tenuerunt, lanceæ percuſſerunt, iuuenes armigeri interfecerunt, proprij milites deſeruerunt: nulli illum fleuerunt, ſed dumtaxat *eum tulerunt, & in foueam grandem proiecerunt, & ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis comportauerunt.* In Pſal. 7.

Plus nos Deus diligit quàm Dauid Abſalomem: ſi Dauid nolebat mortem Abſalomis, quantò minùs Deus mortem peccatoris? Clamauit Dauid, *Seruate mihi puerum Abſalom.* Et clamat Deus, *Nolo mortem peccatoris.* Verùm, ſicut quem Dauid ſeruare volebat, non ſeruauit Ioab, non ſeruarunt iuuenes armigeri, non ſeruauit mulus, neque arbor: ſic licèt Deus nolit mortem animæ, tamen, ſi in peccatis perſeueres, inſurgent creaturæ in te, non parcent tibi Deum offendenti, ſicut non pepercerunt Abſalomi patrem perſequenti. Quæres Deum, ſed non inuenies, iuſtè ab illis præpeditus, omnes deſerent te, qui poterant iuuare te, & dum minùs cogitabis, *tunc repentinus ſuperueniet interitus.* 1. ad Theſ. 5.

De obſtinato Pharaone ſic D. Gregorius. Quia tempus, ait, congruæ pœnitentiæ perdidit, fruſtrà ante regni ianuam cum precibus venit. Hom. 12. in Euang.

Perdidit

Perdidit autem tempus pœnitentiæ, quando abuſus eſt dono diuinæ miſericordiæ: qui enim peccato ſuo finem non imponit, euadendi finem habebit. Hoc obſeruauit Tertullianus, & eſt obſeruatu digniſſimum. Finem vtique euadendi habebit, cùm offendendi non habebit. Quod explicatur hac ſimilitudine.

Lib. de pœnit. cap. 7.

Simile.

Furatur aliquis, apprehenditur, ſed è manibus apprehendentium ſeſe eripit & aufugit, reuertitur ad latrocinium, in quo comprehenſus incarceratur, ſed fractis carceribus euadit. Iterum peccandi conſuetudine reuertitur ad latrocinium, & triremibus adiudicatur, à quibus rupta catena, vinculíſque diſſolutis, egreditur; tandem in alio, vel ſimili crimine apprehenſus, ſuſpendio necatur: de cætero non exibit carceribus, nec triremibus; tunc enim impoſuit finem ſuis euaſionibus, quia non imponebat ſuis offenſionibus. Vtique finem euadendi habebit, cùm offendendi non habebit. Idem erit iudicium de peccatore, qui lapſus in aliquam culpam agit pœnitentiam, qua æternam euadit pœnam. Iterum reuertitur ad culpam, & peracta pœnitentia, ei remittitur: denuò peccat, atque ſperat ſe euaſurum à peccatis ſuis per aliquam confeſſionem & pœnitentiam; ſed iudicio diuino apprehenſus, impœnitens moritur. Tunc de illo dicimus, vtique finem euadendi habuit, cùm offendendi non habuit.

Quæritis me, & non inuenietis. Reuoca in mentem quod contigerit hominibus tempore Noe, dum aquis diluuij delerentur: illos priùs monuerat

nuerat Noe, coram ipſis iuſſu Dei Arcam fabricauerat, vt per hoc agnoſcerent Deum contra eos eſſe iratum, illóſque ad pœnitentiam prouocare: ſed ipſis non audientibus, imò irridentibus, tandem ſuperuenerunt. Circumcurſabant per domos tremulæ matres cum paruulis, neſcientes quò pergerent: ſurgebant alij pauidi de menſa, & effugium quærebant: è cubili exiliebant ſponſus & ſponſa, huc ille, illuc illa fugiebat. Nam, teſte ipſo Chriſto, quando venit diluuium, erant homines *comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem, quo intrauit Noe in Arcam,* &c. Matth. 24.

Vidiſſes quoſdam repentè ſuperiora domus, alios etiam tectorum cacumina conſcendere: nõnullos item excelſarum arborum ramos ſcandere; alios verò cum feſtinatione ad collium montiúmque iuga ſe proripere: ſed fruſtrà, nemo enim hanc aquarum vim & impetum euadere potuit; vbique pauor, vbique tremor. O quàm dolebant tunc, quòd Noe hæc comminantem non audierant, ſed irriſerant! O Noe quàm ſapuiſti, inquiebant; ó nos dementes, quàm inſani, quàm ſtolidi fuimus! ô ſi iam liceret Arcam ingredi, quàm cuperemus etiam tota vita in ea includi! Potuimus aliquando, ſed noluimus, nunc volumus, ſed non poſſumus. Tunc Dominus dicere potuit, *Quæretis me, & non inuenietis.* Væ illis, qui nunc Dominum quærere non curant; & quem aliquando quæſituri ſunt, ſed non inuenient. *Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Quæretis me, & non inuenietis. Quare? quia fortè aliquo

aliquo tempore quærent, & poſtea deſinent, contra illud Iſaiæ, *Si quæritis, quærite, conuertimini & venite.* Hoc eſt, ne vobis certas, & determinatas vias quærendi præfiniatis, ne in quærendo Deum finem faciatis; ſed quærite, & amplius quærite ſine termino & fine. Explicatiſſimè Richardus de Sancto Victore. Si quæritis, inquit, quærite, & inquirendo perſeuerate, imò & multipliciter quæratur, qui nunquam ad plenum inuenitur.

Iſai. 21.

Lib. 2. de Emmanuele. cap. 16.

Cæterùm multi quærunt requiem, beatitudinem, ſed non inueniunt, quia vbi ſit inuenienda non inquirunt. Non eſt requies, inquit Auguſtinus, vbi quæritis eam. Beatam vitam quæritis in regione mortis? Non eſt illic. Et alibi. Væ animæ audaci, quæ ſperauit, ſi à te receſſerit, ſe aliquid melius habituram. Verſa & reuerſa in tergum & in latera, & in ventem: & dura ſunt omnia; & tu ſolus requies es Domine.

Lib. 4. Conf. cap. 12. & lib. 6. c. 16.

In nouiſſimo autem magno feſtiuitatis die, ſtabat Ieſus & clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Miror quòd Chriſtus clamauerit, cùm de illo ſcriptum fuerit, *Non clamabit, neque audietur vox eius foris.* Quæ verba referens Matthæus, ſic legit, *Non contendet, neque clamabit, nec audiet aliquis in plateis vocem eius.* Quare ergo audimus clamantem, quem Prophetæ prædixerunt taciturum? Reſpondeo duplicem dari clamorem, vnum qui ex ira & contentione oritur, & iſte ab Apoſtolo prohibetur; *Ira & clamor non exeat de ore veſtro.* Et de huiuſmodi clamore intelligitur, quod à Propheta & ab Euangeliſta de Chriſto dicitur, quòd ſcilicet *non clamabit, nec audiet aliquis*

Iſai. 42.

Matth. 12.

Ad Eph. 4.

quis in plateis vocem eius. Nullus enim vnquam audiuit eum contendentem, vociferantem, litigantem, licèt iniuriis afficeretur, lapidibus impeteretur, & falsò accuſaretur: imò, *ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum*, & *cùm maledicerettur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Tantum fuit eius ſilentium, *vt miraretur Præſes vehementer.* Sed debuit tunc tacere, vt quæ de ipſo ſcripta erant, adimpleret. Iſai. 53. 1. Petr. 2.

Dicimus etiam dari alterum clamorem, qui naſcitur vel ex ſummo deſiderio habendi aliquid, ad quod obtinendum neceſſe eſt clamare & vociferari, vel qui oritur ex maximo dolore, quo quis afficitur ob aliquod damnum & iacturam: verbi gratia, ſi videat quis domum vicini ardere & igne conſumi, vociferabitur vt remedium adhibeatur, aqua afferatur, vt ignis extinguatur. Videt Chriſtus animas noſtras hic comburi ardore concupiſcentiæ, auaritiæ, iracundiæ, & propter huiuſmodi comburendas eſſe igne inferni; clamat, ne illud nobis contingat, ad aquas inuitat, vt extinguatur in nobis ille ignis. Aut ſi quis videret ſitientem currere ad aquas amaras, vel veneno infectas, quibus hauſtis ſtatim moreretur, clamaret ad illum, monens ne ad eas properaret, ex eis biberet; ſed ad fontem veniret quem ei indicaret. Videt Dominus homines ardenti amore currere ad voluptates & delicias huius ſæculi, quæ ſunt omnino aquæ turbidæ & infectæ, ac mortem æternam allaturæ; idcirco, ne de his bibamus, ſed potiùs ad ipſum fontem viuum veniamus, clamat, *Si quis ſitit, veniat ad me.* Iam per Prophetam nos

nos inuitauerat, & ad quas aquas nobis eſſet
Iſai. 55. eundum indicauerat; *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Obſeruat hic Hieronymus, ſecundùm Hebræum præmittendam eſſe interiectionem, atque ita eſſe legendum; *Heu qui ſititis, venite ad aquas.* Eſt autem *(Heu)* interiectio dolentis. Videtur igitur dolere Dominus, quòd ſitiamus, & ſitientes aquas turbidas & cœnoſas quæramus, & ipſum relinquamus: ideo magno clamore in magno feſtiuitatis die nos inuitat, *Qui ſitit, veniat ad me.*

Præterea, in his quæ ad illum ſpectabant nunquam clamauit. Quando accuſabatur, teſtes non recuſabat: quando iudicabatur, non appellabat: dum calumniis afficiebatur, non reſpondebat. In his verò quæ ad noſtram ſalutem pertinebant, clamaſſe legimus, quia videbat ſe vt plurimùm agere cum ſurdeſcentibus, & ſuas miſericordias, & gratias ſpernentibus, & de vita æterna parum curantibus. Idcirco clamare cogebatur, & ad veniendum ad ſe hortabatur, ne aliquando
Pſalm. 68. conqueratur, *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Illum igitur audiamus, & ad ipſum inuitantem curramus.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &c. Qui hæc clamabat, is eſt qui aliàs populo exprobrabat,
Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ continere non valent aquas.* Ad Dominum ſic Dauid: *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Deum eſſe fontem vitæ agnouerunt
Dial. 7. ipſi Gentiles; vnde Triſmegiſtus: Reſpicite, ait, ô mortales, & reſpicite, & ad fontem vitæ recurrite. In hoc mundo nulla eſt ciſterna quæ valeat

valeat continere aquas : id eſt, nihil reperiri poteſt, quod veras diuitias, veras delicias contineat, omnia ſunt veluti ciſternæ rimoſæ, malè conglutinatæ, quæ aquam non continent, quia ab eis nihil quod ſitim animæ leuet, expendendum eſt. Interim has ciſternas quærunt homines, hæc caduca, hæc labentia, relicto Deo fonte aquæ viuæ, qui omnes hodie ſitientes inuitat, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ego ſum fons, cætera guttæ ſunt, cur pro gutta relinquis fontem? Sanè ille diues epulo fontem in vita reliquerat, quia poſt mortem guttam poſtulabat. Nam, teſte Sancto Ephrem, qui fontem habent, gutta non indigent. Si Deum fontem aquæ viuæ quæſiiſſet, guttam non petiiſſet. Si hunc fontem derelinquas, guttulas aliquando ſuſpirabis; & iuſtè tibi denegabitur gutta, qui de fonte non curaſti. Tract. de diuina grat.

Rr

FERIA TERTIA POST DOMINICAM Paſſionis.

Ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat ambulare in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere, &c. Ioan. 7.

Gel.lib.17. noct. Attic. cap.21.

PROFLIGATIS à Philippo Rege Athenienſibus, Demoſthenes Orator ex eo prælio ſalutem fuga quæſiuit: cúmque id ei, quòd fugerat probrosè obiiceretur, reſpondiſſe fertur, *Vir fugiens etiam denuò pugnabit.* Interdum vtilius eſt patriæ fugere, quàm in prælio mori: mortuus enim non pugnat, at qui fugit poteſt rurſum integrare bellum, & in multis patriæ eſſe vſui. Quandoque ſatius eſt, ſibi & aliis fuga conſulere, quàm ſeipſum alióſque in diſcrimen coniicere. Non fuit probo Iacob, quòd fratrem ſuum Eſau fugerit; nec Moyſi, quòd metu Pharaonis, in Madianitas ſeceſſerit; nec Dauidi, quòd vt Saülem fugeret, ſe in ſpelunca occultauerit; nec Eliæ, quòd à facie Iezabelis declinaue

clinauerit. Omnes iſti denuò dimicarunt, rurſum ſe obtulerunt, dum ita expedire iudicarunt.

Audimus Chriſtum nunc diuertiſſe ad Galilæos, & furorem Iudæorum fugiſſe, non quòd illos timeret,ſed vt opportuno tempore ſe ſponte illis ad mortem ſubeundam offerret; & vt ſuos doceret, nobíſque conſuleret. Expediebat igitur vt ambularet in Galilæam, non in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere. Quòd autem ad nos docendum fugeret, adnotat Auguſt. In omni re, inquiens, quam Chriſtus geſſit, vt homo, hominibus in ſe credituris præbebat exemplum; quia vnuſquiſque ſeruus Dei non peccat, ſi ſeceſſerit in alium locum, videns furorem perſequentium ſe, aut quærentium in malum animam ſuam. Videretur autem ſeruus Dei peccare, ſi faceret, niſi in faciendo Dominus præceſſiſſet. Fecit hoc ille Magiſter bonus vt doceret, non quia timeret. Mortem non timuit, qui vt moreretur de cœlo deſcendit, non inquam intendebat mortem fugere, ad quam debemus confugere:non fugiebat Iudæos, qui paſſurus erat pro Iudæis: & licèt quærerent ipſi eum interficere,ille tamen fugiendo quærebat proficere. Fuit igitur iſte à Iudæa regreſſus, noſter progreſſus,& in Galilæam ambulatio,noſtra eruditio.

Nullus vnquam ita fuit vitæ cupidus, ſicut Chriſtus mortis, magis inquam deſiderabat mori, quàm quiſquam viuere. Hoc moriendi deſiderium multis in locis teſtatus eſt, præcipuè dum hæc Apoſtolis dicebat, *Baptiſmo habeo bapti-* Luc.12.

zari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur? Iam ipſa eius morte imminente, adhuc triſtabatur, quia nondum perficiebatur, atque vſque ad illam ſe triſtari teſtabatur, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Quaſi diceret: opto mortem, triſtis ero donec ipſa veniat, cùm venerit triſtari definã, &

Prou.13. lætari incipiam, nam teſte Sapiente, *Deſiderium ſi compleatur delectat animam.* Chriſtus igitur non triſtabatur quòd moreretur, ſed quòd tardè mo-

Lib.7. in Luc. reretur. Hoc obſeruat D. Ambroſ. Mœſtitiam, inquiens, prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ reparationis aſſumpſerat.

Præterea, quàm ardentiſſimè optauerit Chriſtus mortem ſubire, conſtat ex illis verbis, quæ in vltima cæna protulit, *quod facis, fac citius.* Quæ Iudæ eſſe dicta credunt Auguſtinus & Chryſoſtomus; alij autem, vt Cyrillus & Origenes, dicta fuiſſe putant dæmoni Iudam inſtiganti. Siue autem Iudæ, ſiue diabolo dicta fuerint, ſemper oſtendunt Chriſti maximum moriendi, & patiendi deſiderium. Ait Caietanus. O Chriſte clementiſſime, cùm multis argumentis probes te optare mortem & paſſionem, cur fugis à quibus paſſurus es? Cur non vadis vbi moriturus es? Iudæi maximo tenentur te interficiendi deſiderio, quare ergo ambulas in Galilæam? cur non in Iudæam, vbi Iudæi quærebant te interficere? Cur fugit mortem qui optat mori?

Lib. de fuga in perſecutione. Cùm duces fugiunt, ait Tertullianus, quis de gregario numero ſuſtinebit? Pulchrior eſt miles in pugna, prælio amiſſus, quàm in fuga ſaluus. Veruntamen decuit Chriſtum etiam optantem

tem mortem, nunc fugere mortem.

Aliquæ igitur iſtius fugæ aſſignantur rationes à Doctoribus. Prima, vt oſtenderet ſe veram aſſumpſiſſe humanam naturã, ſecundùm quam, & mortem apprehendebat, & tormenta ſentiebat. Præuidebat Dominus aliquos hæreticos negaturos illum eſſe verum hominem; idcirco ad refellendum huiuſmodi errorem, voluit humanis ſubiici infirmitatibus, dempto peccato. Vnde de illo Paulus, *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Ad Hebr. 4. Per huiuſmodi infirmitates intelliguntur carnis & animæ fragilitas, ſitis, fames, fatigatio, naturalis horror mortis, ignominiæ, verberum, ſpoliationis. Chriſtus enim aſſumpſit naturales, & innoxias paſſiones, communes toti generi humano; non autem proprias certarum perſonarum, putà cæcitatem, ſurditatem, febres, alióſque morbos, qui nõ tam naturæ totius, quàm priuatorum hominum ſunt defectus & vitia, quæ non decuit Chriſtum ſuſcipere. Vt igitur Chriſtus oſtenderet ſe verum eſſe hominem, eą paſſus eſt, quæ poſſunt humanæ naturæ accidere, demptis peccato & ignorantia. Quia autem ſolet homo mortem pertimeſcere, eámque fugere, cùm poteſt, ideo Chriſtus, *vt per omnia aſſimilaretur* velut homo, Iudæorum oculis ſe ſubtrahebat, & in Galilæam ambulabat, donec hora eius moriendi veniret. Ibid. cap. 2.

Altera ratio cur Chriſtus noluerit ambulare in Iudæam, affertur ab Euangeliſta, *quia volebant eum Iudæi interficere.* Diçes: Si tunc Chriſtus in

Iudæam veniſſet, illúmne Iudæi interfeciſſent? Non, quia iam tempus præuiderat quo mori decreuerat, & illum Iudæi eſſent libere interfecturi; tamen, quia illud, ſicut & cætera ad agentia libera ſpectantia, Dominus præuiderat cum potentia ad oppoſitum, vt aiunt Theologi, nunc ſe gerit non ſecundùm illud quod non erat futurum, ſed ſecundùm illud quod poſſibile erat. Licèt enim tunc Iudæi illum non interfeciſſent, poterant tamen non obſtante quacumque diuina præuiſione, illum interficere. Illos igitur fugiebat, non quia illum occidiſſent, ſed quia illum occidere potuiſſent.

Hoc facto docet nos Chriſtus pericula declinare, ſiue quæ futura ſunt ignoremus, ſiue ſciamus. Licèt Dominus ſciret ſe non eſſe moriturum, niſi quando ipſe vellet, voluit tamen fugere volentes eum occidere; vt doceret, Deum non eſſe tentandum: tentatur autem quando quis ſe exponit periculis, quæ tenetur euitare, ne poſſit peccare. Promiſerat Dominus Dauidi illum ſucceſſurum Saüli, atque ita futurum ei ſuperſtitem, & non tantùm regnum Saülis ipſi promiſſum erat, ſed & filiis ſuis: veruntamen perſequente eum Saüle, & quærente occidere, non minùs fugiebat Dauid à facie Saülis, & pericula deuitabat, ac ſi nihil à Deo fuiſſet ei promiſſum. Cur fugit Dauid? an credit Deum ſuis non ſtare promiſſis? nónne ſcit Dominum per Prophetam
Iſai.46. dixiſſe, *Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet?* Si ſtet conſilium, cuius pertimeſcit periculum? Si fiat Dei voluntas, quem timet ſucceſſum? Et Deo credebat, & voluntatem eius fieri non dubitabat,

bitabat, & tamen pericula deuitabat; quia ſciebat cuiuſcumque præuiſi, determinati, & promiſſi poſſe oppoſitum euenire. Sciebat inſuper talem eſſe Dei voluntatem, & decretum, quòd non obſtante quacumque promiſſione, ſeruanda erat hominis libertas; atque ita fugienda omnis peccandi, & pereundi opportunitas, ne tentetur diuina potentia. Dicat igitur Auguſtinus apud D. Thomam. Dominus palàm docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem in ſe valere aliquid non ſinendo, hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Solent viri prudentes timere, non tantùm quando certum eſt periculum, ſed quando poteſt eſſe periculum, licèt nondum ſit; & fugere non tantùm illud quod ſciunt eſſe peccatum, ſed etiam illud quod poteſt eſſe cauſa peccati, id eſt, occaſionem peccandi. Caſtus erat Iob, qui nullam admittebat obſcœnam cogitationem, ſed ne fortè admitteret, non dabat ſuis oculis mulieris videndi permiſſionem, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Non reſpiciebat, ne cogitaret; non cogitabat, ne concupiſceret; non concupiſcebat, ne periret.

3. 2. q. 97. a. 1.

Iob 31.

Caſtus quoque fuit Ioſeph, qui vt ſuam pudicitiam ſeruaret, noluit tangi à muliere: nam ſolicitante eum vxore domini ſui, atque eius pallium arripiente, ipſe relicto pallio aufugit. Si non fugiſſet, & pallium quod impudica mulier tetigerat non reliquiſſet, periculum incurriſſet, quia de pallio ad thoracem, de thorace ad

camiſiam, de camiſia ad carnem, de carne ad animam virus ſine dubio ſerpſiſſet. Quod agnoſcens pudicus adoleſcens, maluit quo operiebatur abiicere, quàm certo ſe periculo exponere.
Lib. 1. contra Iouin. De illo ſic Hieronymus. Noſter Ioſeph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit è manibus eius, & quaſi ad morſum rabioſiſſimi canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat, abiecit. Fugiebat igitur, ne fortè cum ea mœcharetur: non propter actum, ſed propter proximam potentiam cadendi in actum, aufugit.

Multa præterea agimus, vt euitemus, non quæ infallibiliter futura ſunt, ſed quæ poſſunt eſſe. Nullus eſt qui noctu oſtium domus ſuæ non claudat, & qui quas habet pecunias, in arca multis clauibus non obſerat. Si quæras ab eo cur hoc faciat; reſpondebit, ne fortè veniant latrones, & furentur, non certò ſcit venturos latrones & furaturos, ſed poſſe venire & furari. Qui foras exit, & aliquando petit ciuitatem, ſolet enſem gerere quo ſe defendat; non quòd ſint aliqui illum aggredientes, ſed quòd poſſint eſſe. Secum etiam defert ſagulum, ſi fortè pluat, non contra præſentem, ſed contra poſſibilem pluuiam tollit. Si itaque propter vnum *fortè*, aut *forſitan*, vel propter poſſibiles dumtaxat euentus, nihil omittimus, imò de omnibus neceſſariis prouidemus, vt diligenter cuſtodiantur bona temporalia, & corpus iſtud mortale protegatur; quantò diligentiùs debemus inuigilare, & prouidere his, quæ ſunt animæ, & ad ſalutem æternam comparandam neceſſaria? Cur vadis cubitum cum peccato mortali? quare priùs non

non confiteris, ne fortè repentina morte moriaris? nónne audis Apoſtolum clamantem, *Non occidat Sol ſuper iracundiam veſtram?* D. Ambroſius ait, Apoſtolum loqui, non tantùm de iracundia, ſed & de omnibus aliis peccatis, ne ſcilicet Sol occidat ſuper iracundiam, auaritiam, luxuriam, ſuperbiam noſtram, &c. Id eſt, caue ne te comitetur aliquod ex illis peccatis; quia licèt nullus ſciat, an ſis hac nocte moriturus, potes tamen mori. Chriſtus itaque *nolebat ambulare in Iudæam*, quia cùm vellent eum Iudæi tunc interficere, poterant illud perficere. Credo quòd non occidiſſent tunc, ſed potuiſſent occidere. Attendebat Chriſtus ad poſſibilitatem, vt noſtram doceret infirmitatem.

Præterea *nolebat ambulare in Iudæam*; ſed fugiebat, vt adiungeret ſe fugitiuo, ait D. Theodotus. Miratur Diuus Chryſologus, quòd Matthæus Chriſti Ieſu fugam in Ægyptum celebret. Quid ſibi vult, ait, quòd Euangeliſta ſcribat hæc ad memoriam ſempiternam? Deuoti militis eſt Regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, tacere timores, aperire fortia, infirma reticere, aduerſa dolere, prædicare victorias. Verùm ſapienter Euangeliſtæ timores & fugas Chriſti decantarunt, & hominum memoriis commendarunt, quibus fugitiuus homo antiquæ ſuæ fugæ & defectioni remedium apponit. Fugerat olim Adam & abſconderat ſe, & in hoc etiam Dominum offenderat: vt autem huic fugæ & offenſioni ſatisfaceret Chriſtus, voluit puer in Ægyptum fugam arripere; & poſtea, aliquando ſe abſcondit à quærentibus eum

Homil. contra Neſtorium.

interficere, ſicut nunc fugit in Iudæam, & ambulat in Galilæam, vt fugam noſtram ſua fuga curaret. Non ignominioſa, ſed glorioſa eſt illa fuga, qua hominum à Deo fugæ & defectiones curantur; honorificentiſſimum dedecus, quod peccatorum radit dedecora. Quæ maior gloria Imperatoris, quàm militum fugis mederi? Quod maius decus in Saluatore, quàm ob probroſam hominis fugam ſatisfacare Deo? Vnde bene admonet citatus Theodotus. Ne igitur curationis modum in contumeliam vertas, neque improperes Medico, ſi in corporis humilitate conſtitutus tuam operatus eſt ſanitatem. Deus enim nihil ignominioſum ducit, quod humanam ſalutem conciliare natum eſt. Itaque Chriſtus fugiendo non tantùm docuit, ſed & profuit. Ambulante itaque Domino in Galilæam, & imminente iam Scenopegiæ feſto, quidam dixerunt ei, vt iret in Iudæam, ibíque miracula ederet, ac ſeipſum mundo manifeſtaret.

Ibidem.

Manifeſta teipſum mundo. Hæc eſt communis dæmonis, & propinquorum tentatio. Quid intendebat dicere dæmon Chriſto Domino, quando ait, *Si filius Dei es, mitte te deorſum?* Quid inquam eſt illud, niſi, *Manifeſta teipſum mundo?* Nihil aliud intendit diabolus, niſi vt mundo manifeſtemur, & pro mundo operemur, vel vt mundo placeamus. Quid facit mulier dum procedit ad choreas, dum crines diſcriminat, faciem ſuam fuco exornat? manifeſtat ſeipſam mundo. Quid iuuenis dum comptus per plateas & vicos obambulat? manifeſtat ſeipſum mundo. Quid optant de nobis parentes carnales, niſi vt nos

ipſos

ipſos manifeſtemus mundo: hic eſt filius ambitionis. Vnde Seneca. Ambitio ſcenam deſiderat, &c. vbi ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari & conſpici fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet induit purpuram? Sunt qui nihil agunt niſi vt videantur, & mundo manifeſtentur. Secundùm eumdem Senecam, qui multorum oculis ſe oſtentat, concupiſcit multa, quibus exornatus, ſiue potiùs oneratus appareat. Quamobrem hoc dat ſalutare conſilium. Ne concupiſcamus, efficies, ſi, vt non oſtendamur, effeceris. Paucis eſt contentus, qui mundo non eſt manifeſtus: contrà verò multa deſiderat, qui ſe mundo manifeſtat. Ieſus autem reſpondit. Lib. 14. epiſt. 95 Ibidem.

Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Quaſi dicat: Vos vultis vt aſcendam ad diem feſtum hunc, ad hoc vt prædicem, doceam, ac miracula edam, & ſic gloriam meam manifeſtem; verùm *tempus meum nondum aduenit.* Alia ratione erat Chriſtus aſcenſurus in Hieruſalem, ad diem feſtum hunc, & alia ratione iſti conſanguinei, qui eum vt aſcenderet inducebant. Iſti debebant aſcendere ad illum diem feſtum, tractaturi cum Deo, illumque rogaturi: ad Deum autem orandum, eique ſeruiendum, & cum eo tractandum, quodcumque tempus opportunum eſt, ideo ait eis, *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.* In quocumque enim tempore, & ſemper poteſtis Patrem meum orare, & non tantùm ad hoc agendum tempus eſt ſemper paratum, ſed & vos ſemper debetis eſſe parati, quia ſemper ille eſt paratus ad audien-

dum

dum vos, vobiſque ignoſcendum. Hoc eum non
Pſalm 54. latebat, qui hæc dicebat, *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & audiet vocem meam.*
Pſalm. 56. Et alibi idem Pſaltes ad Dominum, *In quacumque die inuocauero te, ecce cognoui, quia Deus meus*
Pſalm. 4. *es.* Idem affirmat, *Cùm inuocarẽ exaudiuit me Deus.* Vide quòd in quacumque hora, quocumque tempore poſſumus Deum orare.

Nec vnquam legimus Dominum iuſſiſſe, vt ad aliud tempus noſtras differamus orationes: nullus eſt qui ex parte Dei dicat, vt recedamus, & mox reuertamur; nullus qui ad illum accedentes expellat, ſemper nobis patet aditus. Hoc pulchrè obſeruat Chryſoſtomus. Nunquã aſſiſtit miles qui expellat, nec ſatelles qui tempus interrumpat, non qui dicat: nunc non eſt tempus accedendi, veni poſtea. Sed quando veneris, ſtat audiens, etiã ſi tempore prandij, cænæ, nocte intempeſta, etiam ſi in foro, in via, in cubili, etiamſi intus apud magiſtratũ fueris. Non potes dicere, vereor orare & accedere: adeſt meus inimicus, &c. Cùm igitur Deus ſit ſemper paratus ad nos audiendum, & nobis benefaciendum, erit quodcumque tempus ad hoc ſemper opportunum. *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.*

Chriſtus verò, quia aſcendendo ad illum diem feſtum, erat cum hominibus tractaturus, voluit habere rationem temporis. Volebat enim prædicare, docere & miracula operari, quæ omnia fiunt ſecundùm temporis opportunitatem. Ideo ait, *Tempus meum nondum aduenit.* Ex parte mei ſemper quidem ſum paratus, ſed qui debent me audire, non ſunt parati. O miram Dei bonitatem!

tatem ! ô ſtupendam hominum temeritatem! Deus eſt ſemper paratus ad nos audiendum;homo non eſt ſemper paratus , nec vult Deum audire,& ad eum conuerti, niſi quando licet ei per otiũ. Ita vt dicat Iſaias,*Expectat Dominus,vt miſereatur veſtri.* Nota (*Expectat.*) Quid expectat? tempus,& quando videt illud non eſſe opportunum,ait,*Tempus meum nondum aduenit.* Quando erit illud tempus opportunum? dum peccator quodammodo cogitur agere pœnitentiam. Et quando cogitur?dum infirmatur,dum paupertate premitur,aut alia calamitate afficitur. Quando enim ſani ſumus,diuitiis abundamus,de Deo non curamus, vellet nos Deus alloqui, modò per inſpirationes, modò per prædicationes; ſed illum audire renuimus , inſpirationes reiicimus, prædicationes contemnimus, pœnitentiam differimus : adueniente autem infirmitate, aut aliqua aduerſitate , tunc libenter audimus monita ſalutis.Eſt igitur tempus infirmitatis, paupertatis,aut alterius aduerſitatis,tempus Chriſti;tunc aduenit eius tempus , quando nobis accidit aliquod infortunium.Meritò ergo aduerſa immittuntur, cùm non niſi in illis Dei monitiones audiuntur.Mala quæ nos hic premunt,ad Deum ire compellunt,ait D.Gregorius. Iſai.30.

Dico itaque , Deum ſemper eſſe paratum ad nos audiendum, hominem verò non eſſe ſemper paratum ad Deum deprecandum. Hoc patet in Pharaone , ad quem dixit aliquando Moyſes, *Conſtitue mihi quando deprecer pro te*,&c.Quaſi dicat : Scio quòd quotieſcumque Deũ deprecatus fuero,ipſe me exaudiet ; ſed quia ſum illum oraturus Exod.8.

turus tuo nomine, ac ſi tu ipſe illum orares, ideo dic mihi quando tibi licuerit, *Conſtitue mihi tempus.* Idem hodie videtur Dominus peccatoribus dicere, quando ait, *Tempus meum nondum aduenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Quaſi diceret: Quando volueritis venire ad me, & conuerti, ero ſemper paratus ad recipiendum vos. Conſtituite autem mihi tempus, quo ego poſſim venire ad vos & alloqui, quia video vos non eſſe ſemper paratos ad me audiendum, ſemper enim occupati eſtis, & multis negotiis huius mundi impliciti, aliiſque rebus nullius ferè momenti intenti. Vocat illud tempus ſuum, in quo videt nos diſponi ad recipiendam ſuam gratiam: & illud tempus vocat noſtrum, in quo poſſumus Deum adire, & ei per pœnitentiam & ſacramentalem confeſſionem reconciliari; & huiuſmodi tempus ſemper paratum eſt. De hoc tempore loquitur Apoſtolus, illúdque videtur digito demonſtrare, dum ait, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

Expende illud *nunc:* de tempore enim nihil præter *nunc*, vel præſens habetur; nam præteritum non eſt, futurum quoque nondum eſt, nihil ergo reſtat niſi *nunc*. Ait igitur Apoſtolus, *Ecce nunc tempus acceptabile*, &c. Apud Deum omne nunc temporis acceptatur; non erit acceptabile tempus præteritum, quia non eſt reuocabile; futurum neſcis an acceptetur, quia nondum habetur; *nunc* autem *eſt tempus acceptabile, & dies ſalutis.* Vt accepteris, operare *nunc*. Si in mane ſis, *nunc*: ſi in meridie, *nunc*: ſi veſperi, *nunc*. Si in infirmitate ſis, *nunc*: ſi in ſanitate, *nunc*: ſi in iu-

uentute,

uentute, *nunc*: ſi in ſenectute, *nunc*. Nunc, inquam, tantùm habes; & illud nunc temporis ſemper eſt paratum; in illo namque potes Deum placare, orare, & alia bona opera agere. Quomodo tibi polliceris futurum, qui vix certus es de præſenti, & de iſto nunc? Audi dicentem. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere; id quoque quidquid tenetur per manus, exit, & ipſam quam premimus horam, caſus incidit. Seneca epiſt. 101.

Vel aliter exponuntur hæc verba, *Tempus meum nondum aduenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Id eſt, tempus, ſiue hora mortis meæ nondum aduenit. Ita interpretatur Chryſoſtomus, qui ſic ſcribit. Fortaſſe eum tradere Iudæi conſultabant, & ob hoc reſpondit: *Tempus meum nondum aduenit*, hoc eſt, Crucis & mortis. Quid autem tempus, vt moriar, properatis? Vnde hìc dicitur, *Quærebant eum Iudæi interficere.* Alibi etiam legimus quòd *nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.* Vocatur igitur hora mortis, tempus eius: ſciebat enim Chriſtus quo tempore erat moriturus; & quia illud tempus nondum aduenerat, ideo ait, *Tempus meum nondum aduenit.* Chryſoſt. in hunc locũ.

Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Semper enim ineſt vobis tempus moriendi, id eſt, in quacumque hora, quocumque momento, quocumque tempore poteſtis mori; & quia hoc tẽpus, ſiue illa hora vos latet, debetis eſſe parati, cùm ſit illud tempus ſemper paratum. Iam ego vos admonui, *Eſtote parati, quia neſcitis diem, neque horam.* Ego verò ſcio diem meum, & horam meam, quæ nondum aduenit. Cùm itaque neſciatis

ſciatis qua hora ſitis morituri, & nullum certum tempus habeatis viuendi, debetis dare operam vt in quacumque hora, & momento bene agatis. Audi conſulentem. Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit, ſed nemo ſcit noſtrûm, quàm propè verſetur. Sic itàque formemus animum, tanquam ad extremum ventum ſit.

Senec. epiſt. 101.

Mirum eſt quòd vnicuique rei aſſignatur tempus, *Omnia tempus habent*, vitæ autem nullum aſſignatur. Datur quidem *tempus naſcendi, & tempus moriendi*, ſed non tempus viuendi: ratio eſt, quia nulli datur certum tempus viuendi, poteſt enim in quocumque momento mori. Nam contingit aliquando, vt quis in vtero matris moriatur, antequam naſcatur: atque tanta eſt viuendi breuitas, ac tanta incertitudo, vt videatur Sapiens nullum agnouiſſe tempus viuendi. Cùm igitur parum habeamus temporis ad viuendum, & de tempore nihil nobis reſtet niſi *nunc*, miror quòd multi nihil, aut parum agant in iſto *nunc*, illúdque terant ludendo, iocando, laſciuiendo. D. Bernardus ægrè ferebat illam quorumdam hominum loquendi formulam, *Il faut paſſer le temps*: dicant potiùs, *Il faut perdre le temps*. Nam illud tempus teritur, quod in Dei ſeruitio non impenditur. Audi Auguſt. Perdit quod viuit, qui Deum non diligit. Audiamus ergo Diuum Bernardum inuehentem in terentes tempus, & exclamantem. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat; ô donec prætereat hora! ô donec prætereat tẽpus! Non patiaris tempus inane præterire, ſi non vis perire. Nam certum eſt, quòd

Eccl. 3.

In Manual.

Serm. de trip. cuſt.

quòd nunquam præteritum recuperabis: futurum autem non eſt tibi promiſſum; vtere ergo præſenti. Licèt enim tibi promittatur peccatorum remiſſio, ſi pœnitentiam egeris, tamen nullum futurum tempus ad eam agendam tibi promittitur. Audiamus Auguſtinum. Fortè dices, promiſit mihi Deus indulgentiam, quando me correxero. Verum dicis, ego conſentio, & concedo, & cognoſco, quia indulgentiam Deus promiſit: craſtinum tamen diem quis tibi promiſit? Vbi legis indulgentiam te accepturum, ſi te correxeris? legíſne quantum victurus es? Serm. 16. de verbis Domini.

Tempus veſtrum ſemper eſt paratum. Sed caue ne tua culpa priueris illo tempore, quod tuum erat, & quod ad bene operandum paratum erat. Pretioſum eſt tempus, cùm in eo pretioſum, nempe cœlum, quo nihil in hoc mundo pretioſius, imò ipſe Deus comparari poteſt. Cùm igitur tempus ſit quid pretioſum, dignum eſt quod ematur, & redimatur. Ad hoc nos hortatur Apoſtolus, dum optat vt ſimus *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Dolebat Seneca quòd ferè omnes tempus nihili æſtimarent. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? Epiſt. 1. ad Lucil.

Videat vnuſquiſque, quibus negotiis tempus illud, quod paratum eſt, impendat: illud enim tempus quod nobis nunc conceditur, tandem auferetur. Dolebat idem Seneca, quòd videret nonnullos malè vti tempore ſibi dato. Turpiſſima temporis iactura eſt, quæ per negligentiam fit; & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, Epiſt. 1. ad Lucil.

tota aliud agentibus. Id eſt, aliud ab his quæ nobis eſſent gerenda.

Non poteſt mundus odiſſe vos. Ne mundus amet nos, illum odio habeamus; & licèt diligat, illum non amemus. Notum eſt illud Apoſtoli, *Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Per nomen *ſæculi* non intelligitur aggregatum ex cœlo & terra, & elementis, ſed ea omnia, quæ inordinatè appetuntur. Hoc obſeruat Abbas Iaias in Bibliotheca Patrum: Mundus, inquiens, eſt animi ad peccata diſtractio. Mundus eſt, cùm ea quæ naturæ contraria ſunt, ſequimur. Mundus eſt, cùm carnis voluptates implemus. Mundus eſt, cum arbitramur diu in hoc ſæculo nos permanſuros. Mundus eſt, cùm maiorem corporis quàm animæ curam gerimus. Mundus eſt, cùm de his quæ caduca ſunt gloriamur. Illa omnia amare, vel ab his diligi, eſt à Deo negligi, & odio haberi.

Iacobi 4.

Orat. 21. tom. 1. Bibl. Patrum.

Bene igitur conſulit qui ſic clamat, *Nolite diligere mundum, nec ea quæ ſunt in mundo.* Quomodo tamen quæ in mundo ſunt, diligenda ſunt, ſi diligenda ſint, docet D. Auguſtinus his verbis. Quod cuique debetur, reſtituite, nolite anteriora poſterioribus ſubdere. Et alibi idem Doctor ſic. Quæ in hoc mundo ſunt, diligenda ſunt, vt ſubiecta, vt famulantia, vt arrha ſponſi, vt munera amici, vt beneficia Domini: ſic tamen, vt memineris ſemper quod illi debes, nec iſta propter ſe, ſed iſta propter illum, & per iſta illum, & ſuper iſta illum diligas. Caue ô anima, ne meretrix dicaris, ſi munera dantis, pluſquàm amantis affectum

1. Ioan. 2.

Serm. 7. de verbis Domini.

Lib. 6. de dilig. Deo.

ctum diligis. Dilige illum propter ſe, diligit te propter ſe: dilige illum, vt fruaris illo, diligit te vt diligaris ab illo: dilige in donis illius quæ data ſunt ab illo, illum tibi, & te illi dilige. Hæc ille & pie & iuſtè. Si ſponſus daret ſponſæ ſuæ annulum, & illa plus diligeret annulum quàm ſponſum, ſanè iniquè ageret, & ſponſo iniuriam faceret. Et nos iniquiùs agimus, qui interdum plus data à Deo, quàm ipſum Deum diligimus. Nullus amat odientes patrem ſuum, & nos amamus mundum, qui Chriſtum odit.

Nihil eſt in mundo quod mereatur diligi, plenus eſt morte, plenus luctu. Audi D. Gregorium. Vbique mors, vbique luctus, vbique deſolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen ipſas eius amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Pulcherrimè & breuiſſimè ſingularum rerum quæ ſunt in hoc mundo, fugacem vanitatem ſigillatim & quaſi punctim perſtringens, deſcribit alter Gregorius, ſcilicet D. Nazianzenus, his verbis. Multæ ærumnoſæ vitæ huius viæ ſunt, nec vllum bonum apud homines eſt, quod non aliquid vitij admixtum habeat. Inſidiæ ſunt opes, ſublimiúmque thronorum & dignitatum faſtus, mera ſunt inſomnia; imperio alterius ſubeſſe, graue ac moleſtum eſt; paupertas pedica: pulchritudo porrò breuis, atque fulgetri ſimilis; iuuentus nihil aliud, quàm temporis feruor; canities triſtis vitæ occaſus. Sermones verò alati; gloria aër; nobilitas vetus ſanguis; robur cum apris commune; ſatietas petulans; matrimonium vinculum; librorum copia mater curæ

Homil. 10. in Euang.

Tract. de vitæ itin. qui extat ſub fine operum eius.

Ss 2

neceſſariæ; orbitas morbus; forum vitiorum ſchola: quies imbecillitas; artes abiectorum ſunt hominum, anguſtus alienus panis; agricultura labor; nauigantium maior pars in orco; patria proprium barathrum; externa regio probrum: humana omnia, metus, riſus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, &c.

Tandem cur Deus voluerit res huius mundi ita ſe habere docet idem Doctor, dum Dominum ſic alloquitur. Nunc verò non ſine magna ſapientia hoc à te, Chriſte, conſtitutum eſt, vt res omnes huius vitæ incertæ, atque inſtabiles ſint: nempe vt rerum firmarum ſtabiliúmque amore ac deſiderio inardeſcamus; vtque diſcamus à ſtultæ carnis cogitatione mentem abrumpere; vitam ab hac vita alienam ducere; ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes huius vitæ moleſtiáſque forti animo perferre.

Ibidem.

Non poteſt mundus vos odiſſe: quia de hoc mundo eſtis. *Me autem odit:* quia non ſum de hoc mundo. Boni in hoc mundo ſunt veluti in aliena domo: mali verò in propria, vnde vocantur à Chriſto, filij huius ſæculi. Non mirum, inquit, ſi mali odio bonos proſequantur, illóſque perſequantur, cùm ſint in domo propria; boni in aliena. Sed ſicut terra eſt domus malorum, ita cœlum bonorum: & ſicut hic nihil habent pij, ita ibi nihil poſſident impij. Hoc attendens D. Auguſtinus ſic nos conſolatur. Non indignemini fratres, ſi in mundo mali florent, vos aduerſa patimini: mali enim nihil habent in cœlo, & vos nihil habere debetis in terra. Oderit mundus,

Serm. de Patientia.

mundus, dummodo me diligat Dominus; expellar mundo, dummodo excipiar cœlo.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM de Paſſione.

Facta ſunt Encænia Hieroſolymis: & hyems erat. Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis, &c. Ioan.10.

NIHIL legimus Chriſtum feciſſe in hac vita recreandi animi gratia, niſi ex illa recreatione aliquid emanaret ad noſtram vtilitatem & ſalutem. Fatigatus ex itinere, ſedebat quidem ſupra fontem, ſed vt ſedendo Samaritanam peccatricem conuerteret. Manducauit aliquando cum publicanis & peccatoribus, vt eos ad ſe traheret, quia non tam cibos quàm animas eorum eſuriebat. Ambulauit aliquando iuxta mare Galilęæ, nō vt ſe recrearet, ſed vt Petrum & Andream vocaret, Apoſtolóſque crearet. Heri non ſine cauſa ambulabat in Galilæam: nunc non ſine myſterio ambulat in tem-

plo, in porticu Salomonis. Illum itaque ibi ambulantem conſideremus.

Ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis. Qui ambulat, ſuper ſe cogitat, Dominus autem ſuper ſe cogitabat, quia neminem perire volebat. Audi quid de Deo dicatur Dauidi, *Non vult*
2.Reg.14. *Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus eſt.* Habet ſe Deus ad modum cuiuſdam patris, filium proteruum & nebulonem habentis, qui cùm audiat huiuſmodi filium heri ſe malè geſſiſſe, & hodie aliquod delictum commiſiſſe, cogitat quomodo ſe debeat ipſe gerere erga illum; modò ait, illum eiiciam è domo mea, nolo vt aliquid habeat de mea ſubſtantia, omnia mea fratribus eius, ipſi verò nihil relinquam. Verùm poſtea iterum cogitans, ait, meus eſt filius, poterit ſe emendare: præterea, ſi illum eiiciam, incidet, in aliquod crimen penuria ductus, atque ita totam meam inhonorabit
Lib.1. de pœnit.c.4. familiam. In ipſa indignatione, ait D. Ambroſius, velut patrio quodam affectu hæret, quomodo ad pœnam tradat errantem. Ita videtur Dominus aliquando ſe habere.

Illum veluti cogitabundum repræſentat Pro-
Oſee 11. pheta, *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Iſraël? quomodo dabo te ſicut Adama, puniam te vt Seboim?* &c. *Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt diſpergam Ephraim; quoniam ego Deus, & non homo.* Hæc verba, *Quomodo dabo te Ephraim*, vel vt legunt Septuaginta, *Quid faciam tibi Ephraim*, & ſimilia, oſtendunt Dominum cogitare, vt retractet, atque ita verificari, quod ab illa muliere
In proœmio c.1. in Iſaia. dictum erat, *retractat cogitans.* Diuus Chryſoſto-

mus

mus iuxta illa verba ſic de Domino loquitur; atque illum interrogantem interrogat, & reſpondentem inducit. Pater eſt amantiſſimus filiorum,& vt diſcas,dicit: Quid faciam tibi Iuda? Nunquid Domine noſti quid facias? Noui, verum noſco. Natiua habitudo peccatorum pœnam vltricem repoſcit,ſed diuinæ clementiæ magnitudo cohibet, quid tibi faciam?Ignoſcámne tibi?Dicat Deus,ſi non caſtigauero,peior euades; quòd autem te puniam, id non ſuffert mea erga hominem benignitas. Nulli obnoxius perturbationi hominem imitatur;non turbatur,ſed locutiones noſtras imitatur.Et ſicut quaſi homo turbatur,ita,vt homo ambulabat. Ibidem.

Ambulabat. Qui aliquem expectat, ſolet expectando deambulare, vel intra aliquod ſpatium ambulare, quæ magis ſunt ipſi animo cogitans. Ambulabat Ieſus in porticu Salomonis expectando Iudæos,vt ad illum venirent, crederent, & ſaluarentur. Et ſi neceſſe eſſet, ambularet in porticu conſcientiæ tuæ, expectando te, vt agas pœnitentiam. Audi Prophetam, *Expectat vos Dominus Deus veſter,vt veſtri miſereatur, propterea exaltabitur vobis parcens:* vel, vt legit Vatablus, *propterea ſuſpendit ictum, vt propitius ſit vobis.* Qui tardat aliquem ferire, illum non vult perire.Chriſtus itaque ambulabat cogitando,cogitabat expectando, ſed quid expectat? Reſpondet idem Ambroſius. Expectat gemitus noſtros, ſed temporales, vt remittat perpetuos: expectat lacrymas noſtras,vt profundat pietatem ſuam: expectat conuerſionem noſtram, vt reuertamur & ipſi in gratiam. Vultis itaque ſcire quid agat Iſai. 30. Ibidem.

Chriſtus deambulando? *expectat vos.*

De cruribus ſponſi cœleſtis, ſic ſponſa in
Cant.5. Canticis, *Crura illius columnæ marmoreæ.* Hæc cru-
ra marmorea quæ ſponſa tribuit cœleſti ſponſo,
Lib.5. de diuin. offic. cap.14. ſymbolum ſunt illius patientiæ, vt notat Ru-
pertus, cum qua peccatores expectat ad pœni-
tentiam quandiu viuunt; vnde non ſine diuina
prouidentia, exiſtente Chriſto in Cruce, nō ſunt
Ioan.8. fracta eius crura. *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo, ad Ieſum cùm veniſſent non fregerunt eius crura.* Franguntur iſtorum latronum crura, vt ſignificaretur, hominum patientiam eſſe debilem & paruæ durationis; Chriſti verò crura relinquuntur integra, ad denotandam eius patientiam in tolerandis peccatoribus, quos vt expectet, *ambulabat.*

Ambulabat ad modum mercatoris, qui reuerſus è nundinis, & allatis multis pretioſis mercibus, expectat, ſi aliquis ſeſe offerat ad emendum ex eis; quòd ſi videat neminem ſe offerre, ipſe ambulat & vadit inuitando aliquos. Venit Dominus de cœlo multas ac pretioſas merces, multa ſcilicet dona ſecū deferens; ementes expectabat, ideo ambulabat. Nullis autem ſeſe offerentibus, ipſemet omnes inuitat, vt emant. Audiamus
Iſai.55. inuitantem, *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite abſque vlla commutatione.* Vnde & hodie clamat, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*

Circundederunt eum Iudæi. Impiorum eſt ire per
Pſal.11. circuitum, iuxta illud, *In circuitu impij ambulant.*
1.Pet 5. Hoc à diabolo didicerunt, de quo D. Petrus, *Aduerſarius*

uerſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Quomodo autem ambulent impij in circuitu, docet D. Auguſtinus. In circuitu impij ambulant, id eſt, in temporalium rerum cupiditate, &c. Vel ambulare in circuitu, eſt, in peccatis conſueſcere, ac eadem repetere; ſemper in peripheria incedere, & nunquam ad centrum, id eſt, ad Deum pertingere. Iſti Iudæi eadem ſemper repetebant, ſcilicet ſigna à Chriſto, & verba, vt diximus; & quia ab his petitionibus non recedebant, & auditis verbis, & viſis miraculis non tendebant ad Chriſtum, ideo bene dicitur, quòd *circundederunt*, &c. In hunc locum.

Circulus, globulus, rota, axis, dicuntur de improbis, ob inconſtantiam & inſtabilitatem. Dixit Abigail Dauidi fore, vt anima inimicorum eius rotaretur in impetu *& circulo fundæ.* Sodomitæ circundantes domum Loth, percuſſi ſunt cæcitate; ita vt oſtium inuenire non poſſent. Via circularis inuia eſt, non via. Qui per viam circularem graditur, nullam perficit viam, nullum quærit finem. Cauſa cur terra ſit rotunda, traditur, quia omnes partes eius pari inclinatione centrum petunt. Ita mundus, caro, diabolus æquali conatu ſibi peccatorem vendicant; ideo quaſi rotundus effectus ſemper rotat. Qui autem rotat, multùm laborat, & nullum iter peragit. Sic impij, licèt multùm laborent in patrandis peccatis, nihil tamen proficiunt, nullúmque ad vitam æternam iter conficiunt, quia ab vno loco, id eſt, à peccato non recedunt. 1. Reg. 25. Gen. 19.

Docet Ariſtoteles non eſſe diſputandum, nec tractandum cum eo qui circulariter ambulat, vel

circularibus vtitur locutionibus, quia nihil boni poteſt colligi. Quid eſt circulariter ambulare? ſeſe ad idem reflectere, nihílque perficere. Quære ab aliquo, quando perſoluturus es debitum? reſpondebit, quando potero. Et quando poteris? quando perſoluam. Iterum pete: quando perſolues? quando potero. Vide quomodo iſte vtatur circulo, nihil enim colligis. Sit idem iudicium de impio, à quo ſi quæras, quando relinques peccatum tuum? reſpondebit, quando agam pœnitentiam. Iterum pete: quando ages pœnitentiam? quando relinquam peccatum. O impie, *in circuitu ambulas*. Quandiu ita ambulabis, numquam ad vltimum finem peruenies. Iſti Iudæi conſueuerant ita in circuitu ambulare, *circundederunt*. Si enim quis petiiſſet ab eis: quando credituri eſtis in Chriſtum? reſpondiſſent, quando videbimus ſigna & miracula. Signa vidiſtis: quando ergo credituri eſtis? cùm palàm loquetur; ideo aiunt, *Si tu es Chriſtus dic nobis palàm.* Eſt palàm locutus, ipſe enim ait: *Ego palàm locutus ſum, & in occulto locutus ſum nihil*; palàm edidit ſigna, palàm locutus eſt; quando credituri eſtis? ſemper ad ſigna, ſemper ad verba recurriſſent, quia in circuitu ambulabant, modò tranſibant de ſignis ad verba, de verbis ad ſigna; viſis ſignis verba petunt: auditis verbis, ſigna poſtulant, quibus editis iterum petunt verba, *circunderunt*.

In Conſt. Mon. c. 9. Pulchra ſimilitudine hos Iudæos, & eis ſimiles depingit Baſilius. Multi ſerpunt, nihil promouent, ſimiles iumentis, quæ ad molas deligata, cùm ingredi continenter non ceſſent, eodem tamen vſque in ſpatio ſemper reperiuntur, &

fracto

fracto laboribus corpore, ipſa tamen vltra exigui loci fines egreſſa non ſunt. Iumento circumagenti aſſimilatur, qui recta via incedere dedignatur. Et quia Iudæi Chriſtum in templo circundederunt, ipſi in ciuitate circundari meruerunt. Hoc illis Ieſus prædixerat, *Circundabunt te inimici tui vallo, & filios tuos qui in te ſunt.* Luc. 19. Peccatores etiam qui in circuitu ambulant, nec bona agere curant, circundabuntur, quia tandem in inferno, qui elementis, omnibúſque ſphæris cœleſtibus inuoluitur, includentur.

Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Præclarum ſanè teſtimonium ad vniuſcuiuſque vitam, moréſque cognoſcendos, ex operibus deſumitur. Sicut enim arbor à fructibus, ita homo cognoſcitur ex operibus. Hæc eſt Chriſti ſententia, *à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Vnde præclarè D. Chryſoſtomus Hom. 23. ad Pop. inuehitur in eos qui volunt haberi Chriſtiani, & tamen dictis & factis vitam ementiuntur Chriſtianam. Vnde, inquit, potero te fidelem agnoſcere, dictis omnia contraria proteſtantibus? Imò verò ſunt nonnulli, qui non tantùm non ducunt fidelem vitam, ſed neque humanam, ferarum potiùs more viuentes. Ideo addit idem Doctor. Quid verò fidelem dico: nec enim es homo, ſi manifeſtè poſſum videre. Cùm namque tanquam aſinus recalcitres, laſciuias vt taurus, tanquam equus poſt mulieres hinnias, ventri tanquam vrſus indulgeas, & vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas velut camelus, rapias vt lupus, iraſcaris vt ſerpens, ferias vt ſcorpius, ſis ſubdolus vt vulpes, nequitiæ

tiæ tanquam aſpis vipera venenum ſerues, & ſicut malignus dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus connumerare valeam? Sed proh dolor! ſunt aliqui feris peiores, imò ipſis dæmonibus. Nam illæ vno tantùm horum vitio tenentur; non enim omnes calcitrant, feriunt, rapiunt, laſciuiunt: at verò videmus aliquos homines qui rapiunt ſimul & laſciuiunt, mordent, & in ſe ſolis omnia includunt vitia, quæ in omnibus feris reperiuntur. Dæmones etiam decipiunt quidem homines, impugnant, tentant, & ad malum inducunt; ſed non ventri indulgent, pecunias non amant, voluptati non dant operam: at ſunt homines & alios decipientes, ſimul & pecuniam amantes, auaritiæ ſtudentes, luxuriæ operam dantes, ventri ſeruientes, atque ita feras & dæmones longè malitia ſuperantes. Pergat igitur idem Doctor. Quî enim te nuncupem? Feránne? ſed vno horum vitio feræ tenentur, tu verò pariter omnia circumferens ad maiorem quàm illæ feritatem progrederis. Vel dæmonem? at dæmon, neque ventris ſeruit tyrannidi, neque pecunias amat. Cùm itaque feris, & dæmonibus maiores habeas defectus, quomodo te vocabimus? hominem. Saltem eſto quaſi ouis, & vna ex ouibus Chriſti. Quales autem debeant eſſe oues eius, declarat ipſemet his verbis.

Ibidem.

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas de manu mea quiſquam. Obſerua diligenter iſta verba, & videbis, quòd vt electi beatitudinem conſequãtur, oportet vt Deus aliquid operetur, & ipſi etiam

operen

operentur. Quando Chriſtus ait, *Oues meæ*, indicat ſe eos vocaſſe, elegiſſe, atque ita ſuos effeciſſe. Quando addit, *vocem meã audiunt*, oſtendit quòd ipſi electi debent operari ex parte ſua. Vide itaque quomodo opera Dei & opera electorum miſceantur inuicem. Primò, Deus operatur vocando, eligendo, ſcilicet, & præordinando aliquos ad gloriam, quos ſpecialiter ſuos appellat, *Oues meæ*: ſed quia neceſſe eſt, vt & ipſi operentur, ait, *vocem meam audiunt*. Quid prætерea Deus agat oſtendit dum ait, *& ego cognoſco eas*. Quid rurſus debeant ipſi præſtare, innuit, dum dicit, *& ſequuntur me*. Inſuper quid eis conferat, oſtendit, dum ſubiungit, *& ego vitam æternam do eis*. In iſtis verbis ferè omnia cernuntur quæ neceſſaria ſunt, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis ad conſequutionem gloriæ æternæ.

Dei eſt nos vocare; vocat autem multos, *multi ſunt vocati*. Si vocem eius audiamus, aut vocationi reſpondeamus, oues eius efficiemur: nõ eſt in noſtra poteſtate, vt ipſe nos vocet & eligat, ſed vocantem audire & ſequi poſſumus. Quid dicat D. Auguſtinus, videamus. Qui vocati noluerunt Aug. venire, non debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Qui verò vocatus venit, non poteſt ſibi tribuere quòd vocatus eſt.

Oues meæ vocem meam audiunt. Id eſt, ſecundùm Baſilium, quod ego præcepi non diſputant, neque diſcutiunt, ſed ſimpliciter adimplent. Ouis eſt ſimpliciter obedire voci paſtoris, non diſcutere. Vtinam hoc feciſſent primi parentes; ſed quia de præcepto cum dæmone diſputarunt,

ideo

ideo errarunt: voluerunt enim examinare cur Deus eis præceperit ne comederent de ligno ſcientiæ boni & mali. Domini ſolius eſt iubere, ait Chryſoſtomus, famulorum autem parere; ne interrogetis quænam ſit Dei voluntas. Noli inquirere cur hoc, aut illud iuſſerit; ſed velut ſimplex ouicula, audi vocem eius & perfice. Nam ſupremo Domino ſuprema debetur obedientia: ſuprema autem obediētia nullam admittit contradictionem, nullámque quæſtionem, aut difficultatem, ſed ſimplicem executionem.

Homil. 2. in Epiſt. ad Rom.

Oues igitur Chriſti tenentur habere hanc ſupremam obedientiam, tum circa intellectum, credendo ſcilicet quicquid Deus dixit, & perficiendo quicquid mandauit: tenentur, inquam, iuſti tanquam Dei oues, non tantùm executioni mandare quæ à Deo præcipiuntur, ſed ſimpliciter credere, quæ ex parte illius prædicantur. Et ſicut non eſt diſputandum cur illud præcipiatur; ita nec examinandum quomodo hoc ita poſſit fieri, vt credatur. Sunt enim qui nolunt credere niſi quod capiunt; & non attendunt, quòd ſi capiunt, non credunt. Dices, ait Diuus Auguſtinus, quomodo iſtud creditur? quomodo iſtud capitur? Ad hæc duo reſpondeo. Quomodo capitur, rectè dicis, quomodo creditur, non rectè dicis. Imò ideo bene creditur, quia non capitur: nam ſi caperetur, non opus erat vt crederetur, quia videretur. Ideo credis, quia non capis. Credamus igitur & perficiamus, quæ Deus credenda proponit, & quæ exequenda mandauit, vt oues eius efficiamur.

Tract. 36. in Ioan.

Ille igitur audit vocem Dei, qui nullam oppo-

nit difficultatem in his quæ præcipiuntur. Iſti Iudæi adeò ſeſe opponebant, vt dum videbant ſigna & miracula, quibus contradicere non valebant, peterent verba, *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.* Quando autem audiebant verba, quæ nullo modo negare poterant, petebant ſigna; *Volumus à te ſignum videre.* Sed nec ſignis, nec miraculis Chriſti credere voluerunt, quia eſſe ex ouibus ſuis renuerunt. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.*

Dices, ego libenter audio vocem, & verbum Dei, ergo ſum ex ouibus eius. Reſpondeo, non ſatis eſt, auribus percipere, ſed oportet opere perficere, & hoc eſt audire. Impio & reprobato Saüli dictum eſt à Samuele, *Quare non audiſti vocem Domini?* 1.Reg.15. Audierat quidem, vnde reſpondit, *Imò audiui:* ſed quia non impleuit quæ Dominus ei præceperat, dicitur non audiuiſſe. Audiebant iſti vocem Chriſti, ſed ei non obediebant, ideo dicitur eis, *ſed vos non audiſtis*, id eſt, non obediſtis, *quia non eſtis ex ouibus meis.* Prædeſtinati vocantur oues, ob earum proprietates, quas referam, vt illas tecum afferas, & de illis apud te conferas, ſi ouis Chriſti fieri deſideras. His autem verſibus continentur.

Fœta bidens dormit veſtita, lupum timet, imbres, Hugo.
Carne iuuat, pelle, & vellere, lacte, fimo.
Cernit humum balans, edit herbas hoſtia, velox
Paſtorem ſequitur, in grege ſola dolet,
Ruminat, innocuo cornu, pede, vertice duro
Tonſa tacet.———

Vides hic ouem nulli in vllo nocere, ſed omnibus in multis, id eſt, in his, quæ habet prodeſſe.

Præ

Prætereà lupum timet, & odit; odio habeas diabolum lupum infernalem, cum quo nunquam debes inire pacem, ſicut nunquam ouis cum lupo. Nam ouium & luporum tãtum eſt odium, vt ſi lupina pellis in ouili pendeat, oues pauore conterritæ, omnino paſtum negligant. Sunt etiam qui aſſeuerent, harmoniam nullam vnquam coituram ex ouis lupíque tenſis ad concentum viſceribus. Adiiciunt præterea, quòd ſi lupina pelle tympanum conficiatur, oues ſonum exhorreſcũt, ac ſi lupus prope gregem conſiſteret: vnde eſt illud Alciati Emblema 170.

Cætera muteſcent, coriúmque ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membrana ouium ſic exhorreſcit, vt hoſtem
Exanimis quamuis non ferat exanimem.

Vt ſis etiam ouis Chriſti, neceſſe eſt ſequaris veſtigia Chriſti. (1. Pet 2.) *Chriſtus paſſus eſt vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Ille Chriſtum ſequitur, qui aduerſa libenter pro Chriſto patitur. Ideo voluit Dominus pati, humiliari, indigere, vt ipſius paſſionem, humilitatem, & paupertatem imitaremur. (In Pſal. 34.) Cauſa, inquit Auguſtinus, patiendi capiti fuit, vt corpori præberet exemplum, vt quando talia fortè perpetimur, intueamur caput noſtrum, vt eius exemplo commoti dicamus: Si ille, quid nos? Si inquam ille qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, tot ludibria, tot alapas, tot flagella, mortem denique pertulit; quid nos, qui tot peccata commiſimus, tolerare debemus? Quando igitur aliquid patieris, hoc tibi ſemper verſetur in ore, vel mente: Si ille, quid ego?

ego? Si iniuria afficiaris, ſi paupertate premaris; ſi inimici te perſequantur; ſi falsò accuſeris, continuò dic: Si ille, quid ego? Hoc agere potes, ſi egeris, Chriſtum ſequeris. Felix membrnm, inquit Bernardus, quod huic adhæſerit per omnia capiti, & ſequitur illud quocumque ierit. Nam ſecundùm Hieronymum, ſi vis habere partem cum Chriſto, tibi viuendum eſt Chriſti exemplo. Serm. 1. in capite Ieiunij. In quadam epiſt.

Audiamus & D. Auguſtinũ, pulchrè nos hortantem, ſimul & docentem. Via factus eſt tibi ipſe Saluator, ſurge, ambula: habes quò, noli pigreſcere: quæris quò, vides eam: quæris quò, ducat ſcilicet ipſa via, ad veritatem & ad vitam ducit. Si cupis ad veritatem, & ad vitam venire, à via noli errare. Video, inquis, viam, & cupio ambulare, ſed aſpera eſt. Sed Chriſtus tranſiuit, & adhuc aſpera eſt? Caput tranſiuit, & adhuc membra dubitant? Sed Chriſtus, inquis, Deus & homo eſt. Vide quot millia tranſierunt; ſenes enim & iuuenes, pueri & puellæ, tranſierunt, & viam quam times tritam tibi fecerunt. De 4. virt.

Illum multi ſunt ſequuti, tam viri quàm mulieres, imò omnis ætatis & conditionis; ſaltem Chriſtum ſequentes ſequamur. Ad hoc nos hortatur idem Auguſtinus, noſtram arguens vecordiam, cùm ſic ſcribit. Tu non potes? quare ille poteſt? quare alter potuit? nunquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine? nũquid tu infirmior es fœmina? Fœminæ potuerunt, viri nó poſſunt. Excitemus igitur nos ipſos ad ſectanda illorum veſtigia, ac ſæpe ſæpius nobis dicamus, quod In Pſal. 119.

Lib. 8. Cōf. cap. 11. eidem Auguſtino aliquando torpenti dictum eſt; Tu non poteris, quod iſti & iſtæ?

Quando audis multas oues, ſed quid dico oues? imò multos Agnellos, Agnetes, inquam, Cicilias, Agathas, Lucias, Catharinas, Pācratios, & multos alios teneræ ætatis Chriſtum Paſtorem fuiſſe ſecutos, dic; Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? Agni Paſtorem ſunt ſequuti; oues non poterunt? non eſt quod dicamus illos, vel illas alterius, aut præſtantioris naturæ fuiſſe; ſed ingenuè fateamur, eos maioris quàm nos fuiſſe animi, & conſtantiæ, nos verò maximæ eſſe mollitiei. Exclamet igitur vnuſquiſque noſtrûm cum eodem Auguſtino. Cùm tot viri, tot mulieres & tantæ, ac tam delicatæ puellæ, flammas, ignes, & beſtias æquanimiter pertulerint; neſcio qua fronte, vel qua conſcientia partem in æterna beatitudine habere deſideramus, quorum exempla ſequi non acquieſcimus. Vis itaque fieri ouis Chriſti? Illum non tantùm audi, ſed & ſequere, *& ſequuntur me*; & vitam habebis æternam; ait enim, *& ego vitam æternam do eis.* Quod præcipuè intelligitur de gratia, qua habetur vita æterna, iuxta illud, *gratia Dei, vita æterna.* Si nunquam illam gratiam deſeras, non peribis in æternum; ſed eris in manu Dei, de qua nemo te poterit rapere; *& non peribunt in æternum, & non rapiet eos quiſquam de manu mea.* Certè nemo poterit rapere te de manu Dei, niſi tu: tu inquam voluntariè peccando, voluntariè rapieris, ſed non niſi à teipſo, vel te conſentiente, à dæmone. Fuit aliquando Iudas in manu Domini, ſed mittente in cor eius diabolo, voluit Iudas conſentire,

ſentire, atque ita ſeipſum rapuit de manu Dei; illum Dominus non eripuit, nó repulit, ſed ipſemet voluntariè peccando ſe eripuit, vnde Chriſtus illius traditionem indicando, *proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Expende illud (*proteſtatus eſt.*) Quaſi diceret Ieſus; proteſtor hodie, & omnibus manifeſtum facio, quòd, ô Iuda, non ego trado te diabolo, ſed tu me Iudæis, ego non ſum cauſa tuæ proditionis, euaſionis, nec perditionis; vocem diaboli potiùs audiuiſti quàm meam. Cæterùm tibi nolo vim inferre, neminem decet violenter detinere. Ioan. 13.

Eadem proteſtatione vtitur circa omnes homines; vnde ipſe diuino Patri ait, *Quos dediſti mihi cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Quid per filium perditionis intelligitur? Is qui voluntarie peccando tradit ſe manibus diaboli, eripiendo ſe de manu Dei. Nemo ergo eripitur de manu Dei, niſi is qui vult ſeipſum perdere; ideo ei meritò dicetur, *Perditio tua ex te.* Conſtat enim Dominum, quantum in ſe fuit, omnes voluiſſe ſaluos fieri; neminem Chriſti negligentia periiſſe, imò omnibus ſui officij partibus fuiſſe perfunctum: ſi quis periit, propria periiſſe culpa, qualis Iudas fuit, qui, vt Auguſtinus, & magnus Leo tradunt, etiam poſt venditum Chriſtum, ſi voluiſſet, per illum ipſum, quem vendiderat ſanguinem, ſaluus eſſe poterat.

Exurgant licèt in te omnes dæmones, te aggrediantur, ſolicitent, tentent, nullo modo poterunt te amouere, & rapere de manu vel gratia Dei, niſi ipſe velis: ſi autem eis præbeas conſen-

ſum, tibi ſine dubio à Domino dicetur illud
Iſai.51.23. Iſaiæ, *dixerunt animæ tuæ: Incuruare vt tranſeamus, & poſuiſti in terra corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* Non cogendo, ſed ſuadendo nocet diabolus. Poteſt quidem dicere, *incuruare*, ſed te nolentem incuruare non poterit.

Greg. hom. 32. in Euãg. Hæc verba Iſaiæ attendens Gregorius ſic ſcribit. Stat anima tua cùm ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus, cùm hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt; tranſire namque eorum, eſt immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergo, incuruare, vt tranſeamus: quia ſi ipſa ſe ad ima appetenda non deiicit, contra hanc illorum peruerſitas nullatenus conualeſcit, & tranſire per eam nequeunt, quam contra ſe rigidam in ſuperna intentione pertimeſcunt. Qui immunda & illicita cogitat, ipſe ſe incuruat; nihil autem magis nos rapit & ſeparat à Dei manu, quàm peruerſa cogitatio, iuxta illud, *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo.*

Et licèt Deus poneret te in manu dæmonis, non propterea poſſet dæmon perdere te, ſi nolis. Fuit aliquando Iob in manu diaboli, *Ecce in manu tua eſt*, nec tamen potuit illum perdere diabolus. Quare? quia illi non ſe tradiderat Iob, ſed Dominus poſuerat illum in manu diaboli; non ad perdendum eum, ſed ad probandum, nō enim minùs erat tunc in manu Dei. Audi Gregorium. Idem in manu Dei, idem in manu diaboli. Si vt exercearis, in manu diaboli ponaris, gaudeas, ſed caue ne peccando teipſum ei tradas; nullus enim niſi tu poterit te rapere de manu Dei. Vt

Iob.1.

Lib.3. Mor. cap.3.

Iobum

Iobum diabolus raperet de manu Dei, percuſſit eum à planta pedis vſque ad verticem capitis, filios eius oppreſſit, domos funditus euertit, armenta conſumpſit, vxorem propriam ad ei maledicendum parauit,& tamen illum de manu Dei rapere non potuit, quia non obſtante quacumque premente calamitate, Iob Deum offendere minime voluit.

Cæterùm nemo hominum abſque Dei reuelatione cognoſcere poteſt, ſitne ex prædeſtinatis ouibus, an ex præſcitis. At vtilis eſt hæc ignoratio. Audi Auguſtinum. Vtile quippe eſt omnibus, vel penè omnibus propter humilitatem ſaluberrimam, vt quales futuri ſint ſcire non poſſint. Hæc igitur ignoratio humilitatem parit, vnde idem Doctor ſic ad eum, qui ob bona opera ſe iam prædeſtinatum exiſtimat. Ouem, inquit, te putas, hircum te forte Deus nouit. Ei etiam, qui ob aliqua patrata crimina iam deſperat de ſua ſalute, dicere poſſumus; hircum te putas, ouèm te forte Deus nouit. Epiſt. 107. ad Vitalem. Lib de ouibus. cap. 10.

Nullus itaque glorietur, nullúſque deſperet, ſed vt hortatur Apoſtolus, *ſatagat vnuſquiſque, vt per bona opera certam ſuam vocationem & electionem faciat.* Magis debemus incumbere bonis operibus, quàm abſtruſis prædeſtinationis quæſtionibus; videat quiſque an bona opera agat. Ad hoc nos videtur hortari Paulus, *vosmetipſos tētate.* Iam ſcimus quænam ſint ſigna ouium Chriſti, ſatagamus, vt illa nobis comparemus. Nonne audimus? *Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata* Non dicitur, ſi vis ad vitã ingredi, eſto prædeſtinatus. Potes ſeruare mandata, ergo potes prædeſtinari. 2. Pet. 1. 2. Cor 13.

Si non obſeruaſti, in poſterum ſerua, & noli quærere, quis à Deo Patre trahatur, vel non trahatur, ſed tantùm tibi curæ ſit, benefacere & orare, vt traharis. Hoc tibi conſulit idem D. Augu- Tract. 26. in Ioan. ſtinus. Quem trahat, & quem non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare. Semel accipe & intellige: nondum traheris: ora vt traharis. Peccaſti? curre ad pœnitentiam. Audi clamantem, Luc. 13. *Pœnitentiam agite*. Audi minantem, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*. Matth. 4. Non hortaretur ad pœnitentiam, niſi agnoſceret te poſſe agere pœnitentiam, & niſi vellet dare quod meretur pœnitentia, ſcilicet vitam æternam, ad quam nos perducat qui ſine fine viuit & regnat.

FERIA

FERIA QVINTA POST DOMINICAM de Paſſione.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

CERTVM eſt cœlum eſſe capaciſſimum ad capiendum & continendum omnes electos: veruntamen adhuc Deum illud veluti pellem extendere aſſeuerat Pſalmiſta; *extendens cœlum ſicut pellem.* Cur autem dicatur cœlum à Deo extendi, adnotat Caſſiodorus his verbis. Bene dicitur Deus cœlum extendere, cùm in ipſum conſtat publicanos & meretrices admittere. Tunc igitur cœlum extenditur, quando in illud peccator admittitur, vel dum peccatum homini dimittitur. Extendebatur, quando hæc mulier lacrymabatur: extendebatur, quando pedes Domini oſculabatur: extendebatur, quando ei dicebatur, *Remittuntur tibi peccata tua:* extendebatur, quando bene operabatur: extendebatur, quando in ſpelunca morabatur. Dicat igitur Auguſtinus. Animant me

Pſal. 103. In hunc locum.

Lib. medit. cap. 14.

publicani, meretrices & latrones, quia a faucibus hoſtis eruti ſinibus excipiuntur paſtoris. Quid de hac mulíere dicat Euangeliſta, audiamus.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Quando audio Lucam dicentem, *Ecce mulier*, ſtatim in mentem reuoco, quod de Chriſto à Pilato dictum eſt, *Ecce homo.* O miram antitheſim!

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix; &, *Ecce homo*, qui non poteſt eſſe peccator.

Ecce mulier vana & mundana; *Ecce homo* bonus & diuinus.

Ecce mulier mollibus veſtita; *Ecce homo* chlamyde indutus.

Ecce mulier quæ crines habuit conſperſos puluere; *Ecce homo* crines habens concretos ſanguine.

Ecce mulier, quæ geſtabat flabellum; *Ecce homo* patiens flagellum. & geſtans arundinem.

Ecce mulier gerens criſpantes mitras; *Ecce homo* portans ſpineam coronam.

Ecce mulier ſtridentes habens calceolos; *Ecce homo* nudis incedens pedibus.

Ecce mulier à dæmonibus deluſa; *Ecce homo* ab hominibus illuſus.

Ecce mulier, quæ peccauit; *Ecce homo*, qui reparauit.

Ecce mulier, cui peccata dimittuntur; *Ecce homo*, qui peccata dimittit.

Ecce mulier, quæ offendit; *Ecce homo*, qui defendit.

Ecce mulier lacrymis pedes Domini rigatura; *Ecce homo* nos in ſanguine ſuo lauaturus.

Ecce

Ecce mulier montem & ſpeluncam petitura, ibique reliquo vitæ ſuæ tempore permanſura; *Ecce homo* montem Caluariæ petiturus, ibíque pro nobis moriturus.

Tandem, *Ecce mulier* ab Angelis ad audiendas cœleſtium laudes in altum erigenda; *Ecce homo* ſurſum ab Angelis colendus & adorandus: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Hebr. 1.

Ecce mulier. Hodie Euangeliſta videtur ſermonem ſuum ad viros dirigere, eóſque pudefacere, dum hanc mulierem nobis proponit ſpectandam & imitandam, *Ecce mulier.* Chriſtus etiam nunc illam proponit conſiderandam Phariſæo, qui ipſum inuitauerat, *Vides hanc mulierem.* Quaſi diceret, non vides virum, ſed mulierem, quæ licet ſit naturæ fragilis, vides tamen quàm viriliter ſe gerat; huc acceſſit, tua non timuit iudicia, ciuium paruipendit murmurationes, non curat oblatrantes in eam, dummodo peccatorum ſuorum veniam conſequatur, omnia ſpernit, lacrymas fundit, vnguentum effundit, capillis tergit. *Ecce mulier*, &c.

Non caret myſterio, quòd olim iuſſerit Dominus *labrum æneum cum baſi ſua fieri de ſpeculis mulierum.* Iſtæ mulieres, vt hic annotat Rabbi Abraham, erant Deum colentes, quæ ſpreta mundi vanitate, ſua ſpecula Domino offerebant, & ex illis ſpeculis iuſſit Dominus fieri huiuſmodi labrum lauatorium. Olim enim, teſte Plinio, optima ſpecula erant ex ære diligentiſſimè terſo & polito; ex illis itaque ſpeculis æneis factum fuiſſe credunt aliqui illud labrum æneum. Alij verò cenſent non fuiſſe factum ex Exod. 38. Lib 33. c. 9.

ſpeculis : ſed circum ſe habuiſſe pendentia ſpecula, in quibus ſe ſpecularentur ingredientes templum, an maculis eſſent aſperſi. Quicquid ſit, ſiue penderent circa labrum, ſiue labrum fuiſſet ex illis compoſitum ; ſemper in eo conſiderabantur, ac videbantur ſpecula, in quibus elucebat harum mulierum pietas, carúmque contemptus rerũ mundialium. Videbatur igitur Dominus velle inuitare omnes viros, cæteraſque mulieres, vt ſe in eis ſpecularentur, ac ſi eis diceret : Ecce ſpecula mulierum, vel, hoc factum eſt *de ſpeculis mulierum.* Pudeat vos vinci à mulieribus, quæ licèt debiliores viris ſint, tamen in ſpernendis rebus mundialibus, vobis fortiores extiterunt, quando quæ magis habent præ oculis, obtulerunt.

Quæ erat in ciuitate peccatrix. Notate precor, Quid tibi videtur Euangeliſta de hac muliere? *Erat peccatrix.* Quid ô Phariſæe dicis de hac muliere? *Quia peccatrix eſt.* Cui credendum? an Euangeliſtæ? an Phariſæo? Ille dixit, *erat*; hic verò *eſt.* Licèt fleret, licèt pedes Chriſti oſcularetur & vngeret, ſemper tamen vocat illam
Serm. 4. Phariſæus peccatricem. Vnde ait D. Chryſol. Errabat ſiquidem, qui tanquam peccatricem adhuc horrebat, quæ diuinis inhærens veſtigiis rigabat fletibus, tergebat crinibus, oſculo premebat, vnguento vngebat. Quis eius crimina iam deleta recenſeat? quis iam pœnitenti ſuccenſeat? Quis eam peccatricem cenſeat, quæ dum commiſſa deplorat, odit iniquitatem? dum oſculatur pedes Domini, diligit iuſtitiam? dum tergit crinibus, exhibet humilitatem? dum vnguento

guento vngit, præfert manſuetudinem? Nunquid poſſibile eſt, regnare peccatum in animo contrito & ſpiritu ingemiſcenti?

Non propterea hæc mulier de ſe malè iudicanti reſpondet, aut inſultat; ſed patienter fert, quia, teſte Hieronymo, aliter hominum liuor, aliter Chriſtus iudicat. Non eadem eſt ſententia tribunalis eius, & anguli ſuſurronum. Non curat iudicari à Phariſæo, dummodo non iudicetur à Domino. Sic non eſt nobis multùm curandum, quid dicant homines de nobis; ſed attendere debemus quid ſit in nobis. Quid ſis intereſt, non quis habearis, inquit Seneca; quia non vt haberis, ſed vt eris, à Domino iudicaberis. Vnde optimè conſulit idem Philoſophus. Conſcientiæ ſatisfaciamus, nihil in famam laboremus, ſequatur vel mala, dum bene mereris

Hieron.

Lib. 3. de Ira. c. 42.

Vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi. Obſeruat Diuus Chryſologus, quòd venit hæc mulier Domino recumbente, aſſignátque rationem. Non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix: Deus cùm ſtat corripit, cùm ſedet iudicat, proſtratis coniacet, cùm decumbit. Non quærebat iudicantem, ſed miſerentem. Inueniſſet autem iudicantem, ſi ſe exhibuiſſet præſtolantem & cunctantem.

Serm. 93.

Cur ſaltem non expectauit finem conuiuij? Reſpondet D. Ambroſ. Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Præterea timebat hæc mulier ne alius Dominum præueniret, & ei brauium præriperet, cùm ſcriptum ſit; *Caue ne alius accipiat coronam tuam.* Vnde ait idem Ambroſius.

Ambr. in Luc.

Apoc. 3.

broſius. Diſce quam impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitem, ne quis præueniat, & te boni muneris fraudet. Non vereamur, exemplo huius mulieris, adire Chriſtum vbicumque fuerit, etiam in domo Pharisæi. Hoc Epiſt. 4. conſulebat Diuus Paulinus. Quoniam ſpiritus vbi vult ſpirat, & audio vocem eius, & neſcio vnde veniat. Igitur vbicumque auram captabo, vndecumque vel tenuem halitum legam; vel in digni, vel in domo Phariſæi audiam Iuſtum veniſſe, contendam præripere hoſpitis gratiam, præripere ſi poſſum regnum cœlorum.

Itaque noluit Magdalena expectare finem conuiuij, nec finem vitæ; non expectauit peccandi impotentiam, quæ ſeriam aggrediebatur pœnitentiam. Medio enim iuuentutis flore, dignos produxit fructus pœnitentiæ, & tunc pœnituit, quando adhuc peccare potuit. Non illam à peccato ſubtraxit impoſſibilitas, ſed voluntas. Homil. 7. De illa ſic D. Cæſarius aiebat. Nec ipſa ſe reſeruauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret; ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, vt illam de adulteriis ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed voluntas. Iam hinc cenſenda eſt optima & fructuoſa pœnitentia, nimirum quæ fundatur non in impoſſibilitate peccandi, ſed in voluntate Domino famulandi.

In cap. 26. Matth. Iudæ pœnitentiam putat Rupertus natam fuiſſe tunc, cùm ipſe conſilium ſuum irritum iri cognouit. Etenim memoriam Ieſu omnino extinguere concupierat. Cùm autem illum ſolum,

lum, relictis in mundo diſcipulis, ad mortem duci vidit, prorſus deſperauit quòd impleri poſſet conſilium ſuum; & tunc facti intentati pœnituit: ſed ea pœnitentia, qua vſque in ſuſpendium fuit deductus. Metuo ne huic ſimilis pœnitentia ſit eorum, qui tunc pœnitent, cùm impotentes facti ſunt ad ſectanda vitia.

Obſeruanda ſunt ea quæ Nabuchodonoſori dicta fuere à Daniele illum ad pœnitentiam inuitante, *Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſtea.* Hæc verba ponderans Richardus Victorinus ſic ſcribit. Felix ille qui imminentem ruinam prævidere poteſt, dum adhuc Rex eſt, & paſſionibus ſuis dominatur. Tunc equidem ille fructuosè præcauet periculum, cùm adhuc affectus habet, quos regere poſſit, & ſui dominus eſt, vt liberè poſſit ſeſe vel in hanc, vel in illam partem inclinare. Multi ſunt, qui conſumptis omnino viribus, quando malum facere minimè poſſunt, tunc à peccatis abſtinent; non illi peccata, ſed illos peccata deſeruerunt. Tunc cogitant de agenda pœnitentia, quando nulla valent patrare crimina. Non ſic Magdalena, quæ, *vt cognouit* quòd adhuc ipſa eſſet iuuenis, quòd adhuc poterat peccare, quòd pollebat viribus, noluit expectare ſenium, imò nec finem conuiuij, ſed voluit tunc pœnitere, & ea præſtare quibus poſſet ſuorum peccatorum veniam impetrare.

Dan. 4.

Lib. 1. de erudi. inter hom. cap. 5.

Stans retrò ſecus pedes eius. Cur ad pedes recurrat hæc peccatrix, & cur ibi ſteterit dicat D. Chryſologus. Ad pedes tendit ſemper veniam qui

Serm. 93.

qui requirit, & bene ſtans, quia iam cadere non poteſt, qui ad pedes Domini meruit peruenire. Præterea debuit ad pedes Domini recurrere, quia de illa pedes Domini debebant triumphare. Iam Dominus cum ſuis oculis de Petro & Andrea triumphauerat, dum *vidit duos fratres.* Cum ſua ſaliua triumphauerat de cæco nato, dum *expuens in terram fecit lutum ex ſputo, & liniuit*
Ioan. 9. *lutum ſuper oculos eius.* Cum ſuis digitis triumphauit de ſurdo, dum *miſit digitos ſuos in auriculas eius.*
Marc. 7. Cum ſua voce triumphauit de Lazaro dicens,
Ioan. 11. *Lazare, veni foras.* Cum ipſa ſua laſſitudine triumphauit de Samaritana. Nunc autem cum ſuis pedibus de hac peccatrice triumphauit: fuit conuerſio huius mulieris triumphus pedum eius; vnde ſepties pedes Domini nominantur in hoc Euangelio, quia cum illis toties Dominus triumphauit, quoties circa illos hanc mulierem aliquid præſtitiſſe legimus.

Promiſerat Pater diuinus filium ſuum triumphaturum de inimicis ſuis, dixerat enim; *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Hæc verba ſuum ſortiuntur effectum, quando peccatores ad pedes Domini gementes illius merentur affe-
Hom. 15. in Matth. ctum; nam, teſte Origene, Deus non ad perditionem ponit inimicos Chriſti ſcabellum pedum eius, ſed ad ſalutem ipſorum. Venit Magdalena ad pedes Domini, non vt perderetur, ſed ſaluaretur. Tunc triumpharunt pedes Dei de Magdalena, quando ad pedes Domini lacrymata eſt, & conuerſa eſt Magdalena.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Bene dicitur, *cœpit*, hoc nondum viſum fuerat, vt terra cœlum

rigaret. Videmus quidem pluuiam e cœlo cadere in terram, ſed non è terra aſcendere in cœlum: tunc autem mutatus eſt ordo quando hæc mulier cœpit rigare pedes Domini. Audi Chryſologum de hac muliere lacrymante loquentem. Mutatur ordo rerum. Pluuiam terræ cœlum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cœlum, imò ſuper cœlos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum. Illius itaque lauabitur ſanguine, cuius pedes ſuis rigat lacrymis, & in cœlum merebitur intrare, quæ etiam cœlum lacrymis voluit rigare. Illa, inquam, per aquam lacrymarum, aſcendet ſuper aquas, quæ ſuper cœlos ſunt: iſtæ lacrymæ laudabunt nomen Domini, quæ rigarunt pedes Domini. Nam, teſte eodem Chryſologo, de aquis fletuum cantatur illud; *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Serm. 93. Ibidem.

Lacrymis cœpit rigare, &c. Et tunc peccata ſua cœpit obliterare. Sunt peccata noſtra tanquam ſcripta in aliquo libro, quæ vt deleantur, & purus maneat liber, oportet vt lacrymæ fundantur, quæ extant ad modum ſpongię, errata ebibentis atque delentis. Audi Chryſoſtomum. Peccata tua in libro ſcripta ſunt; ſpongię autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ, lacrymas mitte, & obliterantur: lacrymas mitte, & purus liber inuenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt lacrymæ. In Pſal. 50.

Lacrymis cœpit rigare. Quia intra conſcientiam ſuam cœperat intrare, quam vt cognouit tantis turpitudinibus fœdari, non potuit non lacrymari. Agelaſti, ſiue nunquam ridentes, imò ſemper flentes reddebantur quicumque in Trophonij

ſpecum,

ſpecum, apud Trœzenios ingrediebantur: vnde antiqui prouerbialiter; hominem triſtem, & ſemper lacrymantem, in Trophonij antrum deſcendiſſe dicebant. Conſcientia huius mulieris erat veluti antrum, multis venenatis, id eſt, peccatis repletum; quod vt animaduertit, cœpit lacrymari. Poſtea etiam lacrymabatur, potiſſimùm quando peccatorum ſuorum recordabatur, quorum vt iugis ei eſſet memoria, ac contemplandæ cœleſtis beatitudinis gratia, tandem in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit, vbi non tantùm ipſa flebat, ſed, vt ita dicam, ipſammet rupem ad fletum inuitabat, vnde illam quaſi iugiter lacrymari cernimus.

Lacrymis cœpit rigare. Imò etiam lacrymis cœpit orare. Scitum eſt illud Ouidianum.

Ouid. *Interdum lacrymæ pondera vocis habent.*

Nondum orauerat: nunc, quod ore non promebat, lacrymis innoteſcebat; à die ſuæ conuerſionis, factæ ſunt lacrymæ voces ſuæ orationis. Hîc itaque lacrymis cœpit orare, & remiſſionem peccatorum impetrare: vnde ei dicitur, *Remittuntur tibi peccata tua.* Dicat igitur D. Ambroſius. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt dicere; lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Exprimebat oculis, quod ore non poterat; & quæ lacrymis ſuorum peccatorum obtinuit remiſſionem, eiſdem meruit fratris Lazari reſurrectionem. Ipſa enim eſt, *cuius precibus Dominus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis reſuſcitauit.* Nota (*precibus*) non oris, ſed lacrymarum: non verbis, ſed lacrymis orabat; Ieſus enim *vidit eam plorantem.* Dicam de hac-

Lib. 9. in Luc.

Eccleſia in oratione feſti S. Magd.

Ioan. 11.

hac muliere, quæ idem Ambroſius de D.Petro, non inuenio quid dixerit, ſed quòd fleuit. Ibidem.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Tunc Magdalena cœpit amorem ſuum mutare, quando pedes Domini cœpit rigare: tunc inquam mundum deſeruit, & Dominum dilexit. Qui enim mundum diligit, & Deum deſerit, ſimilis eſt ei qui relicto horto, aquam ducit in cloacam. Simile. Hoc aliquando fecerat Magdalena, ſed lacrymis rigando pedes Domini, ſuum purgauit amorem. Ad hoc vnumquemque noſtrûm hortatur D. Auguſtinus. In Pſal. 31. Purga amorem tuum, aquam fluentem in cloacam, conuerte in hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Mundus eſt veluti cloaca; fierine poteſt, vt cloacam magis quàm hortum diligas?

Lacrymis cœpit rigare, &c. Tunc etiam Magdalena cœpit ſibi Dominum comparare, quando pedes Domini cœpit rigare. Fuit hæc mulier peccatrix, ſed ſuis lacrymis facta eſt Dei inueſtigatrix, imò ligatrix, & vt ita dicam, ſuperatrix. Hæc cum D. Hieronymo ſic exclamante dico: Hieron. epiſt. O lacryma vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis. Cur hæc mulier ſuis lacrymis non reddet Chriſtum ſibi propitium, cùm ipſe Dauid ſuis lacrymis ſibi reddiderit filium? Audi D. Ambroſ. Dauid dicebat: Lib. 2. de pœnit. c. 8. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo:* & ideo meruit vt ex eius familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu propitio Chriſtum ederet. Ea eſt vis lacrymarum, vt inueniant, aut producant Chriſtum. De lacrymis ſic Abbas Cellenſis. Lib. de panibus, c. 12. Aqua hæc, aut

facit, aut inuenit Paradiſum. Non mirum igitur ſi Magdalena lacrymis Chriſtum ſibi acquiſiuit, quæ illum lacrymis quæſiuit.

Lacrymis cœpit rigare, &c. Qui vult domum verrere, debet aquam primò infundere, ne puluere obruatur, & poſtea verriculum adhibere. Sic fecit Dauid, ſic Petrus, ſic Magdalena. A lacrymarum effuſione incipiat pœnitentiam, qui ſuam debitè vult purgare conſcientiam; homo lacrymas emittat, vt Deus peccata dimittat. In ſæcularibus iudiciis, ait D. Chryſoſtomus, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, non tamen effugies flendo ſupplicium: hic verò ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſoluiſti repentè ſententiam, veniámque meruiſti, &c.

Hom. 6. in Matth.

Cœpit rigare, &c. Quid dico, cœpit rigare? imò cœpit præſtare, quod nullus hactenus præſtiterat, non tantùm rigare pedes Chriſti, capillis tergere, vnguento vngere, quod neminem feciſſe legimus; ſed cœpit etiam venire ad Chriſtum, pro impetranda venia ſuorum delictorum, quod nullus adhuc fecerat.

Hom. 81. in Matth.

Obſeruat D. Chryſoſtomus, hanc mulierem primam fuiſſe quæ ad Chriſtum acceſſerit impetrandi gratia veniam peccatorum ſuorum. Multos quidem legimus ad Chriſtum veniſſe, ſed ad obtinenda aliqua, ad corpus ſpectantia: acceſſit Centurio, vt pro infirmo ſeruo rogaret: venit Cananea petens vt filia à dæmone vexata liberetur: acceſſit & regulus poſtulans ſanitatem pro filia, animam agente. Sed *ecce mulier*, quæ, non vt ſanitatem corporis, aut aliquid aliud temporale obtineat, accedit ad Chriſtum;

ſed

ſed dumtaxat vt anima ſalutem adipiſcatur. Felix mulier, quæ accedit ægra, recedit ſana: venit peccatis onerata, recedit exonerata. Felix, inquam, quæ diuinum Medicum tetigit, vnde ei curatio contigit. Tertullianus limum, ex quo Adam formatus eſt, dicit eſſe beatum, propter Domini contactum. Limus ſatis beatus, ſi ſolummodo contactus. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur. Sile Phariſæe, & noli amplius dicere, *mulier quæ tangit eum, peccatrix eſt.* Limus factus eſt beatus, quia contactus; & hæc mulier non fiet beata, ſi illum tangat, à quo fuit creata? Audi, quid ei dicatur. Lib. de reſurrect. car.

Remittuntur tibi peccata tua. Expende illud *(tibi.)* Quaſi dicat Chriſtus; tibi quidem per gratiam remittuntur peccata, mihi verò non, qui veni pro eis ſatisfacturus in rigore iuſtitiæ. Tibi itaque parco, non mihi, quia quod tu debes ego ſoluam. Tu fuiſti ſuperba; tibi remittitur ſuperbia, cui vt ſatisfaciam meipſum humiliabo, *factus obediens vſque ad mortem.* Peccaſti laſciuia; tibi hoc remittitur, ſed vt huic vitio ſatisfaciam flagellandus ſum. Peccaſti tuum denudando & exhibendo pectus, ad homines alliciendos; hoc adhuc crimen tibi remittitur, non mihi, cuius pectus eſt lancea aperiendúm. Peccaſti gerendo faciem fucatam, & oculos ſtibio depictos; tibi hoc peccatum remittitur, non mihi, qui faciem geram ſputis & alapis deformatam.

Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Mirabundi hoc dicunt, veruntamen ſi illum agnoſcerent, non mirarentur, quòd peccata ignoſceret; nam ille Deus eſt, cuius proprium eſt miſereri

ſemper & parcere. Nihil magis Deo conuenit, quàm culpas dimittere,& peccatores admittere. Audi, quòd ei non dimittatur conquerentem; attende Iobum, ſcilicet perſonam peccatoris
Iob.7. agentem, *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Quæ verba expen-
Apol. ad Theodoſiũ. dens D. Cyrillus Alexandrinus ſic ait. Dicet ad hoc quiſquam, quid igitur ô generoſiſſime athletarum, criminíſne loco Deo impingis, quòd eius, qui deliquit non miſeretur? Culpáſne legiſlatorem, quòd peccatorum meminit? Etiam, inquit, qui enim miſereri conſueuit, nec vulgarem ex eo gloriam habet, ob quam cauſam cùm talis ſit non & mei rationem habet? Vbi enim Deus ex eo quòd miſeretur & parcit, maximè glorificatur & benedicitur, id iuris acquirunt in eum ſibi peccatores, quòd illum de venia expoſtulant. Hoc fortè agnoſcens hæc mulier venit, peccatorum ſuorum veniam conſecutura, & ob hoc murmurantium voces auditura; ſed parum de iſtis obloquentibus curatura,cùm venerit curando,vt inde Dominus laudaretur & benediceretur, quòd culpa ignoſceretur.

Sanante Domino paralyticum, ac ei dicente, *Remittuntur tibi peccata tua*, narrat Euangeliſta, *quod turbæ timuerunt.* Peccatorum remiſſio,res erat non timoris, ſed gaudij, tamen timent turbæ, dum vident peccata remitti paralytico. Quare?
In Matt.9. Rationem aſſignat D.Hilarius. Domini virtutem turbæ timẽt,magni enim timoris eſt res,non dimiſſis à Chriſto peccatis in mortem reſolui. Etenim paralytico à Chriſto Domino remiſſionem peccatorum obtinente,meritò cæteri timebant,

bant, quòd adhuc vinculis ſuorum peccatorum manerent obſtricti. Timeat igitur Phariſæus, qui Chriſtum inuitauerat, quod peccatis Magdalenæ dimiſſis, ipſe remaneat in ſuis. Magni inſuper timoris res eſt, ſi tu maneas in peccatis, quando alij innumeri Sacramétorum beneficio, ſuorum peccatorum veniam conſequuntur.

Vade in pace. Collata gratia præcipue mulieribus dixit Chriſtus, *vade.* Sic Samaritanæ, *vade, voca virum tuum.* Mulieri quoque adulteræ apud Ioannem dixit, *nec ego te condemnabo, vade.* Similiter & huic Magdalenæ etiam poſt reſurrectionem dixit, *Noli me tangere*, &c. *vade ad fratres meos*, &c. Non timebat illarum conſortium, qui nullum poterat patrare peccatum; ſed hoc facto nobis præbuit exemplum, vt ſcilicet breuis ſit noſtra cum mulieribus ſermocinatio. Contulit Chriſtus huic peccatrici peccatorum abſolutionem, *Remittuntur tibi peccata tua*; & ſtatim adiungit, *vade.* Diſcant hîc Confeſſarij ante, & poſt abſolutionem, nullam cum mulieribus habere confabulationem. Vel fugiat à te mulier, vel fugias ab ea. Hoc docebat Apoſtolus, dum ſcribebat, *fugite fornicationem.* Sed vt fugiatur fornicatio, fugiatur & mulier. Beatus Ioſeph, ait Diuus Auguſtinus, vt impudicam dominam poſſet euadere, pallium quo apprehenſus fuerat, reliquit, & fugit. Non viciſſet, ſi non fugiſſet. Nam, ait idem Doctor, ſine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, citò labitur in ruinam. Suſpecta illa eſt, non tantùm quæ impudica, ſed & quæ te ſuſpectum reddit, vel propter quam tu malè audis.

Ioan. 8.
Ioan. 20.
1. Cor. 6.
Serm 150. de temp.

Cætera vitia ſuperantur vi & reſiſtentia, at libido non niſi fuga. Cum Paulus, pergit idem D. Auguſtinus, omnibus vitiis prædicauerit eſſe reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, reſiſtite, ſed, *fugite fornicationem*; ac ſic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præſenti reſiſtere, libidinem verò fugiendo ſuperare. Dicat vnuſquiſque mulieri ad illum aduenienti; *vade*, quòd ſi non vadat ipſa, vadat ipſe & fugiat. Eſt mulier veluti bombarda, *vne piece d'artillerie*, cui non poteſt miles reſiſtere, niſi fugiendo. Audi eumdem Doctorem. Apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam; nec tibi ſit verecundum fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.

Ibidem.

Ibidem.

Lib. 1. de adorat. in ſpiritu.

Geneſ. 2.

Ponderat Diuus Cyrillus Alexandrinus materiam, ex qua prima formata eſt mulier, ſcilicet ex coſta viri: Deus enim *tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Coſtæ ſunt veluti murus viſcerum, ſed præcipuè cordis, & dicuntur coſtæ à cuſtodiendo, quia cor cuſtodiunt & protegunt: nam circa cor eſt tantùm membrana quædam valdè tenuis, quæ à Medicis vocatur *pericardion*, vulgò autem *capſula cordis*, circumquaque amplectens cor, tantùm ab eo diſſita, tantúmque ſpatij vacui omni ex parte relinquens, quantùm ad cordis diaſtolen maximè eſt neceſſarium. Hæc autem capſula, ſiue pericardion, cùm non ſit ſufficiens ad protegendum cor, prouiſum eſt ab auctore naturæ Deo, de coſtis, tanquam de fortiſſimo propugnaculo.

Quando itaque dicitur mulierem eſſe formatam ex vna coſta viri, declaratur, aliquid fuiſſe demptum

demptum de illo muro & propugnaculo, ac proinde facillimum parere mulieri aditum ad cor viri, nihílque eſſe circa cor, quod poſſit mulieribus blanditiis reſiſtere, atque ita fugam eſſe maxime neceſſariam. Nemo, inquit D. Auguſtinus, ſe falſa ſecuritate decipiat; nemo de ſuis viribus periculosè præſumat, ſed audiat Apoſtolum dicentem; *fugite fornicationem.* In hoc enim certamine fugere, vincere eſt. Qui autem non poteſt fugere, ſaltem dicat cum Chriſto, *Vade in pace.* Et vos auditores, *Ite in pace.* Serm. 150. de temp.

FERIA SEXTA
POST DOMINICAM Paſſionis.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium aduerſùs Ieſum, &c. Ioan. 11.

Iacob iam morti vicinus vocauit filios ſuos, vt eis ventura prænunciaret, *& ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis.* Per nouiſſimos dies voluit aliquis intelligi poſteriora tempora, quæ ſcilicet conſecuta ſunt id temporis quo Iacob hoc vaticinium edidit: veruntamen Rabbi Kimhi In cap. 2. Iſai.

affirmat, quoties in Scriptura nominantur nouiſſimi dies; vel dicitur, *in fine*, aut *in termino dierum*, ſignificari tempus Meſſiæ. Idémque docet eo loco D. Hieronymus, Lyranus & alij non pauci, nec minuti auctores. Tempus autem Meſſiæ ac legis Euangelicæ propterea nouiſſimum appellatur, quòd fuerit finis & terminus ſtatus Iudaici, quantum ad legem, ſacerdotium & regnum, & finis prophetiarum, ac figurarum veteris Teſtamenti: & quia poſt legem Euangelicam, non eſt expectanda alia lex, aliud ſacerdotium, nec alia Sacramenta.

Prædicens igitur Iacob, quæ filiis ventura erant, de Simeone & Leui ſic ait: *Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea*, &c. D. Auguſt. dum attentè hanc conſiderat prophetiam, ſic ſcribit. In præclara illa prophetia, cùm Patriarcha Iacob benediceret filiis ſuis, præſentes tangens, futura proſpiciens, &c. Itaque ſecundùm myſticam & allegoricam huius loci interpretationem, Iacob non tam attendebat ad Simeonem & ad Leui, qui proditoriè machinati ſunt cladem Sichimorum, quàm ad nonnullos ex eorum poſteris & deſcendentibus, & præcipuè de Scribis & Phariſæis, qui ſecundùm Hebræos à Simeone prognati ſunt, & Pontifices & Sacerdotes ex tribu Leui deſcenderunt. Cùm igitur Iacob ſpiritu prophetico vidiſſet execrandum conſilium, in quo Pontifices & Phariſæi de necando Meſſia deliberaturi erant, atque ita ſcelus parentum ſuorum Simeonis & Leui imitaturi, ita execrabatur, vt diceret, *In conſilium eorum non veniat anima mea.*

Serm. 14. de Sanctis.

mea. De hoc conſilio, déque illis impiis conſiliariis loquitur nunc Euangeliſta, dum ait.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium aduerſus Ieſum. Iſtud conſilium non collegerunt ſimplices & plebeij, ſed Pontifices & Phariſæi; illi enim Chriſtum ſequebantur, iſti verò perſequebantur. Obſeruandum eſt, quòd ex Iudæis turbæ & plebeculi, potiùs quàm primarij, & viri nobiles ad Chriſtum trahebantur: vnde aliqui ex illis aliquando dicebant, *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Ioan. 7. Et quidem, vt ille cæcus homuncio aiebat, *In hoc mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit oculos meos.* Quaſi dicat: Hoc valdè mirandum, quòd relictis vobis principibus me, & ignobilem turbam, miſellos quoſque homunciones miris cumulet beneficiis, nóſque ad ſe Dominus trahat.

Ex Gentilibus autem centuriones, duces, proconſules, principes, reges ad Chriſtum libenter conuertebantur. Huius rei rationem aſſignare videtur Tertullianus, dum de Magis Chriſtum Lib. de Idololat. natum adorantibus ſic ſcribit. Primi ſtellarum Interpretes natum Chriſtum primi munerauerunt. Hoc nomine Chriſtum, opinor, ſibi obligauerunt. Quaſi dicat: Quia iſti reges primi venerunt Dominum adorare cum muneribus; & ex Iudæis ignobiles paſtores aſtiterunt incunabulis Chriſti; inde Deus manſit procliuis in nobiliſſimos Gentilium, & Iudæorum vulgus. Verùm potiſſima ratio derelictionis Phariſæorum, & aliorum principum Iudæorum, fuit praua eorum voluntas, qua Chriſtum

perſequebantur, non obſtantibus ſignis & miraculis, quæ inter illos & circa eos operabatur. Nunc enim dicebant.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Nam quia hic homo multa ſigna faciebat, eiſque maximè vtilia, non debebant mortem eius machinari. O miſeri, cùm ſigna videatis, cur in illum credere non deliberatis? Nam facit
Ioan. 2. *ſigna quæ nemo alius fecit*, & ea facit, quæ a Prophetis prædicta erant à Meſſia facienda, vnde
Ioan. 7. & ſæpe vos ipſi dixiſtis, *Nunquid Chriſtus quando veniet, poterit maiora facere, quam hic facit?* Cùm itaque per vos hic homo multa ſigna faciat, quæ nemo alius, & quæ tantùm à Meſſia facienda erant, ſequitur illum eſſe bonum, ſanctum, & miſſum à Deo. Cùm ſit bonus, ergo non occidendus, ſed diligendus: cùm ſit iuſtus, audiendus: cùm ſit Meſſias, ergo admittendus, & honore, non morte afficiendus. Miſeri, ex his quæ vos cogere debuerunt ad illum recipiendum, collegiſtis conſilium ad illum occidendum.

Iſti peſſimi ſimiles erant vxori Putipharis, quæ cùm Ioſephum deperiret, poſtea quæſiuit vt periret, & quo illum honorare & ſaluare tenebatur, perdere nitebatur. Nam ſæpe ſolicitabat illa caſtiſſimum adoleſcentem ad ſtuprum, & ipſe recuſabat. *Per ſingulos dies mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.* Tandem intrante quadam die Ioſeph in domum, *illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius, dixit; dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit; cúmque vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, vocauit ad ſe*

homines

homines domus ſuæ, &c. *Poſtea retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum.* Vide hanc impudicam mulierem ſeruaſſe pallium, vt ſuam libidinem tegeret; & vt eo oſtenſo innocentem Ioſeph apud virum ſuum accuſaret, eique ſuaderet vt eum domo eiiceret, & in carcerem coniiceret. Ad illam ſic Chryſoſtomus. Habes apud te teſtimonium pudici victoris. Habebat, inquam, præ manibus quo eius libido conuincebatur, & pudicitia Ioſephi manifeſtabatur. Nam, vt ſapienter adnotat Philo, ſi Ioſeph vim dominæ voluiſſet inferre, vt ipſa aſſerebat, facile veſtem ſuam, vtpote fœmina robuſtior, ſeruaſſet, imò è manibus fœminæ extorſiſſet. Erat igitur pallium indicium violentiæ à muliere profectæ, & innocentiæ Ioſephi. Dico itaque: ſicut hæc mulier hanc veſtem oſtentabat, ex qua colligi volebat Ioſephi exterminium, vnde potiùs colligendum erat patrocinium, cùm inde maxima eius argueretur integritas; ita planè iſti Phariſæi & Sacerdotes inde colligebant Chriſtum eſſe occidendum, vnde colligere debuiſſent eſſe recipiendum & honorandum: dicebant enim; *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Serm. de Ioſeph.

Quid facimus, &c. Exiſtimant peſſimi homines ſe nihil operari, ac terere tempus, ſi aliquod malum non operantur. Conſueuerant iſti Iudæi Chriſtum inſectari, eique maledicere, ac contradicere; & quia forte ab his aliquandiu abſtinuerant, ideo, quaſi ſe mutuò inuitantes, vt iterum ad huiuſmodi inſectationes ac contradictiones reuertantur, dicunt, *Quid facimus?*

Qui

Qui ludo deditus eſt, & per aliquos dies non luſerit, occurrenti ei alicui ex ſociis dicet, *Quid facimus?* Quaſi dicat, nihil facimus: nihil ſe facere putat, ſi non ludat. Similiter dicitur de aliis qui alicui vitio ſunt dediti, qui niſi illud committant, nihil ſe agere putant; in hoc ſunt dæmoni ſimiles. Apud Marcum legimus, immundum quemdam ſpiritum hominem vexantem dixiſſe Christo, *Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei ſummi? adiuro te per Deum ne me torqueas.* Illum Dominus non torquebat; non enim pœnis eius alias adiungebat, ſed ideo dicebat ſe torqueri, quia ab eo non erat amplius ille homo torquendus; torqueri inquam ſe dicit, quando aliquem non poteſt torquere: vnde de dæmone ſic Chryſologus. Ille malis noſtris gaudet, ſurgit ruinis noſtris, noſtris vulneribus conualeſcit, noſtrum ſanguinem ſitit. Sic iſti impij, ſanguinem Chriſti ſitientes, aiunt.

Marc. 5.

Serm. 76.

Quid facimus? Dicite: neſcimus; vnde de vobis Chriſtus, *Neſciunt quid faciunt.* Fratres Ioſeph quid olim facerent neſciebant, quando illum occidere cogitabant: tamen illum occidere meditabantur, quia cum procul ad ipſos accedentem intuebantur. Audi Scripturam: *Qui cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt eum occidere.* Quaſi dicat Scriptura: Si apud ipſos eum habuiſſent, occidere non ſtatuiſſent, & ſanè cùm acceſſiſſet, non occiderunt, ſed vendiderunt. Pulchrè de illis ſic Ambroſius. Ideo inſæuiebant, quia non appropinquauerat eis Chriſtus. Nam ſi appropinquaſſet hic typus Chriſti, fratrem vtique dilexiſſent.

Geneſ. 37.

Lib. de Ioſeph. c. 3.

lexiſſent. Sæuiunt peſſimi Iudæi in Chriſtum, non procul diſtantem, ſed apud eos verſantem. Fratres illi licet cogitaſſent occidere typum, tamen non occiderunt, dum illum habuerunt; & iſti audent, non tantùm cogitant occidere prototypum, ſed & tandem occiderunt. Exclamet conquerendo, & conqueratur exclamando Auguſtinus. O munde immunde, venit qui te redemit, & turbaris: & tunc vis eum perdere, quando ille diſpoſuit te liberare? Lib 2. de ſũmo bono.

Illum cogitabant Iudæi interimere, qui venerat eos & omnes redimere. Neſciebant quid faciebant, ideo meritò dicebant, *Quid facimus?* Illos ſic alloquitur D. Leo. Iniiſtis inſanum, cruentúmque conſilium tauri pingues, vituli multi, frementes beſtiæ, canes rabidi, vt morti auctorem vitæ, & Dominum gloriæ traderetis. Meritò his beſtiis, & præcipuè tauris comparantur, dum Chriſtum occidere meditabantur. Sic vocantur à Pſalmiſta, *Tauri pingues obſederunt me.* Taurus dum cornu ferit, oculos claudere dicitur. Iſti etiam inſurgentes in Chriſtum, neſciunt quid faciunt, qui oculos rationis claudunt. Serm. 5. de Paſſ. Pſal. 21.

Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Timent iacturam bonorum temporalium, & vt pœnam euadant, culpam patrare eligunt, atque ita in vtrumque inciderunt. Teſtis eſt Auguſtinus. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, & ſic vtrumque amiſerunt. Debiles ſunt homines ad ferenda mala pœnæ, In hunc loc. eius.

fortes

fortes ad ſubeunda mala culpæ: non curant euitare culpam, ſed pœnam. Hoc attenditur in primo parente, qui poſt commiſſam culpam, & dum quæreretur, ipſe querebatur, dum ita loquebatur, *Timui, eo quod nudus eſſem.* Non dixit; Timui, eo quòd peccaui: magis verecundabatur nuditate corporis, quàm nuditate mentis. Hoc obſeruauit Rupertus. Notandum quod Adam culpam ſuam tacuit, & nudum ſe eſſe queſtus eſt. Non enim dixit: Timui, eo quòd præceptum tuum præuaricatus eſſem, ſed eo quòd nudus eſſem.

Geneſ. 3. Lib 3. in Gen.

Idem contigit Caino, qui quòd fratrem ſuum occiderit, nunquam doluit, ſed quòd ob id pœna illi erat ſubeunda. Magis dolebat quòd a facie terræ eiiceretur, quàm quòd facie Dei priuaretur, anteponendo faciem terræ faciei Dei, *Ecce eycis me a facie terræ, & a facie tua abſcondar.* In quem locum ſic idem Rupertus. Non enim Cain ſibi Deum iratum putat, timet ne agricolari ſibi non liceat. Non curabat quòd occidiſſet, in quo quidem erat culpa, & timebat ne occideretur, in quo erat pœna. Nam pertimeſcendo aiebat, *omnis qui inuenerit me, occidet me.*

Ibidem.

Cùm Chriſtus Apoſtolis dixiſſet, *vnus veſtrûm me traditurus eſt*, cœperunt omnes timere & contriſtari, ita vt vnuſquiſque diceret, *Nunquid ego ſum Domine?* Iudas autem qui ſolus hanc machinatus fuerat impietatem, ſolus manebat impauidus; & quaſi de his quæ dicebantur non curando, comedebat, & manum ſuam in parapſide intingebat, ceſſantibus cæteris manducare, vt vnuſquiſque poſſet Magiſtrū interrogare, *Nunquid*

quid ego ſum Domine? Ita certe peccatores dum arguuntur, vel dum cæteri timent, & ſtudent ne in aliquod peccatum incidant, ipſi tamen comedunt, bibunt, laſciuiunt, nihil niſi de rebus temporalibus curant. Chriſtus autem videns Iudam ſimulare, ſurdúmque ſe eius dictis præbere, addidit, *Veruntamen væ illi, per quem filius hominis traderur; bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Tunc Iudas audiens Chriſtum loquentem de malo pœnæ ait, *Nunquid ego ſum Rabbi?* Tacebat dum ageretur de malo culpæ; en etenim maxima culpa, *vnus veſtrûm me traditurus eſt:* at dum fit ſermo de malo pœnæ, ſubitò loquitur, tanquam magis pertimeſcens maledictionem, quam id propter quod maledicebatur. Sic & omnes impij quòd peccent non curant, ſed quòd puniantur. De illo impio Iuda ſic Chryſoſtomus. O obturata frons! talia de ſe audit, & recumbit: videt publicari ſuam ſententiam, & adhuc manum porrigit ad buccellam. Homil. 1. de Iuda proditore.

Iudæi itaque pro nihilo ducebant Chriſtum interficere, ſed valdè timebant a Romanis interfici. Fortes ſe præbent peccatores ad ferendum pondus culpæ, imbecilles verò ad pondus pœnæ. Feret interdum aliquis pondus ſuorum peccatorum anno integro; & vix poteſt tolerare æſtum febris per vnum diem. Quanti autem ſit ponderis peccatum, oſtendit Petrus dum de Chriſto ſic ait, *Peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuper lignum.* 1. Petr. 5. Vbi notandum eſt illud *ſuper*) idem ſignificare quod (*magis:*) quaſi dicat Apoſtolus; graue erat lignum, maximi erat ponderis Crux, quam ſibi baiulauit, ſed magis peccata noſtra, quæ ipſe tulit

tulit in corpore. Seſe offerunt iſti Iudæi ad portandum pondus culpæ, dum clamant, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Fortes ſunt noſtri humeri, & filiorum noſtrorum ad portandam culpam, quam committimus effundendo hunc ſanguinem, at non ſuppetunt nobis vires ad portandum, vel ad ſuſtinendum Romanorum exercitum: nam *venient Romani*, &c.

Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Auari auaros timebant. Quòd autem fuerint auari Romani, indicat illud nomen Roma; ſi enim per ſingulas litteras explicetur, idem eſt quod, *radix omnium malorum auaritia.* Nam ſumpta initiali littera cuiuſque dictionis, formatur nomen Roma, quod quaſi propheticè huic Vrbi inditum eſt ob nimiam auaritiam, cui dum erat Gentilis ſtudebat: & vtinam modò Chriſtiana non ſtuderet. Verùm radix illa omnium malorum auaritia non tantùm Romæ, ſed & ferè vbique ſerpere cernitur.

Vnus autem ex ipſis Caïphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius dixit eis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis. Imò quoque Caïphas neſcit, nec cogitat, aut ſaltem non capit quod dicit. Scit quid dicat impiè, neſcit quid dicat ſanctè: factus eſt

1. Cor. 13. veluti *æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Cymbalum quid ſonet, ignorat, norunt verò illi quos appellat. Sic Caïphas quid ſonaret ignorabat; nouimus nos quibus vaticinium Spiritus San-

Rupert. ctus aperuit. Audi Rupertum. Cùm eſſet Caïphas cymbalum magnum, id eſt, Pontifex, clarè tinniuit; quia videlicet virtutem loquelæ ſuæ non magis aduertit, quàm tinnitum ſuum cymbalum

cymbalum ſentit. Illum igitur audiamus tinnientem.

Expedit vt vnus moriatur homo pro populo Si hæc verba rite expendantur, clare videbimus, Caipham non a ſemetipſo hoc dixiſſe, ſed aliunde, nempe à diuino conſilio emanaſſe. Dixit ergo, *Expedit*, non dixit, *Neceſſe eſt* non enim deerant præpotenti Deo alia media, quibus poterat genus humanum redimere, ſed mors filij eius fuit magis conueniens; vnde Auguſt. Sanandæ noſtræ miſeriæ conuenientior alius modus non fuit, quàm ſcilicet mors Chriſti. Vnde & ait. Auguſt.

Vt vnus moriatur homo. Non dixit, *vt vnus homo moriatur*, ſed, *vt vnus moriatur homo.* Conuenienter enim ponitur illud *moriatur* inter illa duo, *vnus & homo :* vnus enim non ſupponit pro homine, ſed pro Deo, qui vnus eſt, iuxta illud, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Deut. 6. Et Apoſtolus, *vnus*, ait, *mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.* 1. ad Tim. 2. Sumitur itaque *vnus* pro Deo; ac ſi diceretur; *Expedit vt vnus Deus moriatur* Sed quia Deus non poteſt mori, *moriatur homo*, id eſt, fiat homo, & ſecundùm humanitatem moriatur. Videamus igitur quid expediat? Vnus ſcilicet Deus, & homo, ſunt duo extrema; ad hoc igitur vt homo Deo Patri reconcilietur, & homo redimatur, ponatur vnum medium inter illa extrema, ſcilicet *moriatur*, & dicatur, *Expedit vt vnus moriatur homo.* Expedit, inquam, vt Deus fiat homo, & moriatur pro hominibus, ne omnes pereant.

Dixit, *moriatur*, non *occidatur*, vt oſtende-

retur, quòd ſi Iudæi, aut alij Chriſtum non interfeciſſent, morte naturali obiiſſet, atque hac morte nos redemiſſet. Hanc mortem Pater acceptaſſet ad noſtram redemptionem, ad quam ordinabatur illa mors, ideo dicitur, *moriatur.* Dices: Si nullus Chriſtum crucifixiſſet & occidiſſet, quando fuiſſet ipſe mortuus? Aliqui opinantur quòd in ſenili ætate obiiſſet: alij verò in virili, & quòd eodem tempore & momento fuiſſet naturaliter mortuus, quo fuit crudeliter crucifixus; quod ego ita crediderim, ſaluo meliori iudicio. Nam Chriſtus non quia, & quando Iudæi voluerunt, mortuus eſt; ſed quia, & quando ipſe voluit. Quando, inquit Ambroſius, Chriſtus vult capitur, quando vult elabitur, quando vult ſuſpenditur, quando vult non tenetur. Sicut enim mors eius præuiſa & ordinata fuerat, ita & tempus quo mori debebat ordinatum erat. Cùm itaque ſecundùm communem omnium Doctorum, & totius Eccleſiæ opinionem, circa annum ſuæ ætatis trigeſimum quartum fuerit Cruci affixus, & in ea mortuus, ſequitur quòd ſi illum tunc nullus crucifixiſſet, in illa eadem hora qua expirauit crucifixus, expiraſſet morte naturali.

Ambroſ.

Quæres præterea: Cur non dicitur, *occidatur*, aut *crucifigatur*, cùm eius crucifixio fuerit ab intellectu diuino præuiſa, & à Prophetis prænunciata? Reſpondeo: fuit quidem Chriſti crucifixio præuiſa, & ſicut præuiſa, ita à Prophetis prædicta; ſed non erat ordinata & determinata, ita vt niſi Chriſtum Iudæi crucifixiſſent, non redimeretur genus humanum; cùm potuerit nos

nos Chriſtus ſola ſua morte naturali redimere, vt diximus.

Vnde notandum eſt, quòd in morte Chriſti duo conſiderantur, ſcilicet, actio & paſſio; actio eſt Iudæorum, paſſio eſt Chriſti. In actione, id eſt, in occiſione & crucifixione peccauerunt Iudæi, quod quidem peccatum, licèt fuerit præſcitum & permiſſum, non tamen fuit definitum & determinatum. Nam illud tantùm fuit determinatum, quo genus humanũ fuit redemptum: non eſt autem redemptum peſſima Iudæorum actione, ſed amariſſima Chriſti paſſione. Ergo fuerat tantùm Chriſti mors & paſſio definita & determinata: actio autem Iudæorum tantùm præuiſa & præſcita. Vnde D. Leo. Non inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno extitit ſpiritu, atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit. Serm. 16 de Paſſ.

Et hoc pacto intelligitur, quod Domino de Iudæis à D. Petro dicitur, *Conuenerunt facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Vide quòd *facere* eſt actiuum; & *fieri* paſſiuum: *facere* eſt Iudæorum; *fieri* autem diuini conſilij. Quid decreuit diuinum conſilium? Chriſtum mori; ideo dicitur, *moriatur.* Iudæi autem decreuerunt Chriſtum interficere, ideo *conuenerunt*, &c. & *collegerunt conſilium.* Hoc Deus non decreuerat facere; ſed decreuit quod factum eſt, nempe Chriſti mortem, & paſſionem: propterea ab eodem Apoſtolo de Chriſto dictum fuerat Iudæis; *Hunc, definito conſilio & præſcientia Dei, traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis.* Act. 4. Act. 2.

Non quòd in Deo ſit conſiliu,quatenus includit 1.2. q. 14. art.1. ad 2. deliberationem,vt docet D.Thomas,ſed vt ſonat decretum certum & ſtabile,quale illud eſſe ſolet, quod præcedit longa, atque attenta deliberatio.

Decreuit quidem Deus per vnigeniti filij ſui paſſionem mundum redimere,Iudæorum autem impiam ingratitudinem non decreuit : quam etiam plurimis verbis prædixit, & acerrimè reprehendit; vnde eloquentiſſimus Leo loco ci- Ibidem. tato. Nunquid iniquitas perſequentium Chriſti ex Dei orta eſt conſilio, & illud facinus quod omni maius eſt crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc plane de ſumma Iuſtitia ſentiendum eſt; quia multùm diuerſum, multúmque contrarium eſt id quod in malignitate Iudæorum eſt pręcognitum,& quod in Chriſti paſſione eſt diſpoſitum. Traditus & crucifixus eſt Chriſtus ex definito Dei conſilio, quoad paſſionem ſalutarem ex parte Chriſti; & ex certa Dei præſcientia,quoad actionem impiam ex parte Iudæ & Iudæorum : illorum tamen ingratitudine & impietate vſus eſt Deus ad optimum & excellentiſſimum finem, nempe ad redimendum genus humanum. Hoc aduer- Auguſt. tens Auguſt. ſic ſcribit. Deus vtitur cordibus malorum ad laudem atque adiumentum bonorum: ſic vſus eſt Iuda tradente Chriſtum, ſic vſus eſt Iudæis crucifigentibus Chriſtum.

Itaque non miſit Deus filium ſuum in mundum,vt eum occiderent Iudæi, quia hoc malum erat;ſed vt pateretur mortem, quam Iudæi, Deo permittente, erant illaturi, quia Caïphas, qui Dei ſententiam neſciens expreſſit, non eſt vſus

verbo

verbo actiuo, ſed paſſiuo; non enim dixit, *Expedit vt vnum occidamus hominem*: ſed, *Expedit vt vnus moriatur homo.* Certum eſt enim Deum non intendiſſe, vt Iudæi Chriſtum occiderent, quia id erat omnibus modis malum: voluiſſe tamen, vt Chriſtus mortem ab illis iniuſte illatam ſuſtineret patienter. Similiter, nolebat Deus, vt Tyranni Martyres torquerent; volebat tamen, & intendebat, vt Martyres pœnas ab illis illatas patienter ferrēt, quia ſicut actio erat mala, & iniuſta Deo, ita paſſio erat bona, & Deo gratiſſima.

Dices: Si huiuſmodi crucifixio, in quantum eſt paſſio, fuit à Deo determinata & decreta, quomodo poterat executioni mandari niſi ab aliquibus? Ergo videntur Iudæi non peccaſſe, quando Chriſtum crucifixerunt, quia ſic decretum diuinum adimpleuerunt. Reſpondeo, Iudæos in hac actione nunquam intendiſſe Dei adimplere decretum, ſed ſuum in Chriſtum explere odium; volebant illum de medio tollere, ac eius, ſi potuiſſent, memoriam delere; ideo clamabant, *Tolle, tolle*, &c.

Peccauerunt igitur Iudæi, tum quia odio Chriſtum crucifixerunt; tum quia abſque expreſſo Dei mandato illud attentarunt. Licet enim eis & omnibus exploratum ac notum fuiſſet, ita Chriſti crucifixionem eſſe à Deo determinatam, vt ſine illa non redimeretur genus humanum; nulli tamen hominum licitum erat Chriſtum crucifigere, niſi expreſsè id ei præciperetur à Domino. Peccaſſet Abraham, ſi abſque Dei iuſſu proprium filium immolare attentaſſet: ſed non peccauit, quando ad illum immolandum ſe præ-

parauit, vt mandato Dei obtemperaret. Sic non peccaſſent Iudæi, ſi, omni depoſito odio, Deo paruiſſent filij crucifixionem imperanti, ſed peccarunt, quia diuinum mandatum non expectarunt. Nullo igitur accedente Dei mandato, nullus debuit Chriſtum interficere.

Iudæi impiè egerunt, qui Chriſtum abſque aliquo diuino mandato ſemel crucifixerunt: quomodo tu non impiè ages, qui ſæpe peccatis tuis illum crucifigis? Audi Paulum de peccatoribus loquentem, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.* Homo enim dum peccat, facit rurſum id propter quod Chriſtus crucifixus eſt: vel, quoties peccat, toties dat cauſam Crucis, & mortis Chriſti. Quare, niſi Chriſti mors tam efficax fuiſſet, vt ad omnia omnino peccata poſt quantauis ſæcula futura & iteranda ſe extendiſſet, oporteret Chriſtum toties mori & crucifigi, quoties peccant homines, ſicut Aaronica ſacrificia & victimæ toties mactari, & offerri debebant, quoties Iudæi peccabant. Cùm ergo peccas, quantum in te eſt, das occaſionem, vt iterum Chriſtus crucifigatur. Iuſtè Dominum de te conque-
D. Bern. rentem inducit D. Bernardus. Nónne ſatis pro iniquitate tua afflictus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Mori potiùs in poſterum, quàm Deum offendere eligamus, cùm iam ſemel pro nobis tam acerba pertuliſſe
In quadam epiſt. ſciamus. Nam teſte Greg. Tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus eſt, quantò pro hominibus indigna ſuſcepit. Illum inquam diligamus, vt tandem illo perfruamur. Amen.

DOMI-

DOMINICA IN
Ramis Palmarum.

Cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Olineti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos ſuos. Matth.21.

HODIE vidimus proceſſionem, audiamus paſſionem: vidimus plauſum, audiamus luctum: plauſum in populo, luctum in Chriſto; plaudit populus, quia ad illum venit Chriſtus; luget Chriſtus, quia ei contrarius futurus eſt populus. Eccleſia, inquit Bernardus, proceſſionem noua quadam & mira coniunctione addidit paſſioni, nam proceſſio plauſum habet, paſſio luctum. Ideo fit hodie mentio luctus, & paſſionis Chriſti, quia iam lata erat in eum ſententia mortis. Iam enim dictum erat à Caïpha, *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo*, &c. Quod & receptum, & à toto Iudæorum conſilio approbatum, & executioni mandandum erat. Iam publicè cautum erat, nè quis eum admitteret, & reciperet, opémque præberet; iam Serm.1. in Ram.Palm.

ingreſſus templi & Ciuitatis ei prohibebatur, iam veluti reus ab omnibus habebatur: ſed his non obſtantibus, imò omnibus acclamantibus, & cum ramis ei obuiam procedentibus venit in Ciuitatem, ingreditur templum, non ſatellitum, ſed diſcipulorum tantùm ſtipatus caterua, & aſello vectus, & tamen à nemine capiebatur; quia non quando, & quia illi voluerunt, ſed quando, & quia ipſe voluit, moriebatur. Inſtante igitur eius morte, Hieroſolymam ingreſſurus, venit Bethphage: ſic enim narrat Euangeliſta.

Matth. 21. *Cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montē Olineti, tūc Ieſus miſit duos diſcipulos*, &c. Cùm autē ad illū montem Olineti perueniſſet, ibi cū lacrymas emiſiſſet; narrat Lucas, Luc. 19. quod *videns Ciuitatem fleuit ſuper illam* D. Chryſ. Dominum plorantem, atque eius candidum vultum lacrymis madidum meditatur, cúmque ſic Hom. de Lazar. to. 3. mirabundus alloquitur. Qualis illic eras Domine Ieſu, quàm croceus, quàm decorus, fonte purior, niue candidior, Luna clarior, Sole candentior? Et ecce inter hæc Chriſte Ieſu, Domine Deus fleuiſſe narraris? Quid lacrymæ iſtæ portendunt? Expende hæc vltima verba (*Quid lacrymæ iſtæ portendunt?*) Reuera Chriſti lacrymæ magnum aliquid portendebant. Quando Chriſtus lacrymatus eſt in morte Lazari, tunc flebat cum flentibus: nunc autem plorat cum gaudentibus; aliquid igitur iſte fletus portendebat.

Primò, portendebant iſtæ lacrymæ, deflendam eſſe futuram huius Ciuitatis cladem, quam Chriſtus præuidens fleuit; vt doceret nos præſentes calamitates flere, cùm ipſe futuras defleat.

Vnde

Vnde Bernardus. Saluator vidẽs Ciuitatem Hieruſalem,& præuidens ruituram,fleuit ſuper eam: & ego propriam, & quæ in præſenti eſt, deſolationem non ſentiam?Ille fleuit compatiendo, & ego non flebo patiendo?Flendo itaque Dominus optabat iſtos flere. Nam ſecundùm Chryſologum, Deus eſurit gemitus delinquentium, ſitit lacrymas peccatorum. Eſurit autem gemitus, non ſibi,ſed nobis;optat noſtras lacrymas, vt eas remuneret.Quando audio Chriſtum fleuiſſe, recordor eorum quæ apud Ieremiam dixerat,*Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*Nota(*Diuiſiones aquarũ.*) Sicut enim ab olitore diuiduntur aquæ ad irrigandum olerum areolas;ita Chriſtus aquam ſuarum lacrymarum diuidebat,eamque deducebat ad vnumquemque peccatorem,quando pro vnoquoque flebat.Lacrymatur etiam,vt oſtendat nihil in hoc mundo eſſe, quod nos ad fletum & mœſtitiam non moueat; potiſſimùm ſi hæc temporalia ſpectentur. Hoc agnoſcebat,qui dicebat: *Dies mei ſicut fumus tranſierunt.* Quæ verba attendens Chryſoſtomus ſic ſcribit. Nónne vides etiam corporis oculos, cùm in fumo remorantur lacrymas ſemper effundere?Sic mentis oculus, ſi in fumum ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera mala lacrymabitur.

Serm. 26. in Cant.

Serm 93. n. 1.

Pſal. 101.

Hom 2 in Matth.

Aſſignans Sapiens vnicuique rei ſuum tempus,ait;*Omnia tempus habent,tempus flendi, & tempus ridendi.* Tempus flendi præponitur tempori ridendi, non tantùm quia homo priùs incipit naſcendo flere, quàm ridere;ſed etiam quia tota vita præſens eſt tempus flendi. Vnde Chriſtus,

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: id eſt, Beati qui tempore flendi, flent, quia ridebunt tempore ridendi. Cur autem non debemus hîc ridere, ſed flere, indicat Bernardus, cùm de ſeipſo ſic loquitur. Firmum eſt mihi propoſitum nunquam ridendi, quouſque audiam ex ore Dei illa verba, *Venite benedicti*: neque à fletu deſiſtam, donec liber ſim ab illa ſententia, *Ite maledicti in ignem æternum.* Luctus enim arcet peccata. Verè cecinit Ouidius:

Bernard.

----Veneris damnoſa voluptas
Non ſolet in mæſtos ſæpe venire thoros.
Pectora dum gaudent, nec ſunt arctata dolore,
Ipſa patent; blanda tunc ſubit arte Venus.

Præterea iſtæ Chriſti lacrymæ portendebant venturos Romanos, vel exercitum Romanorum. Vnde obſeruat Baronius, quòd vbi Chriſtus cœpit lacrymas fundere, fuit locus caſtrametationis Romanorum; ibi enim Romani caſtrametati ſunt, dum Hieroſolymam obſederunt. Habent Chriſti lacrymæ vim attrahendi. Plorauit Chriſtus in ſua natiuitate, iuxta illud, *Primam vocem emiſi plorans*, & ſuis lacrymis traxit ad ſe paſtores ac Magos. Plorauit dum Lazarum reſuſcitauit, *& lacrymatus eſt*, & his lacrymis non tantùm Lazarum, ſed & multos Iudæos attraxit; *Multi enim ex Iudæis crediderunt in eum.* Plorauit in Cruce, nam *cum clamore valido & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia*, & ſuis lacrymis traxit omnia ad ſe; *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum.* Nunc plorat, & his lacrymis volebat ad ſe trahere ciues Hieruſalem: ſed noluerunt trahi, id eſt, conuerti.

conuerti. Interim non fuerunt infructuoſæ iſtæ lacrymæ; ſed cùm ſint virtutis attractiuæ, traxerunt tandem Romanorum exercitum, qui ibi hanc Ciuitatem obſederunt, vbi oculi Domini lacrymas effuderunt. Aſſeruantur iſtæ lacrymæ, *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*, ſuámque ſemper habent vim attrahendi. Si eis ô peccator non traharis & conuertaris, trahent ſuper te grauiſſimam punitionem. Ideo fundit lacrymas, ne fundat pœnas. Lacrymatur, inquit Auguſtinus, propter obſtinatos. Pro omnibus effudit ſuum ſanguinem; ſed pro obſtinatis neceſſe erat vt lacrymas effunderet. Verùm lamentetur Bern. Videmus fletum multum, & fructum nullum. Plurimæ ſunt Chriſti lacrymæ, & paucæ ad eum conuertuntur animæ; & ad hoc veniebat, & intrabat Hieroſolymam, vt Hieroſolymitani venirent ad eum. Antequam autem veniret, duos præmiſit diſcipulos, ad ſoluenda duo animalia, & ſibi adducenda. Auguſt. Bernard.

Quia Dominus his opus habet. Oſtendit ſe Chriſtus Dominum omnium, quando venit vt moriatur pro omnibus, quia quando pro omnibus moriebatur, tunc poſtulare à Patre iubebatur. Audi: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Modò in breui moriturus incipit poſtulare, & poſtulat id quod nouit hanc ſuam hæreditatem ſignificare; pullus enim gentes præfigurabat. Dominus etiam poſtulauit, quando moriendo ſe humiliauit, & pro inimicis orauit. Dicat igitur Rupertus. Audito verbo, *Poſtula à me*, modum poſtulationis debemus noſſe. Quomodo niſi moriendo poſtulauit? Humilitas Pſal. 2. Rupert.

eius

eius paſſionis, poſtulatio fuit.

Nemo tanto Domino denegat, horum animalium dominus libenter dat illa. Ipſi etiam in Cruce exiſtenti nemo denegauit; petit pro crucifigentibus veniam a Patre, conceditur: petit potum, & *dederunt ei bibere.* Moribundo Domino nihil denegatur, & teipſum ei denegas, qui teipſum petit, quaſi teipſo indigeat? Petit à te cor, *Fili prabe mihi cor tuum*, non quòd corde indigeat, ſed vt præbenti tibi, cor mundum reddat. Petit linguam, aures, manus, pedes tuos, petit quæ poſſides; nam *Dominus his opus habet:* id eſt, ſi dederis, ſi ei offeras, illum tibi deuincies, ac ſi illis opus habuiſſet. Audi Hugonem. Tota vita iuſti eſt, accipe & redde. Redde ergo o homo, quod accepiſti, id eſt, accepiſti oculos, linguam, aures, manus, cor; illa Deo redde, à quo accepiſti: vel his vtere ad Dei gloriam, & ad ſalutẽ animæ tuæ & proximi: nam *Dominus his opus habet.*

Hugo de Sãcto Vict. l. de Arc. cap. 4.

Dominus his opus habet. Chriſtus Ieſus cùm ſit vniuerſorũ Dominus, & huius Domini ſit terra & plenitudo eius, his propriè non indigebat animalibus; ſed ideo dixit ſe indigere, vt illorum dominum poſſet tali beneficio ſibi deuincire. Nam interdum Dominus petit ab homine, non quòd petito indigeat, ſed vt dando, illum homo obligare valeat. Dicit ſe opus habere his, quæ videt nos poſſidere, vt dantibus nobis, ipſe det quod non habemus. Non indigebat olim Deus Iſaaco, quando præcepit Abrahamo, vt illum ſibi offerret in holocauſtum; ſed ideo voluit præcipere, vt poſſet Abrahamus accipere. Quid accepit? Benedictionem, *Benedicam*

Geneſ. 22.

dicam tibi; poſterorum multiplicationem, *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*; bonorum poſſeſſionem; *poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Quare: *Quia obediſti voci meæ.* Vide quid accipiatur, quando Deo obtemperatur.

Volo hoc obſerues: Chriſtus pridie quàm pateretur, corpus ſuum dedit diſcipulis; cur non longe antea, vel poſtquam paſſus eſt, ſed ſua imminente paſſione? Vt ab eis exciperetur, &, vt ita dicam, in eis protegeretur, & à quærentibus abſconderetur. Hoc tibi clariùs patebit hac ſimilitudine. Si quis videat miniſtros Iuſtitiæ inſequentes ſe, ſolet ianuam alicuius domus percutere, vt in ea poſſit ſe abſcondere, atque ita huiuſmodi miniſtros euadere; ſi ei aperiatur, & ibi recipiatur, maximè à recipienti obligatur, quia per eum occultatur. Ita Dominus Ieſus videns ſe mox capiendum à Iudæorum miniſtris, voluit corpus ſuum ſub ſpeciebus panis deliteſcere, vt illum valerent diſcipuli recipere, illúmque ab inimicis protegere. Non indigebat quidem tali receptione, qui vltrò ſeſe offerebat paſſioni: ſed ideo voluit, vt ipſum, tanquam quærentem ſe abſcondere, reciperemus, vt hoc pacto illum nobis deuinciremus. Hoc videtur innuere Rupertus, dum huius receptionis cauſam aſſignans ait; vt compatienti affectu corporis huius traditionem, & ſanguinis huius effuſionem reciperemus. Itaque eodem quo nos ſibi deuincit beneficio, deuincitur, quotieſcumque à nobis dignè recipitur. Præcepit igitur Dominus, vt ſoluerentur hæc animalia, ipſáque adducerentur, ac ſi illis opus

Lib. 3. de operibus Spiritus.

opus haberet; vt hoc pacto dimittentes, & adducentes, aliquod ab eo beneficium reciperent.

Non enim dubito illos fuiſſe remuneratos, cùm & ipſamet animalia quæ Ieſum portarunt, etiam mercedem reportarint. Audi D. Bernardum.

In Pſal 90. Aſello Chriſtum portare maximus honor eſt; at quam erit ſine metu luporum! quàm non timebit periculum, aut præcipitium ſub tanto rectore! Non debuit à lupo deuorari, ſed ab omni periculo liberari, à quo Chriſtus voluit portari. Et non tantùm aſellus ſuam recepit

Ioan. 12. mercedem, quòd Chriſtus *ſuper eum ſedit*; ſed & palmæ illæ, de quibus turbæ cædebant ramos, vt Domino ingrediente ſternerent in via, ſua non caruerunt mercede: nam eam obtinuerunt ab vniuerſis malis ſecuritatem, qua in medio Hieroſolymitano excidio, quando arſerunt campi, illæ incolumes perſeuerarunt. Quid de

Catechc. 10. vna illarum dicat D. Cyrillus, audiamus. Palma quæ eſt in valle teſtatur, quæ exhibuit ramos his qui tunc benedixerunt Chriſto. Quid teſtatur? Multa quidem, ſed præcipue, Deum adeò eſſe beneficiorum memorem, vt etiam ratione & ſenſu carentia ſuam receperint mercedem ob beneficia ipſi exhibita, quibus tamen non egebat. Inde colligitur quale præmium homo conſequatur, ſi Domino obſequatur.

Obſeruandum eſt, huiuſmodi pullum non vnum dominum, ſed plures habuiſſe, vt teſtatur

Luc. 19. Lucas, *dixerunt domini eius ad diſcipulos: quid ſoluitis pullum?* Quærunt quid ſoluatur, non queruntur ſi non paſcatur: omnes occupantur vt in biuio alligetur, & nullus vt in riuo adaquetur;

plures

plures habent eius dominium, ſed ipſe nullum habet præſepium. Hæc conſideratio eſt D. Athanaſij ſic ſcribentis. Qualis eſt hic pullus, qui non vnum dominum habet, ſed plures? Nónne ſi mente præditus eſſet, ſufficeret ei ſi vnus dominus aſſideret? Nunc autem complures ſunt eius domini, & nullus eorum negotia obit; nemo eorum abſcedit, imò nullum illis aliud opus in manibus, omnes pariter non in aliud occupati ſunt, quàm vt aſellum in biuio alligent. Aſinus interea præſepe non habet, diuerſorium non habet, non eſt qui in forum deſcendat, id tantummodo agitur, vt pullus vinciatur. In hunc locum.

Hic aſellus repræſentat peccatorem, qui tot ſubiicitur dominis, quot vitiis, quæ quidem vitia non te paſcunt, nec tui curam gerunt, ſed tantùm ligant, vt ligatum te ad infernum detrudant; ab illis quis non ſoluitur, niſi per eos quibus dicitur, *Soluite & adducite mihi*, &c. & illud, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, &c. Te ô peccator Dominus opus habet, aut ſaltem dicit ſe opus habere: ſed tu potiùs illo opus habes: fac ſoluaris, vt ſalueris; at non poteris ſolui à peccatis, niſi confitearis peccata.

Dominus his opus habet. Si Chriſtus omnium Dominus, qui bonorum noſtrorum non indiget, tamen vt vaticinium illud adimpleret, opus habuit his animalibus; quis reperitur in hoc mundo qui multis non indigeat? Oſtendit igitur Dominus his verbis, neminem eſſe qui aliquibus non indigeat. Perperam dicebat ille apud

Ioan

Apoc.3. Ioannem, *Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo.* Ideo dictum eſt ei, *Neſcis quia tu es miſer, & pauper, & cæcus, & nudus,* &c. Si miſer, miſericordia indigebat: ſi pauper, quo viueret opus habebat: ſi cæcus, ductore & baculo: ſi nudus, veſtimentis indigebat.

Et licèt quis multis abundaret diuitiis, ſanitate gauderet, pace, & tranquillitate frueretur, tamen adhuc aliquo indigeret. Fertur quemdam cordatum & prudentem virum, cùm pluribus in dies, maioribúſque à Rege ſuo beneficiis afficeretur, interrogatum, quid amplius optare poſſet, nihil, reſpondiſſe, niſi clauum vnum; ſignificare volentem, timere ſe volubilitatem illius rotæ, & mundanæ felicitatis; ne, qui in ſummo erat rotæ, mox ad infima præcipitaretur: quocirca optabat clauum, quo infixo totam eius volubilitatem ſiſteret. Verùm ita fortuna, ac omnia humana rotant, vt nullo clauo retineri valeant. Audi quemdam apud Plutarchum, poſt deperditas opes. Sciebam precarias me opes, nec trabali clauo fixas, vt aiunt, poſſidere. Omnes indigent huiuſmodi clauo: qui abundant diuitiis, vellent eis figere clauum, ne vnquam poſſent eas perdere; ſed non habent: ſimiliter & hi qui gaudent ſanitate, pace, aut alia proſperitate.

Lib. de tranquil. animæ.

Nihil in hoc mundo fixum. Quis ergo, inquit Bernardus, ſperare iam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat, in ipſo quoque, qui peccatum non fecit, creatore temporum, & conditore vniuerſitatis, poſt tantam exaltationem, tantam nihilominus ſequi humiliationem? In eadem

Serm 1. in Ramis Pal.

eadem enim Ciuitate, a plebe eadem, & eodem tempore diuinis eſt laudibus honoratus; poſtmodum verò interrogatus, contumeliis & tormento cum ſceleratis deputatus eſt. Hic eſt tranſitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.

Hoc aut totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi. Hoc à Zacharia prædictum fuerat his verbis: *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & pullum filium aſinæ.* Ex hac prophetia apertiſſimè colligitur Chriſtum verum eſſe Meſſiam. Nam, vt notat Gregorius Nyſſenus, quis regum vnquam aſinæ inſidens, Ieroſolymam inuectus eſt? Declaratur etiam verus eſſe Meſſias, dum non tantùm adimplet quæ de ſe ſcripta erant, ſed etiam illa adimplendo, alia prædixit quæ adimplenda ſunt. Hoc obſeruare facit Chryſoſtomus, dum ſic ſcribit. Tu verò diligenter expende, quot mirabilia peragit, & quot prophetias adimpleuit. Aſinam inuenturos prædixit, neminem prohibiturum, & omnes ſacituros affirmauit, &c. Duplicem prophetiam, alteram opere, alteram verbis adimplebat: opere quidem, quòd ſuper aſinam ſederit, verbis verò, quia ſcriptum eſt à Zacharia, quòd in aſina ſicut Rex ſedebit, &c. Interrogetur ergo Iudæus, quiſnam regum aſina vectus, Ieroſolymam intrauerit? Neminem profectò præter Chriſtũ dicere poſſunt. Tu verò etiam admirare, quomodo tam à Zacharia, quàm à Dauide ad vnguẽ iſta prædicta fuerant.

Zach. 9.

Tract. de teſtim. contra Iudæos.

Chryſoſt.

Ecce Rex tuus venit tibi. In hoc maximè Chriſtus dignoſcitur Rex, quia non ſibi, ſed nobis venit; hoc enim maximè regium eſt, vt Rex non ſibi, ſed ſuis viuat, non ſua, ſed ſuorum ſubditorum negotia peragat. In hoc differre Tyrannum a Rege ait Baſilius, quòd ille ſua commoda quomodocumque, & vndecumque reſpicit; hic ſubditis conſulere tantùm quærit. Sed quis ita regius inuenitur, qui non ſua quærat? quis adeò ſubditorum ſaluti inſudat, vt nihil expectet? Sane Tertullianus forenſibus negotiis dimiſſis, vni ſibi vacans, hoc vſurpabat vulgò dictitatum: *Erat olim iſta ſententia; nemo alij naſcitur moriturus ſibi*. Quaſi hoc ſit omnibus inſitum morituris, quòd ſibi naſcantur, quòd ſibi viuant. Vnus Chriſtus Dominus verus, & ſolus omnium Rex, qui nec ſibi naſcitur, nec ſibi moritur; ſed etiam moribundus venit ſuis. Ideo notanter dictum crediderim in præſenti, *Ecce Rex tuus venit tibi*, quando Hieroſolymis occidendus accedit, quando inimicorum ſeſe offert inſidiis, quando ſe nefariis tradit iudiciis, non ſibi mortem timet; ſed nobis mortém proficuam aſſumit.

Lib. de pallio.

Exiſtente Chriſto in Cruce clamitabant Phariſæi, *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de Cruce*. Quos eleganter pungit Bernardus. Imò verò, quia Rex Iſraël eſt, titulum regni non deferat, virgam Imperij non deponat. Quidni? adeò regium eſt mori. Cur mors regni titulus dicetur? quando ad regium culmen mors ibit? Serui moriuntur, mancipia intereunt, & mors erit regni titulus? Equidem ſerui moriuntur ſibi, vt qui ſibi etiam viuunt;

Matth. 27. Serm. 5. de Paſſ.

viuunt ; verum Chriſtus Rex omnium,& Saluator nihil accipit ſibi, etiam nobis moritur.Quocirca noluit deſcendere de Cruce : vnde pulchrè Ambroſ. Noluit, inquit, deſcendere, ne deſcenderet ſibi, ſed moreretur. O vnicus Rex Iſraël, & verus Rex vniuerſæ creaturæ, qui nihil ſibi accipit ; & mori & viuere donat ſuis. Quid autem nobis inde colligendum ſit indicat Chryſoſtomus. Si intellexeris, venit tibi:ſi non intellexeris, veniet contra te. Intellige igitur quæ dicta & facta ſunt tibi à Domino, ſi illum nolis tibi reddere aduerſarium, quem potes tibi habere proficuum, ne veniat contra te, qui tibi venit. Lib. 10. in Luc.

Venit tibi. Vnicuique noſtrûm illud dici poteſt ; Chriſtus *venit tibi*, quia ſi ſolus quis fuiſſet in mundo,pro illo ſolo incarnatus fuiſſet Dei filius, & pro illo mortuus : totum illud pro vnico operatus fuiſſet, quod pro omnibus. Dicat igitur D.Bernardus. Totus es meus, Domine Ieſu, & in meos vſus conſumptus.Mihi veniſti, mihi incarnatus es, mihi natus, & in præſepio reclinatus, mihi in Ægyptum fugiſti,mihi ieiunaſti, mihi hodie Ieroſolymam intraſti, & ſuper pullum & aſinam ſediſti ; & mihi fleuiſti, mihi ſanguinem fudiſti, & mortem ſubiiſti, mihi corpus tuum dediſti : mihi denique in cœlum aſcendiſti : dixiſti enim, *Expedit vobis vt ego vadam.* Si venias, ſi vadas; mihi venis, mihi vadis. Totum tuum meum eſt,totus tu mihi ; ſic totum omnibus quod totum ſingulis. Bernard.

Veriùs itaque de Chriſto dicere poſſumus, & debemus, quod Ioſeph de hero, & de domino

Geneſ 39. ſuo, dum ad ſtuprum induceretur : *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis,* &c. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?*
Ambroſ. Valdè ponderat D. Ambroſius illud , *Quomodo poſſum?* quaſi diceret : tot & tanta ſunt beneficia mihi à domino meo collata, vt quodammodo mihi auferant in eum peccandi poteſtatem ; & ſi non poteſtatem, tamen auferunt voluntatem. Similiter omnibus nos ad peccatum inducentibus reſpondeamus , *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Quidquid enim Dominus Ieſus habuit, mihi tradidit ; ſua me paupertate ditauit ; ſuo me refecit ieiunio; ſua morte me viuificauit, ſuo ſanguine me redemit, *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Si à carne tua tenteris, ſi ab aliquo, vel ab aliqua ad malum ſolicitéris, dic , *Quomodo poſſum?* Nunquam dominus Ioſephi pro illo paſſus fuerat, nihil præter domus ſuæ adminiſtrationem contulerat, hoc ſolùm quod in domo habebat ei commiſerat ; & propter huiuſmodi viriliter dominæ ſolicitanti reſtitit. Si conſenſum præbuiſſet, in carcerem detruſus non fuiſſet ; ſed maluit incarcerari , quàm mœchari ; & tu audes in Chriſtum peccare, qui tanta tibi contulit, & tam acerba pro te pertulit?

Hoſanna filio Dauid. Diuus Chryſoſtomus & D. Euthymius dicunt, etiam pueros ſugentes vbera, dixiſſe, *Hoſanna filio Dauid.* Quod probant, & colligunt ex his quæ dixit Matthæus.
Matth. 21. *Videntes autem principes Sacerdotum, & Scribæ pueros clamantes, & dicentes, Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt.* Præterea probatur ex eo loco Pſalmiſtæ, quem

quem Chriſtus in ipſo ſuo ingreſſu attulit, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*: vel, vt alij legunt, *Ex ore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem.* Fortè enim fuit hoc puerorum teſtimonium, ad confundendum Phariſæorum conuicium. Miratur & quærit Chryſoſtomus, cur Dauid, & ipſe Chriſtus prætermiſſis aliis miraculis, huius puerorum præconij meminerint. Quam ob cauſam, inquit, aliis prætermiſſis miraculis, mortuorum reſurrectione, dæmonum expulſione, nunc puerorum miraculi meminit? Quoniam illa quidem etiam antè facta ſunt, & aliquid inter ſe commune habuerunt: ſuſcitatus eſt enim mortuus ſub Eliſæo, & dæmon per Dauid expulſus eſt; chorus autem infantium & lactentium nunc primùm locutus eſt. O concentum perfectiſſimum! Nullus eſt chorus muſicus abſque puerili voce. Intrante Domino Hieroſolymam, non bene, nec perfectè cantaſſet populus, *Hoſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini*, ſine infantilibus vocibus. *Le motet ne pouuoit eſtre accomply & parfaict ſans ces voix pueriles, qui chantent le deſſus.* Verè ex ore infantium perficitur laus, perficitur chorus. Magiſter iſtius chori erat Spiritus Sanctus. Pſal. 8. In hunc locum.

Chriſto Domino venienti, & Hieroſolymam intranti, reſeruabatur iſte puerorum chorus. Ipſe enim ſemper habuit, & alios vult habere paruulorum curam. Tres pueri iuſſu Regis in fornacem ignis coniiciuntur; ſed à Domino mirabiliter eripiuntur. Pueri, inquit idem Doctor, iactantur in flammas; ibat circa innocuos pedes nouo libramine temperatus artifex ignis, & tot

circumuolans paſtus, ſola conſumere vincula laborabat. Ignis quidem hos pueros aſſumpſit, ſed non conſumpſit: aderat qui illos protegebat, de vinculis conſumendis laborat; quibus conſumptis expediti pueri, Dei magnalia decantabant, & alia etiam inanimata Dominum laudare, & benedicere inuitabant. Sed quod Sol, Luna & ſtellæ, maria, flumina, terra, & cætera huiuſmodi non potuerunt, pueri Hieroſolymitani perfecerunt; ideo dicitur, *perfeciſti laudem.* Tunc laus perficiebatur, quando a non perfecta ætate cantabatur.

Sæpiſſimè animo meditatus ſum, cur Deus regnum ab Iſraëlitis ablatum Romano crediderit Imperio; & dum recolo vltimos Iudæorum Reges, in quibus Dei regnum ſtetit, & tranſlatum eſt ad Romanos, & primum Imperatorem qui accepit Eccleſiæ tutelam; incidi in Herodem & Conſtantinum. Ille ita deſæuiit in pueros, vt 14. millia occiderit, & nec proprio filio pepercerit: hic adeò in pueros benignus extitit, vt mallet lepra conſumi, quàm vel vnius pueri nece fœdari; ſicque quos ad mortem alligatos vidit, ſolui præcepit, matribúſque cum muneribus reddi. Puerorum igitur oſori & interfectori eripuit Deus Eccleſiæ regnum; & illud credidit Romanorum Imperatori, vtpote in pueros benefico. Hoc annotauit Berengoſius Abbas; Herodes, inquiens, ſempiterni Regis ortum molitus extinguere, in ceruices infantium gladium ſuum ſolebat cruentando diſtringere. Conſtantinus verò mitiorem ſe illis volens oſtendere, mucronem ſuum à ceruicibus infan

Lib.3.de Inuent. Crucis cap.5.

infantiū pia cœpit deuotione ſuſpendere. Haud dubiè, ſi tunc ille Herodes vixiſſet, iſtos infantes Domino acclamantes & benedicentes occidiſſet. Si enim infantes non fantes occidit, quomodo non interficeret fantes, & illum, quem ipſe interficere quærebat, laudantes?

O felices infantes, qui antequam ſuum agnoſcerent genitorem, omnium laudabant Redemptorem: & priuſquàm ſcirent vocare patrem, filium Dauidis vocabant Meſſiam; & qui nondum nouerant panem à matre poſtulare, ſalutem à Chriſto expoſtulabant; & illum benedicebant, quem poſtea patres eorum blaſphemabant: eúmque confitebantur, quem parentes eorum erant negaturi: felices, inquam, qui labia ab vberibus amouebant, vt Chriſtum reſpicerent, ac papillas libenter deſerebant, vt liberiùs Hoſanna promerent. Iungamus nos puerili choro, Deúmque nunc laudemus, eique inſeruiamus, vt cum Angelorum choro in æternum laudare valeamus. Amen.

FERIA SECVNDA

Maioris hebdomadæ.

Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Ioan. 12.

Prou. 3. PRÆCLARVM eſt illud Sapientis conſilium: *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt, ſed ſi vales, & ipſe bene fac. Noli oblatrare iuſto*, &c. Non hoc obſeruauit, qui ſic murmurauit: *Quare hoc vnguentum non vanijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Narrant tres Euangeliſtæ, & præcipuè hodie Ioannes, quòd recumbente Ieſu in domo Simònis Leproſi, & accedente Maria Magdalena, cum alabaſtro vnguenti pretioſi, illúdque ſuper caput Chriſti Domini effundente, *domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Domus illa implebatur ex odore vnguenti, & anima Iudæ ex odore argenti: vnguentum dolebat, qui argentum redolebat. Trecentos enim denarios odoratus eſt. Suauiſſimus odor auaro, odor eſt pecuniæ: vnde Iuue-
Satyr. 14. nalis, *Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.* Quod ignis eſt auaro, id aurum eſt homini: probatur aurum

aurum igne; probatur homo auro. Qualis eſſet Iudas probatur marſupio; propter marſupium, factus eſt dæmonis mancipium.

Dices: Cur Chriſtùs Iudæ marſupium tradidit, cùm ſciret pecunias furaturum? Reſpondetur, Deum beneficia in hominem conferre, etſi videat illis abuſurum. Cùm bonus erat Iudas, crumenam illi tradidit: ſua culpa in auaritiam corruit, & beneficio, ſimul & officio abuſus eſt. D. Chryſoſtomus putat ideo fuiſſe Iudæ traditam crumenam, vt tolleretur proditionis materia. Neque enim, ait, poterat dicere pecuniarum id cupiditate feciſſe: ſufficientes enim loculi eſſe debebant, qui eius ſatisfacerent cupiditati, &c. Idem opinatur Euthymius. Propter imbecillitatem, inquit, Iudæ, permiſit illi Chriſtus ſeruare marſupium, vt inde ſuam foueret auaritiam, & ob eam non incideret in proditionem. Volebat Dominus Ieſus Iudam quidem ſatiari, non furari: crumenam ei tradidit, ne ipſe Magiſtrum traderet. Multis Deus largitur bona, ne faciant mala: ſed mali bonis conceſſis abutuntur, & in mala innumera labuntur. Iudas propter marſupium, factus eſt dæmonis mancipium. Poſt itaque acceptam crumenam raptor euaſit, deinde murmurator, & tandem proditor. Hom. 64. in Ioan.

Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes. Proditor iſte, dicebatur Iſcariotes, ab Iſchara oppido Iudææ. Hoc attendens D. Chryſoſtomus ſic ſcribit. Quid mihi eius patriam dicis? vtinam ipſum quoque neſciſſe licuiſſet. Veruntamen, vt alibi diximus, non ſine cauſa cogno- Homil. de Prod. Iud. Fer. 4. Cin.

minatus eſt Iſcariotes. Nam, teſte D.Paſchaſio, Iſcariotes memoriam mortis ſonat, &c. Voluit igitur Dominus, vt iſte proditor, Iſcariotes cognominaretur, vt iugiter mortis recordaretur. Vnde etiam idem Dominus meminit hic ſuæ ſepulturæ, dum dixit ei, *Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Huius rei rationem aſſignat idem Paſchaſius. Vt ſit inexcuſabilis, quòd non caſu, ſed ex meditatione mortis Dominum prodiderit. O Iuda, ideo cognominaris Iſcariotes, ideo tibi ſit mentio ſepulturæ, vt vel mortis recordatione recedas à præſenti murmuratione, proditione, & à finali damnatione.

Lib 6 in Matth.

Ex vico.

Ibidem.

Quare vnguentum hoc non vaniit trecentis denarys? De venditione, non de emptione ſemper cogitaſſe Iudam alibi diximus; quia emptione pecuniæ impenduntur, venditione acquiruntur; optabat vt vnguentum hoc venderetur, vt ex illa pecunia aliquid furaretur. Sed non attendebat impius, quòd tunc ſibi laqueum parauit, quando de reſeruanda ſibi illa pecunia cogitauit. De illo ait Matthæus, *& abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Quod expendens Drogo ſic ſcribit. Iamdiu erat quidem quòd diſceſſerat, & auaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat, ſed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit. Quaſi diceret; non nouus erat hic in Iuda laqueus, quo apparuit ſtrangulatus, ab eo die, quo ſe auaritiæ dedit, fortiter illaqueatus eſt: Nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli*, &c. Igitur illaqueabatur, quando quòd hoc vnguentum non venderetur, conquere

Dom. 4.

Matth. 27.

Lib. 1. de ſacrament.

querebatur, & pecuniam furari meditabatur. Audiatur Diuus Chryſoſtomus. Qui pecuniæ ſeruit, & præſentibus compedibus conſtringitur, & futuris paratur. Audiet enim: *Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.* Homil 9. in Matth.

Quare vnguentum hoc non vaniyt trecentis denarys? His verbis quid in Iuda lateret, manifeſtabatur, nempe auaritia, quam occultare volebat. Volebat etiam idem Iudas ſuam diſſimulare proditionem; ſed non potuit: illam enim prodere cogitur. Nam cæteris diſcipulis Chriſto dicentibus, *Nunquid ego ſum Domine?* ipſe Domini appellationem qua illi vtebantur, indignans ſubſannando ait, *Nunquid ego ſum Rabbi?* Vocat Rabbi, quem alij Dominum appellabant; ſuperbia ſua manifeſtauit proditionem ſuam. Licèt quis totis viribus præconceptam malitiam celare intendat, tamen ipſa ſua verba, ipſa ſua opera illam facient manifeſtam. Culpa, ait Ambroſius, authorem ſuum prodit. Et verba produnt culpam. Itaque nunc murmurando oſtendit quid intus in ipſo lateat. Lib. de Naboth. c. 12.

Quare vnguentum hoc non vaniyt, &c. Venundatus dolebat, quòd vnguentum hoc non venundaretur. Dicere enim poſſumus Iudæ, quod olim Elias Regi Achab, *Inueni, quòd venundatus ſis, vt faceres malum in conſpectu Domini.* Vendit ſe alteri, aut ſua opera aliquis, vt illa, aut ſeipſum ad certum aliquod opus, aut laborem conferat, nempe colendum agrum, paſcenda pecora, aut aliquid aliud, à quo nullo modo diſcedere licet, & ad aliam rem operam, & ſtudium 3. Reg. 21.

dium transferre. Quare hic optimè poteſt appellari venundatus ad quodlibet horum operum, quæ ex pacto debet. Achab igitur vſque adeò ſe improbitati & impietati tradiderat, vt vendidiſſe videretur ſuam operam peccato; vt nihil meditaretur, aut faceret, quod malitiam non oleret.

Similiter Iudas meritò dici poterat venundatus auaritiæ; ita enim ſe addixit auaritiæ, vt eius iuſſa omnino præſtaret. Auaritia præcepit ei, vt de vnguento effuſo murmuraret, nulla habita ratione diuini obſequij. Auaritia furtum ei ſuggeſſit; fecit illum exire è cænaculo, vt cum Phariſæis conueniret: iuſſit vt Magiſtrum venderet; ducem conſtituit ſatellitum euntium in hortum ad capiendum Chriſtum. Vide, quàm ſit auaritiæ tyrannicum imperium, & quàm miſerabilis & ærumnoſa ſeruitus illius, qui auaritiæ paret.

Satyr. 5. Illam durè iubentem repræſentat Perſius:

Mane piger ſtertis, ſurge, inquit auaritia, eia,
Surge: negas, inſtat: ſurge, inquit, non queo: ſurge.

Surgere iubet auaritia, & fecit Iudã non tantum ſurgere, ſed & nunc in Magdalenam inſurgere, imò & in Chriſtum. Nihil igitur faciebat Iudas, nihil meditabatur quod ad auaritiam non pertineret, vel auaritiam non redoleret. Quare? quia venundatus erat auaritiæ. Quis illum vendiderat tam iniquo hero? praua ſua voluntas. Illum non vendiderat Magiſter, ſed ipſe Magiſtrum. Neminem vendit Dominus; vnde olim

Isai. 50. quibuſdam conquerentibus dixit Deus: *Cui vos vendidi?* Quaſi dicat: nemini; ſed ipſi vos peccato vendidiſtis. *Ecce in iniquitatibus veſtris venundati eſtis.*

eſtis. O duram ſeruitutem! ô miſeram neceſſitatem! ô inutilem venditionem! Seipſum Iudas vendiderat auaritiæ, quæ illum fecit murmuratorem, venditorem, proditorem, ac tandem ſui ipſius carnificem. Dicat igitur Diuus Chryſoſtomus. Iudas nimiæ cupiditatis præcipitatus ardore, cæca quadam improuiſione deceptus, ſuam vendidit animam, & ſuæ ſalutis mercator extitit. Chryſoſt.

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, &c. Volebat Iudas hoc vnguentum venundari, & ex pretio aliquid furari: conſueuerat enim ſurripere decimam partem eorum quæ ſibi dabantur ſeruanda. Huius ſententiæ eſt D.Antoninus. Iudas, inquit, ſolitus erat decimare marſupium. Idem ſentit Rupertus, qui in Iudam ſic inuehitur. Quàm mala, quàm damnoſa decimatione miſer Iudas illam quam dixerat perditionem vnguenti, recuperauit! Sperabat itaque Iudas ex trecentis denariis, quibus poterat hoc vnguentum venundari, ſe furaturum decimam partem, nempe triginta denarios. Videns autem quòd illud vnguentum non vendebatur, voluit hoc damnum recompenſare, atque inde ſuggerente diabolo, cœpit proditionem excogitare. Audi D.Hieronymum. Infelix Iudas damnum, quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, vult Magiſtri pretio compenſare, &c. 1.p. hiſt. tit.5. cap 6. In Ioan. In Matth. cap.26.

Stimulaſſe autem ad facinus Iudam creditur vnctio, & vnguenti illa effuſio, ideóque Euangeliſtæ dum loquuntur de proditione Iudæ, faciunt huius vnctionis mentionem. Vnde D.Anſelmus. In Mat.26.

Hæc

Hæc vnguenti effuſio facta eſt ante ſex dies Paſchæ, vt refert Ioannes: ſed hic interſerta eſt, quia fuit cauſa proditionis,&c.Idem dicit Gloſſa ordinaria. Præmiſſa eſt cauſa, quæ compulit Iudam ad vendendum Dominum: çùm enim fur eſſet,& loculos haberet, & vidiſſet vnguentum ſuper caput & pedes Domini effuſum, quod putauerat eſſe vendendum,& pretium ſibi eſſe tradendum, vt aliquid inde furaretur,quod perdiderat in effuſione vnguenti, voluit recompenſare in effuſione Magiſtri, quando ſcilicet congregati ſunt principes Sacerdotum. Et hoc

Matth.26. eſt,quod dicit S.Matthæus:*Tunc abiit vnus de duodecim,qui dicitur Iudas Iſcariotes,ad principes Sacerdotum,& ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?*

Cur fuit Iudas electus in Apoſtolum, cùm ſciret Chriſtus ipſum proditurum?D.Ambroſius hanc propoſuit quæſtionem,ad quam ſic reſpon-

Lib. de Paradiſo,c.8. dit.Venerat Dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores; etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem.Et ideo nec proditurum debuit præterire, vt vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu. Deus quem præuidet peccaturum,& in peccato ſuo moriturum, huic beneficia ſolet conferre, vt eum à peccato & ab æterna damnatione retrahat, ne ipſe Domino detrahat, quòd media ſufficientiſſima ad ſalutem ei non præbuerit.

Diuus Hieronymus exiſtimat Dominũ quando hominem præcipuè ad aliquod munus eligit, non tam futuri quã præſentis habere rationem, cùm omnia ſint Deo præſentia. Ita ſe habuit in electione

electione Iudæ, tum in Apoſtolatum, tum in officium procuratoris & diſpenſatoris. Quid dicat ille Doctor audiamus. Interroga Chriſtum, cur Iudam elegerit proditorem; cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat. Vis audire rationem? Deus præſentia iudicat, non futura; neque condemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat. Sed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis & pœnitentiæ. Lib. 3. contra Pelag. c. 2.

Dantur & aliæ rationes, cur Dominus improbum fore Iudam præſciens, in Apoſtolatum elegerit proditorem? Volebat enim docere hominem non ſanctificari dignitate ſtatus, ſed operatione bonorum operum. Ita D. Thomas. Præterea ideo Iudam elegit, vt malorum improbitatem nos ferre doceret. Hæc eſt opinio D. Auguſtini. In Pſal. 34. Iudas, inquit, fuit electus, quia neceſſe erat vt malos ſiue ſcientes, ſiue neſcientes toleraremus; exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias, cùm cœperis inter malos viuere, &c. Eamdem rationem affert idem Doctor alibi. Habuit, inquiens, Chriſtus inter diſcipulos vnum, qui malo vtens bene, & ſuæ paſſionis diſpoſitionem impleret, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorũ malorum præberet exemplũ, &c. Mali ſunt tolerandi, quia per illos boni ſunt purgandi; Abel enim ſuſtinuit Cainum: Iacob fratrem Eſau: Loth Sodomiticos ciues: Dauid Saülem: diſcipuli Iudam furem. Dicat igitur Diuus Gregorius. Ipſa malorum ſocietas, purgatio bonorum eſt. Lib. 18. de Ciuit. Dei. cap 49. Lib. 9. epiſt. 39.

Quamuis

Quamuis autem Iudas Chriſtum Phariſæis non vendiderit, niſi cùm eſſent ipſi congregati: tamen ſuam antea proditionem excogitauerat; quando, ſcilicet, Magdalena oſculante pedes Domini, Iudas proponebat oſculari labia eiuſdem Domini: illa effundente vnguentũ, ipſe cogitabat de effundendo eius ſanguine: tergente illa capillis pedes Domini, meditabatur ipſe quomodo ligaretur, & cautè duceretur Dominus. Atque ita dum illa viam cœli arripiebat, ipſe viæ inferni ſe committebat. Hæc obſeruatio eſt Diui Chryſoſtomi ſic ſcribentis. Ante proditionis tempus acceſſit meretrix vas alabaſtrum manibus portans, & vnguentum ſupra caput Domini effudit. Paulo antè meretrix, ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnouit; & quando lupanar exiuit, diſcipulus gehennam intrauit: quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, tunc iſte pretium Magiſtri ſanguinis poſtulabat: quando illa oſculabatur pedes, vt ſuſciperetur, tunc iſte Domini labia oſculabatur, vt proderet.

Homil. de prod. Iud.

Minori pretio impius Iudas Chriſtum vendidit, quàm vnguentum æſtimauerit, illud enim æſtimauit trecentis denariis, Chriſtum verò triginta: quod attendens D. Ambroſius, in illum ſic inuehitur. O Iuda proditor, vnguentum paſſionis eius trecentis denariis æſtimas, & paſſionem eius triginta denariis vendis? diues in æſtimatione, vilis in ſcelere. Illi Iudam imitantur, à quibus humana diuinis, terrena cœleſtibus minoris æſtimantur, & qui aurum & argentum Deo præponunt. Dolet iſte impius, quòd hæc mulier

oſcula

oſcularetur pedes Domini, & vnguentum effunderet; & non verebitur ille oſculari labia, & effundere ſanguinem Domini. Væ nobis, qui cæcitatem proditoris ſequentes, æterna vili, caduca magno æſtimamus pretio: quod Diuus Cyprianus lamentabatur. Per omne nefas voluptates emuntur, & per omne ſcelus copioſæ libidines exquiruntur. Nihilque æſtimatione dignum habemus, niſi quod momentanee delectat. D. Cypr.

Hæc autem venditio Iudæ fuit præfigurata, & delineata in venditione Ioſeph facta Iſmaëlitis à fratribus ſuis. Quis, inquit idem Ambroſius, ſub figura Ioſeph venditus eſt, niſi ille qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo? Et ſicut per conſilium Iudæ, Ioſeph venditur, ita per Iudam Chriſtus. Nec obſtat, quòd ille non niſi viginti argenteis, vt emendatiores codices habent, venditus fuerit; Chriſtus autem triginta. Dicunt enim aliqui viginti illos argenteos, quibus venditus eſt Ioſeph, tantum eo tempore valuiſſe, quantum illos triginta quibus venditus eſt Chriſtus: imò ſecundùm aliquos Chriſtus eademmet pecunia, eiſdem planè argenteis venditus eſt, quibus Ioſeph. Huius opinionis eſt D. Anſelmus in dialogo de paſſione Domini, ſi illius liber eſt, vbi ait, ſibi reuelatum, argenteos, quibus Chriſtus eſt venditus, eoſdem fuiſſe, quibus venditus eſt Ioſeph. Iſmaëlitici, inquit, fuerunt illi denarij, quibus & Ioſeph venditus fuit ante multos annos, & hæreditaria ſucceſſione fuerant deuoluti ad illos Iudæos qui Chriſtum eme-

Lib. de Ioſeph. cap 3.

Geneſ. 34.

runt. Hoc ſi ita eſt; vide huiuſmodi argenteos nihil profuiſſe fratribus Ioſeph, cùm vſque ad tempora Phariſæorum tranſierint; ſed neque Iudæ, qui eoſdem acceptos retulit, & laqueo ſe ſuſpendit. Nunquam poſſeſſori proderunt abla-
Epiſt. 75. ta, & malè parata. Nulli, inquit Seneca, cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum, &c.

Fur erat. Quare fur? quia auarus. Exclamet igi-
Serm. de Paſſ. tur Magnus Leo. Tu ô impiiſſime homo, ſemen Chanaan, & non Iuda, nec iam vas electionis, ſed filius perditionis, & mortis, ita diabolicè inflammaris auaritiæ facibus, vt ad triginta argenteorum inardeſceres lucrum, & quid diuitiarum amitteres non videres. Perdebat enim gratiam ob auaritiam, perdebat gloriam, acqui-
In concord. Euang. c. 4. rebat gehennam. Exiſtimat Ianſenius ad auariſſimum iſtum proditorem ſententiam Eccleſia-
Eccleſ. 10. ſtici auaritiam inſectantis reſpexiſſe: *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.*

Fur erat. Quare, vel quibus furabatur Iudas? fortè vxori, & filiis ſuis. Habuiſſe autem Iudam vxorem & natos arbitratur D. Auguſt. probát-
Pſalm. 108. que ex illo loco Pſalmiſtæ, *fiant filij eius orphani*, &c. Agi autem illo pſalmo de Iuda proditore, indicant illa verba D. Petri deſumpta ex eodem pſalmo, *Epiſcopatum eius accipiat alter.* Peccabat Iudas ſubueniendo vxori & filiis ex alieno marſupio. Huic ſunt ſimiles, qui familiam ſuam alunt ex bonis alienis, ex furto, ex vſuris.

Iudas tantò plus cupiebat, quantò plus ſurripiebat.

picbat. Tenebatur habendi cupiditate,atque ita quadam laborabat ebrietate. De auaritia ſic D.Chryſoſtomus. Auaritia eſt inſatiabilis ebrietas, & ſicut ebrij quantò plus vini ingurgitant, tantò magis ad ſitim inflammantur: ita auari quantò magis ſuas opes augeri vident, tantò & concupiſcentia magis flagrant. Vnde D. Hieronymus Iudam agnouit ebrium, ſic enim ſcribit. Ebrius fuit proditor non vino, ſed auaritia, &c. Ebrius ergo loquebatur, quando nunc in Magdalenam inuehebatur; illa tamen à Chriſto defendebatur: vnde Iudæ dicebatur.

In cap. 6. Geneſ.

In cap. 28. Iſaiæ.

Sine illam, &c. Obſeruandum eſt, Dominum nunc non dixiſſe Iudæ, *Amice, ſine illam:* venienti autem ad oſculandum & tradendum eum dixit, *Amice, ad quid veniſti?* Domine, nónne ſcis ad quid venerit Iudas? Scio, inquit, verùm erga offendentes me ita me gero, ac ſi neſcirem, nec aduerterem: ideo Iudam interrogo, quaſi ignorarem cauſam ſui acceſſus ad me. Offendentes autem proximũ, non tantùm ſcio, & neſcio; ſed omnes hoc me ſcire, ſcire volo, vt diſcat vnuſquiſque qualiter erga proximum ſuum ſe gerere debeat, & ne illum offendat, caueat. Peccauit olim Adam, peccauit & Cain; vterque punitur: ſed hic grauiùs illo. Nam propter peccatum Adami, terra maledictione percutitur, *Maledicta terra.* Ipſe autem Cain propter peccatum ſuum in propria perſona maledicitur, *Maledictus eris ſuper terram.* Quæ huius rei ratio? Quia Adam peccauit in ſolum Deum, fructum vetitum comedendo: Cain verò in fratrem ſuum, illum occidendo. Acriùs enim obiurgat, & punit

Geneſ. 3.

Geneſ. 4.

Deus offendentes proximum, quàm ſe. Non mirum igitur, ſi nunc Chriſtus Iudam de Magdalena murmurantem increpauerit, eique ſilentium impoſuerit.

Sine illam. Quoties proximum offendis, idem tibi dicitur, *Sine illum.* Aliquem inſequeris? *Sine illum.* Vxorem alienam concupiſcis? *Sine illam.* Alium iniuriis afficis? *Sine illum.* Ergo ô Iuda, *Sine illam.* Opus enim tuum quod operaturus es in me, opponetur operi quod hæc mulier operata eſt in me, ſicut malum opponitur bono.

In cap. 26. Matth. Audiamus Rupertum contraponentem venditionem Iudæ, vnctioni Magdalenæ. Planè ſicut de illa dixit Dominus, opus bonum operata eſt in me, ſic contra de iſto dicat; malum opus operatus eſt in me: illa enim ad ſepeliendum me, pretioſo vnguento vnxit; iſte ad crucifigendum me, vili pretio vendidit.

Sine illam. Illam Dominus defendebat, quia murmuranti non reſpondebat. Semper à ſua conuerſione prudenter ſe geſſit Magdalena, quæ nunquam ſibi conuiciantibus reſpondit. De illa

Luc. 7. malè iudicabat Phariſæus, quòd Chriſtum tangeret: de illa conquerebatur ſoror eius Martha,

Luc. 10. quòd illam ſolâ miniſtrare relinqueret: & nunc Iudam audit oblatrantem, ſed nihil penitus

In Pſal. 37. reſpondit. Beatus, inquit D. Ambroſius, qui poteſt tantam habere virtutem, vt laceſſitus non iraſcatur. Beata igitur hæc mulier quæ ſemper obmutuit etiam laceſſita.

Prudentis eſt, flante vento, ac per vnam ianuam domus ingrediente, alteram ei oppoſitam ianuam claudere, ne ventus vehementiùs irruat.

irruat.Ita bene ſibi conſulit qui os ſuum claudit, cæteris ſibi conuiciantibus. Hæc ſimilitudo eſt D. Chryſoſtomi ſic ſcribentis. Conuiciatus eſt quiſquam? vituperauit? tu claude os tuum: ſi enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quòd quando e regione, ac directè duæ ianuæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit; ſi alteram clauſeris, nihil valeat efficere flatus, ſed plurimum de illius robore præcidatur? Ita & hic duæ ſunt ianuæ, os tuum, & os illius qui te vituperat: ſi tuum occluſeris, & ſpirationem non dederis, omnem iſtum flatum extingues; ſi verò aperueris, effrænis redditur. Cur cum tanto impetu perflant venti in domibus? quia aperiuntur feneſtræ, non clauduntur ianuæ. Cur tot enaſcuntur iurgia? vnde tot querelæ? vnde tot verba contumelioſa? quia multa ora aperiuntur, omnes conuicianti conuiciantur, obloquentibus, & detrectantibus reſpondent; inde lites, inde inimicitiæ augentur.

In Epiſt. ad Theſſalon. c.5. in morali.

Præterea, hæc mulier Iudæ, aut cæteris de illa murmurantibus non loquebatur; quia præteritorum ſuorum peccatorum recordabatur. Multum enim iuuat ad tolerandas quaſcumque contumelias, culpæ præteritæ, etiam remiſſæ recordatio. Sic faciebat olim Dauid, qui, teſte eodem Chryſoſt. non eſt oblitus peccati ſui, quamuis indultum ſibi fuerit. Vnde iniuriis cum afficienti Semei non reſpondit. Ideo dicebat; *Obmutui, & non aperui os meum.* Quaſi diceret iuxta paraphraſim Theodoreti: *Conniciys affectus, peccati memini.* Inſurgente in ipſum filio ſuo Abſalom,

In Pſal. 50.

Pſal 38.

ſtatim quæ aliàs commiſerat reduxit in mentem,quorum conſideratione, æquo animo omnia conuicia tolerabat. De illo ſic D.Gregorius.

Lib 30. Mor. 17. Dauid exurgētem contra ſe filiū videns, reduxit ad animam malū quod patrauit, & æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba, non tam conuicia, quàm adiutoria, quibus ſe purgari,ſibíque miſereri poſſet,credidit.

Similiter Magdalena, recordata eorum quæ fecerat, non reſpondebat conuiciantibus ſibi:& ipſa tacente reſpondebat Chriſtus,illámque tuebatur. Solet enim Dominus defendere eos qui non ſe defendunt,& reſpondere pro tacentibus. Ioſeph à fratribus venditur; à domina ſua falsò accuſatur; ab hero carceribus mancipatur; & Dominus Deus illum tuebatur. Ità vt de illo dicat Scriptura: *Deus mendaces oſtendit,qui maculauerunt eum.* Et alibi; *Deſcendit cum illo in foueam,& in vinculis non dereliquit eum.* Quare? quia nihil reſpondit, nec reſtitit lædentibus ſe. In impiam Iezabelem Dominus grauiter animaduertit,quia Eliam obmuteſcentem, nec vllo modo ſe defendentem inſectabatur. Exemplo igitur Magdalenæ & iſtorum,cauſam noſtrā Domino commendemus,cedamus perſecutionibus inimicorum,os noſtrum claudamus,vt os Domini ad defendendum, & regnum cœlorum ad excipiendum nos, aperiatur.Nam teſte D.Baſil. Detrahenti contumelia regnum cœlorum claudit; tibi vero taciturnitas aperit.

Sap. 10.

Hom. 10. de ira.

Interea quidam ex Iudæis *venerunt non propter Ieſum tantùm,ſed vt Lazarum viderent.* Quare volebant eum videre? vt poſſent eum occidere. Vnde

de addit Euangeliſta: *Cogitauerunt autem principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* Iam antea conati erant occidere ſuſcitantem, ſed quia nondum venerat hora eius, veniunt vt occidant ſuſcitatum. Ridet hoc Auguſtinus, atque ſic exclamando ſcribit. O ſtulta cogitatio & cæca ſæuitia! Dominus Chriſtus qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum? Ioan. 12. Tract. 50. in Ioan.

Cæterùm, quærunt iſti Iudæi occidere Lazarum, in hoc peiores diuite epulone, qui etiam in inferno optabat, vt iam mortuus alius Lazarus ad vitam reuocaretur; atque ita fratres eius monerentur. Diuus Chryſologus dum conſiderat quòd ille diues optat regreſſum Lazari ad viuos, & quòd Chriſtus alium Lazarum ſuſcitauerit, ſic ſcribit. Sicut diues petit, Deus pro Lazaro Lazarum miſit. Quaſi dicat: Non illum ſuſcitauit Lazarum, quem diues poſtulabat, ſed alium Lazarum, quando expedire iudicabat. Pergit idem Doctor. Quid miſſus, quid deſideratus, quid reſurgens profecerit, patienter audite: *Cogitauerunt principes Sacerdotum, vt Lazarum interficerent*, &c. Si deſiderant regreſſum mortuorum ad nos, cur eos occidunt? Nullus dicat, ô ſi quis veniret à mortuis, & quod ibi agitur, hic referret, omnes crederent ei. Vnus venerat Lazarus, & eum omnes cogitarunt interficere. Serm. 67. Idem ibidem.

Lazarus iam ſuſcitatus hic aderat, illum videbat Iudas, illum audire poterat, illum omnia ſperantem, & cum Ieſu ſemper manentem, videbat, & tamẽ in ſua auaritia perſeuerabat. Et ſicut

ille epulo os ſuum & oculos claudebat etiam altero Lazaro iacente ad ianuam domus ſuæ: ita impius Iudas ſuum obdurauerat cor, etiam recumbente iſto Lazaro, à quo ediſcere poterat & pecuniarum contemptum, & quantum proſit bene & iuſtè vixiſſe in hoc ſæculo. Et fortè ideo Dominus voluit vt Lazarus eſſet vnus ex diſcumbentibus, vt illo viſo, de alia vita cogitaret Iudas, & relicta ſua auaritia, ita vitam ſuam componeret, vt tandem in futuro cum Chriſto diſcumberet.

FERIA

FERIA SEXTA
Maioris hebdomadæ.

OBSERVATIONES IN CHRISTI Paſſionem.

Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus. Ioan. 18.

INSVRGENTE Abſalome, atque regnum inuadere moliente, ipſe Dauid pater eius non tantùm è Ciuitate Hieruſalem pedes egrediebatur, ſed & torrentem Cedron tranſgrediebatur. Hoc adnotat ſacra Scriptura, *Egreſſus eſt Rex,*&c.*omnéſque flebant voce magna, & Rex quoque tranſgrediebatur torrentem Cedron.* Expende illud *(omnéſque flebant.)* Secum Dauid habebat exercitum non pugnantium, ſed plorantium, quia pedes egrediebatur, quia domum relinquere cogebatur, illúmque filius inſectaba- 2.Reg 15.

tur,ſui eum comitabantur, non armis, ſed lacrymis.

Chriſto Domino ex eadem Ciuitate, & trans ipſum torrentem Cedron egrediente ; Domino in horto triſtante ; Iuda ad ipſum accedente, oſculante,tradente,tota cohorte ipſum comprehendente,ligante, cædente,ducente,vt falsò accuſetur, iniuſtè condemnetur, crudeliter flagelletur,& tandem morti adiudicetur : Chriſto,inquam,tam dura verba,duriora verbera,duriſſima ſupplicia perferente, quis temperet à lacrymis? Serm. de mand. O duri,inquit Bernardus,& indurati filij Adam, quos non emollit tanta flamma ! Quærens idem Doctor, cur Chriſto patiente *petræ ſciſſæ ſunt.* Reſpondet,vt poſſint ipſæ quoque lapidea ſcindere corda, & pectus omne licèt ferreum emollire ſufficiant. Scinduntur ſaxa,ſiccantur corda. Chriſto igitur preces,ſanguinem, & vitam fundente,nos lacrymas fundamus,& quid dicat ſacer textus,plorando videamus.

Ioan.18. *Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron*,&c.Egreditur oraturus,& mox ingredietur iudicandus, & iterum egredietur crucifigendus. Egreſſo igitur Ieſu, hæc de Hieruſalem Thren.1.6. nobis dicere liceat;*Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor eius*.Ieſus eſt vita tua, morieris ; quare ? Quia *egreſſus eſt Ieſus*.Ieſus eſt lux tua,proiicieris in tenebras;quare?Quia *egreſſus eſt Ieſus*.Ieſus eſt fortitudo tua,deficies;quare?Quia *egreſſus eſt Ieſus*.Eſt Ieſus tibi omne bonum,ſed continget tibi omne malum;quare?Quia *egreſſus eſt Ieſus*.Eius egreſſio, tua eſt perditio ; nam egredientem aggredieris. Sed antequam videamus aggredientem, attendamus

damus illum dolentem, deprecantem, ſanguineum ſudorem emittentem.

Cœpit tædere. Aliqui dicunt, illud (*cœpit*) non ſumi pro (*incepit*,) ſed idem eſſe quod (*accepit*,) eodem modo quo ſumitur illud, *Ego dormiui, & ſomnum cepi.* Sic quòd Euangeliſta dicit, quòd Dominus *cœpit pauere & tædere*, ac ſi diceret: *Accepit Dominus pauere & tædere, ſiue pauorem, ac mœſtitiam.* Cur autem hæc acceperit, indicat Caietanus, dum ait. Voluit Dominus nó ſolùm exteriùs pati crucem & mortem, ſed etiam interiùs prouenire cruciatum meditationis triſtitiæ & timoris futuræ paſſionis & mortis, vt omnia noſtra mala experiretur. Et Ambroſius. Ergo pro me doluit, In cap. 22 Luc. qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur. Ideo Dominus hic voluit tædere, vt aliquando poſſimus gaudere: noſtrum accepit tædium, vt daret nobis ſuum gaudium.

Obſeruat Euangeliſta Chriſtum non cœpiſſe triſtari, niſi poſtquàm aſſumpſit Petrum, & duos filios Zebedæi: ait enim, *Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit triſtari, & mœſtus eſſe; tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea*, &c. Hinc colligitur, quòd tunc cœperit triſtari, quando cœpit incarnari, quando humanam aſſumpſit naturam. Qui ſolus lætitiam vniuerſis infundebat creaturis, qui cuncta creauit & recreabat, vbi hos diſcipulos, id eſt, vbi humanam naturam aſſumit, metu & mœſtitudine repletur. Audiamus Diuum Hilarium. Aſſumpto Petro, & Ioanne, & Iacobo Can. 31. in Matth.

cœpit

cœpit triſtis eſſe: ergo non antè triſtis eſt, quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis: non de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumpſerat, mœſtitudo.

Pergo, & dico: Non mortem expauet Dominus, non ingentia tormenta, non rabiem inimicorum timet. Quid ergo? Reſpondet idẽ Doctor. Metuit ne ſe Deum abnegent diſcipuli, quem cæſum, & conſputum, & crucifixum eſſent conſpecturi. Ita Chriſtus ſuos amabat, vt in paſſione nihil magis timeret, quàm eorum periculũ. Nollet eo ab ipſo illos recedere, quo debent ad eum accedere; & eo ab ipſis negligi, quo debuit ab ipſis diligi. Nam ſecundùm D. Bernardum, Chriſtus Ieſus tantò nobis debet eſſe charior, quantò pro nobis factus eſt vilior. Non ideo debemus illum ſpernere, quia Iudæi eum ſpreuerunt: nec vnquam derelinquere, licèt eum aliquando dereliquerint diſcipuli.

Bernard.

Triſtis eſt anima mea, &c. D. Aug. oſtendit quomodo triſtabatur, dum ait. Non animi infirmitate, ſed poteſtate turbabatur, & triſtabatur. Non ſuſcipiens, ſed ſuſcepta natura triſtabatur. Contriſtabatur nõ timore patiendi, qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat. Dolebat peccata noſtra, damna noſtra. Audiamus Ambroſium Domino loquentem. Doles, Domine Ieſu, non tua, ſed mea vulnera, nõ tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem. Quomodo perditionem & mortem æternam multorũ non dolebit, qui vnius mortẽ temporalem doluerat? Hoc obſeruat idem Doctor. Quid mirum quando pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? &

Tract. 49. in Ioan.

In Matth.

In cap. 22. Luc.

Ibidem.

quid

quid mirum, ſi moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazaru reſuſcitaturus illacrymat: Audi ergo quid doleat, & cur triſtetur. Contriſtabatur, ait Hieronymus, propter infeliciſſimum Iudam, & ſcandalum Apoſtolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euerſionem miſeræ Hieruſalem. Hieron.

Videbat enim Iudam ad ſe venientem; *Ecce,* inquit, *appropinquat qui me tradet.* Non mirum ſi triſtetur, cùm prædicens eius proditionem turbaretur. Audi Ioannem; *Cùm hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet.* Turbabatur, quia in illum ferre ſententiam cogebatur, *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur.* A condemnatione iſtius proditoris exhorret ipſa Dei caro, omnes diſcipuli iacent conſternati; vnus proditor impauidus & ſecurus manet, adeò vt de ſe interrogauerit Chriſtum, *Nunquid ego ſum Rabbi?* Et nunc dux iſtorum militum præcedit, atque impudenter Magiſtrum ſalutare & oſculari præſumit; *Aue Rabbi.* Videns itaque Chriſtus illius impudentiam, ſimul & malitiam, nec propterea illum moueri, triſtabatur, quòd etiam ipſe non triſtaretur, nec turbaretur. Hoc damnans D. Leo, ſic ipſi loquitur. Tu autem in hac trepitudine Sanctorum, abuteris Domini patientia, & abſcondit te tua cordis audacia. Iudæ delictum lacrymatus fuit quando, teſte Ioanne, *turbatus eſt, & dixit; vnus ex vobis tradet me.* Nunquam turbabatur, propter quem Chriſtus turbabatur. Hoc etiam D. Chryſoſtomus mirabatur. Traditus pro traditore dolet; & proditus pro proditore turbatur. Ioan. 13. Serm. 7. de Paſſ. Homil. de proditione Iudæ.

Exiſti

Exiſtimabat miſer ille ſe eſſe inculpabilem, quia ſe exhibebat audacem : ſtat intrepidus, quando milites ceciderunt. Solent impij trepidantibus cunctis creaturis, atque triſtantibus ob ſua peccata, non expaueſcere, imò lætari, exiſtimantes ſuum facinus ab omnibus ignorari. Sic ſe geſſit primus ille reproborum Cain, de quo ſic D. Zeno. Miratur orbis, mirantur elementa hominem, cùm factus ſit ad Dei imaginem, poſſe iugulari, & hoc à fratre, erubeſcit terra rudis pio ſanguine; ſolus Cain exultat infelix, quòd teſte careat putat ſe caruiſſe facinore; quem Deus videt, quem conſcientia coarguit, quem foris ſanguis accuſat. Sic Iudas Caini imitator, triſtante Chriſto, triſtantibus etiam Apoſtolis, & præ triſtitia dormientibus, ſolus ipſe lætabatur, ac impudenti ſecuritate Chriſtum ſalutabat, eúmque oſculabatur. His ſimiles ſunt impij, qui dolentibus omnibus creaturis, lætantur, & gloriantur cùm malè fecerint.

Serm de timore.

Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Obſerua *(vſque ad mortem,)* & non *(propter mortem.)* Rationem huius aſſignans Diuus Paſchaſius ait. Quoniam aliud eſt, vſque ad id, & aliud, ob id mœſtum eſſe: quia, vbi propter mortem triſtitia eſt, illic ipſa mors cauſa triſtitiæ eſt: vbi verò vſque ad mortem eſt, ibi mors non iam cauſa, ſed finis eſt: quia quod in finem eſt, cauſam mortis non facit. Non fuit mors in Chriſto cauſa, ſed finis triſtitiæ; idcirco non propter mortem, ſed vſque ad mortem triſtabatur. Peccatores verò propter mortem triſtantur,

In Matt. 27.

tur, quia debitores mortis declarantur, eíque ſubiacent. Chriſtus Ieſus voluntate moritur, nos neceſſitate:ille miſeratione,nos conditione. Vnde quærens idemDoctor,quomodo Centurio illum in Cruce morientem agnouerit dicens, *Verè filius Dei erat iſte*.Reſpondet,quia voluntariè moriebatur. Et D. Baſilius Seleucienſis expendens illa verba, *Ecce aſcēdimus Hieroſolymam*, &c. ait quòd Chriſtus venit quidem mortem quæſiturus, non tanquam debitor, ſed tanquam exactor. Increpat Seneca illum qui timet mortem. Quid fles miſer? quid trepidas? omnes hac neceſſitate ducuntur, eò ibis quò omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri,hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Verùm ille non timebit mortem,qui non committit quod cauſa eſt mortis, nempe peccatum; vel ſi commiſerit, pœnitentiam egerit. Cùm itaque in Chriſto nihil eſſet, quo mortem timeret, non potuit mors eſſe cauſa triſtitiæ, ſed finis. Ideo *erat triſtis vſque ad mortem*, non *propter mortem*. Ibidem. In illa verba, *Ecce aſcēdimus Hieroſolymam.* Epiſt. 17.

Præterea, & propterea Chriſtus triſtatur, vt cùm triſtamur, doceat nos quid agere debeamus; in illa enim triſtitia orauit Patrem æternum.Idem nobis eſt agendum. Audi Apoſtolum, *Qui triſtis eſt, oret*. Qui triſtatur recurrat ad orationem, non ad deſperationem, vel murmurationem. Sic, inquit Auguſtinus, ſe exhibuit Chriſtus precatorem,' vt meminiſſet ſe noſtrum eſſe doctorem. Triſtis orauit, vt doceat nos orare dum triſtamur. Nondum Dauid audierat Dominum triſtantem, & orantem, & tamen in Iac. 5. 13. Tract. 104.

triſtitia conſtitutum iam eum exhibet deprecantem: *In die tribulationis mea Deum exquiſiui. In tribulatione mea inuocaui Domini.* Si quis triſtatur, quodammodo conſolatur, ſi cum viro aliquo cordato loquatur, quantò magis ſi cum
Homil. 30. in Geneſ. Rege, ſi cum Deo? Hæc ratio eſt D. Chryſoſtomi. Si quis homini virtute prædito loquatur, non paruum inde fructum percipiet; quantis bonis fruetur is cui cum Deo colloquium fuerit? Oratio enim, colloquium eſt cum Deo.

Et cùm proceſſiſſet paululùm, procidit ſuper terram, & orabat. Chriſtus Patrem oraturus humi proſtratur. Quare? vt doceret orationem gratius à Domino exaudiri, ſi humili, & aliquo modo pœnali corporis habitu fiat: quia Iudex futurus erat, humi proſtratus orans addiſcebat, quorum orationes dignæ ſunt, quæ libentiùs exaudiantur. Hoc meliùs intelliges, ſi attendas, quid
Geneſ 45. apud Philonem dixerit Ioſeph fratribus ſuis, dum in dignitate conſtitutus manifeſtaret ſe
Philo. illis, & eos pauentes conſolaretur. Hunc caſum, inquit, non vobis imputo, ſed Deo, qui me ſuorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorũ miniſtrum, executorémque eſſe voluit. Quaſi diceret: Quia Deus volebat me in tantam dignitatem promoueri, permiſit vt affligerer, humiliarer, vinculis & egeſtate premerer, & in illo ſtatu orarem; & ita exaudirer, vt afflictorum preces notarem, & prænoſcerem, quibus poſtmodum ex regni ſolio aures præberem attentas: quia autem video vos fame, aliiſque laboribus premi, méque orare, vt vobis ſubueniam, ideo libenter exaudiam

vos;

vos; ſcio enim afflictorum preces facilè à Deo exaudiri.

Sic diuinè actum eſt, vt Chriſtus Iudex futurus omnium, oret triſtis,& humi proſtratus, vt poſtea difficillimis temporibus ſciat, quorum preces & orationes gratiùs exaudiat. Etenim ea eſt efficax oratio,quæ fit humiliato corpore, & afflicto animo.Diuus Cæſarius Arelatenſis dum Chriſtum orantem conſiderat, ſic noſtram ſuperbiam increpat. Quid indigebat Chriſtus, vt taliter ſupplicaret? Non ille quidquam indigebat, ſed nobis ſuo exemplo orationis remedia præparabat: orat miſericordia, & non orat miſeria:orat charitas, & non humiliatur iniquitas: proſtratus in terra orat Medicus, & non inclinatur ægrotus: orat innocentia,& non orat nequitia:orat qui peccatum non fecit, & non proſternitur multis peccatis obnoxius:orat Iudex,& deſiderat parcere, & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere. Hom.29.

Præterea dolores,labores & Crucem paſſurus Chriſtus *procidit ſuper terram:* vt oſtenderet adeò eſſe pretioſa flagella,tormenta,& alia aduerſa, vt excipienda ſint à nobis ſimili humilitate, & reuerentia, qua Sacramenta. Hoc patet in illa prohibitione, quæ olim Moyſi ad flammantem rubum accedenti facta eſt; ſic enim illum vox commonefecit. *Ne appropies huc:ſolue calceamentum de pedibus tuis:locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Exod.3.

Cur iuſſit Dominus, vt Moyſes calceamenta deponeret? Reſpondet D.Theodoretus, vt religioſiorem hac ratione redderet.Ibi erat ignis,ibi Quæſt.7.

ſpinæ; non debuit ergo Moyſes ad ignem, ad ſpinas, ad crucem, & ad dolores accedere, niſi nudis pedibus, & maxima cum reuerentia; ſic enim excipiendæ ſunt calamitates, cùm a Domino mittantur. Fallor, niſi huc ſpectauerit Gregorius Nazianzenus, dum ait. Præclare nobiſcum ageretur, ſi humeros ſanctitate imbuerimus, ac purgauerimus, vt Chriſti crucē tollere queant, non quibuſlibet humeris facilè tollendam. Vt pectus, animúmque mundari, & ſanctitate parari iubebat, ad corporis & ſanguinis Dominici Sacramentum excipiendum: ſic humeri parentur neceſſe eſt, vt laboris cruciformis & ærumnarum excipiat Sacramenta.

Orat. in ſanct. Bapt.

Eſt itaque eadem ferè neceſſaria animi reuerentia & præparatio ad labores ſubeundos, quæ ad Sacramenta ſuſcipienda. Proprium eſt Sacramentis, aliud exteriùs apparere; aliud in rei veritate eſſe. Apparet, verbi gratia, Euchariſtia panis & vini ſpecies; ſed reuera eſt Chriſti corpus & ſanguis. Sic cruciatus, ſic opprobria apparent ſub accidentibus malorum; at in illis non accidentia horrenda extrinſecus apparentia, ſed videte rem veram, ſcilicet gloriam illorum veram, quæ Sacramentorum referat ſpeciem. Noli attendere tribulationem, quæ eſt veluti accidens & ſpecies, ſed conſidera illum, qui eſt in tribulatione. Quem non vides, credas; nónne audis illum dicentem? *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Vides tribulatum, ſed non eum qui eſt cum tribulato, nempe Deum: de quo ſic idem Pſalmiſta, *Iuxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Vnde ſic hortatur D. Auguſtinus, Noli timere quando tribularis, ne

Pſal. 90. Pſal. 33. In Pſal. 90.

ne quaſi non ſit Deus tecum : fides ſit tecum , & Deus eſt tecum in tribulatione. Cùm igitur Deus ſit in tribulatione,para te ad excipiendam tribulationẽ,ſicut ad ſumenda Sacramenta. Non mirum igitur ſi Chriſtus ſuſcepturus flagella, opprobria,mortem denique Crucis, *procidit ſuper terram*,atque Patrem ſic orauit.

Pater, ſi poſſibile eſt,tranſeat à me calix iſte,veruntamen non ſicut ego volo , ſed ſicut tu. Quæritur , an Chriſtus aliquam habuerit voluntatem diſcrepantem à Patris voluntate,cùm dixerit: *Pater,ſi poſſibile eſt , tranſeat a me calix iſte.* Volebat enim Pater illum mori ; ipſe autem videbatur nolle mori:Ergo alia erat Chriſti voluntas a Patris voluntate.Reſpondetur breuiter, illam Chriſti voluntatem , qua mortem renuebat , fuiſſe conditionalem : non enim dicebat apud ſe, nolo mori,ſed nollem mori, ſi fieri poſſet:ideo ſubiungit, *ſi poſſibile eſt* , quod, teſte Auguſtino, idem valet quod,*ſi vis*. Lib.3. de conſ. Euangel.cap.4.

Obiicies:Cùm Chriſtus ſciret eſſe Deo poſſibile transferre huiuſmodi calicem , vt ipſe apud Marcum fatetur, *omnia tibi poſſibilia ſunt* ; & cùm Marc.14. perſpecta fuiſſet ei voluntas Patris , cur addidit, *ſi poſſibile eſt*, vel,*ſi vis* ; cùm hæc ſint verba ignorantis,aut dubitantis, & non omnia cognoſcentis?Reſpondeo, Chriſtum in hac oratione ita locutum fuiſſe,ac ſi prorſus fuiſſet hoom , cui neque diuina voluntas cognita eſſet , neque ſatis eſſet ei fortitudinis ad mortem ſuperandam. Relinquebatur natura humana partes ſuas agere,quemadmodum egiſſet , ſi nec de diuino decreto quicquam ſciuiſſet. Vnde Athanaſius. Athanaſ.

Chriſtus in occulto habuit ſuam diuinitatem: atque ideo circa tempus mortis anxius eſſe, & mœrere cœpit, & obſecrabat calicem tranſire. Propterea non eſt mirandum, ſi per modum dubitantis,& ignorantis locutus fuerit, licèt Patris poteſtatem & voluntatem agnoſceret.

Quæres præterea: vel illa voluntas Chriſti, qua mortem reſpuebat, erat bona, vel non: ſi bona, quare non fiebat? ſi non bona, quomodo erat Chriſti? Hanc quæſtionem mouet D. Bernardus, illámque deuotiſſimè ſoluit. O Domine, inquit, voluntas, de qua dixiſti, vt non fieret, ſi bona non erat, quomodo tua? ſi bona erat, quare derelicta eſt? Et bona erat,& eius erat, neque tamen minùs relinquenda; ob hoc videlicet, vt fieret melior: neque enim oportebat propria præiudiciare communibus. Erat ergo voluntas Chriſti, & bona erat, qua dicebat; *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*: ſed ea,de qua dicebat, *fiat voluntas tua*, melior erat, quia communis non ſolùm Patris, ſed & Chriſti,& noſtra. Hæc voluntas Patris erat, vt videlicet haberet, quos adoptaret in filios: Chriſti erat, noſtra erat, quia pro nobis faciebat vt redimeremur. Hæc de Chriſti voluntate, quibus docemur, quomodo tandem diuina voluntas præferenda, illique noſtra in omnibus conformanda ſit.

Serm. 3. de Reſurrect.

Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Dicunt aliqui, quòd dictis à Chriſto Patri cœleſti his verbis: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*, ſtatim iuxta Iſaiæ vaticinium, Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Quid iniquitate grauius? Audi dicentem, *Iniquitates*

Luc. 22. Iſai. 53.

tes meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Si iniquitates vnius hominis erant onus graue, quid omnium noſtrûm iniquitates ? quid mirum ſi ſudor emanet ſanguineus ? Si ſuper racemum imponatur magnus aliquis lapis, aut aliud pondus, nónne ſtatim ſuum emittet liquorem? Cui aſſimiletur Chriſtus, dicat ſponſa : *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Cant. 1. Premitur iſte botrus maximo noſtrorum peccatorum pondere, ideo *factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis*, &c. Vnde Diuus Irenæus ait Dominum Lib. 3. cap. 32. ſudaſſe globos ſanguinis. Tot erant globi quot guttæ ſanguinis : quia tot onerabatur globis quot premebatur iniquitatibus. Ecce igitur diuiniſſimus Athlas peccatorum noſtrorum onuſtus globis, qui reddunt illum ſuadentem globos ſanguinis.

Ex ſudore illo ſanguineo colligimus quanta fuerit acerbitas tormentorum, quæ reuera Chriſtus poſtea paſſus eſt, cùm illorum tantùm apprehenſione & recordatione ſanguinem ſudauerit. Quantam ſanguinis copiam extrahent flagella, ſpinæ, claui, cùm horum ſola memoria iam globos emittat ſanguinis ? Hoc piè meditabatur venerabilis Beda. O dulciſſime Do- Serm. de paſſ. mine Ieſu, quanta fuit paſſionis tuæ acerbitas iam exhibitæ, cuius adhuc abſentis diſtincta apprehenſio ita naturam terrendo concuſſerat, vt ſudare ſanguinem cogeretur ? Vnde Egeſip- Egeſip. apud Boſq. in Theat. pus Apoſtolorum diſcipulus refert, quòd rigatione ſanguinis ex Chriſti corpore in horto decidentis arbor erupit, cuius ſingula folia hanc habebant inſcriptionem : *ô mors, quàm amara eſt*

memoria tua. Fuit mors Chriſti amariſſima, cùm fellis amaritudine fuerit præuenta, & quam multa amariſſima tormenta præceſſerint. Hoc attendens D. Bernardus, ſic in amaritudinem peccatorum noſtrorum inuehitur. Væ tibi amaritudo peccatorum noſtrorum, propter quæ ſoluenda, tanta amaritudo neceſſaria eſt, ſcilicet amaritudo flagellorum, alaparum, ſputorum, opprobriorum, amaritudo fellis, amaritudo mortis; ac amaritudo horum amaræ memoriæ. Ex his elicere licet, Chriſtum Dominum bis ſingula tormenta, & mortem ipſam pertuliſſe, ſemel apprehenſióne, & iterum re ipſa: ſemel in horto, & iterum in monte Caluariæ. Quod claui, & lancea fecerunt in Cruce, hoc fecit in horto memoria Crucis.

Serm. 2. in Ram. Palm.

Factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram. Sciebat Chriſtus homines peccare non tantùm operatione, ſed & cogitatione: ideo non tantùm per paſſionem exhibitam, ſed & illius cogitatione & recordatione voluit ſuum fundere ſanguinem, quo peccata, & opere completa, & animo concepta ſoluerentur. Sed vide pecator, iſte *ſanguis decurrit in terram*: non manet in terra, ſed currit. Tibi igitur eſt currendum, non quieſcendum. Curre poſt currentem, vt illum apprehendas, & eo abluaris. Audi hortantem. Quid ſtas ô anima, accurre, ſuauiſſimas illas guttas lambe; noli dormire cum Petro, ne merearis audire; *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Caue, inquam, ne tibi meritò à Chriſto, ſponſo ſanguinis, dicatur illud Ezechielis; *Nimio labore ſudatum eſt, &c. Immunditia*

D. Anſelmus.

Ezech. 24.

ditia tua execrabilis eſt, quia mundare te volui, & non es mundata a ſordibus. Non mundaris, quia non curris, ſed moraris; id eſt, non bene operaris, & vti Sacramentis non dignaris. Væ animæ illi, quæ cum multis peccatorum maculis inquinetur, hoc ſanguineo ſudore renuit lauari.

Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis, &c. Iſte ſudor fuit veluti fletus. Tot è Chriſti corpore emanarunt lacrymæ, quot guttæ ſanguineæ. Dicunt Naturaliſtæ dari aliquem ſerpentem, qui Hæmorrhois appellatur à ſanguinis fluxu: nam αἷμα ſanguis eſt, ῥέω, fluo: hic ſi quempiam momorderit, ſanguine totum cruentat: vnde Lucanus de eo, cui Hæmorrhois morſum inflixerat, ſic ſcribit.

Sanguis erant lacrymæ, quæcumque foramina nouit
Humor, ab his largus manat cruor, &c.

Huic ſerpenti ſimile eſt peccatum. Innumeri ſerpentes in horto Gethſemani Chriſto inflixere morſus, innumera peccata illum mordebant, ideo ſudor ſanguineus veluti lacrymæ emanauit. Toto corpore lacrymatur Dominus; erant enim tot mala, tot ſcelera quæ deplorabat, vt non ſolùm oculorum, ſed totius corporis lacrymis fuerint deploranda. Hoc obſeruauit D. Bernardus. Vſque tertiò factus in agonia orabat, vbi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur, vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius lacrymis corporis purgaretur, &c. Pudeat nos, ſi ſaltem oculis non lacrymemur, cùm Chriſtus toto fleuerit corpore. Serm. 3. in Ram. Palm.

Transfer calicem hunc à me. Non recuſat mori,

qui ideo vt moreretur, homo factus eſt: ſed petit vt non bibat calicem à Iudæis præparatum & propinatum, nec illam ſubeat mortem quam ipſi inferre decreuerunt, non quòd recuſet pati, ſed nollet pati, ſi ob id alij debeant pati. Hæc Hieron. excogitatio eſt D. Hieronymi, hæc verba exponentis. Poſtulat, inquit, non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & ſignanter non dixit: Tranſeat à me calix, ſed, calix iſte; hoc eſt, populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.

Ambroſ. Idem ſentit D. Ambroſius, dum ait. Triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos: & ideo dixit: Transfer calicem hunc à me; non quia Dei filius mortem timebat, ſed quia nec malos perire volebat. O immenſam Chriſti Domini bonitatem, qui triſtatur, non quòd ipſe, ſed quòd ab ipſis patiebatur: volebat quidem mori pro ipſis, ſed non ab ipſis, ne illud eſſet eis exitiale, quod futurum erat omnibus ſalutare. Idcirco inſtante morte pro illis precabatur à quibus patiebatur. Ne, inquit idem Ambroſius, exitialis eſſet populo paſſio ſua, futura omnibus ſalutaris.

Dederat autem traditor eius ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, &c. Quo commodiori ſigno potuit tradi Chriſtus, qui charitatis ardore inflammatus, pro hominibus mortem ſubibat, quàm oſculo, quod eſt ſignum chari

charitatis? Quo aptiori ſigno ſignari potuit, qui pro pace inter Deum & homines facienda ad Crucem properabat, quàm oſculo, id eſt, ſigno pacis?

Cur Chriſtus permiſit, vt eum Iudas oſcularetur? Primò, vt oſtenderet ſe eſſe filium Dei: iam enim de populo Iudaico dictum fuerat à Domino per Prophetam, *Populus hic labys me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Iſai. 29. Finxit Iudas ſe labiis Chriſtum velle honorare, ſalutando, & oſculando; *Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum:* veruntamen cor eius longè erat ab eo. Hæc ratio eſt Tertulliani, qui ſic ait. Debuit etiam tradi propheticus, ſcilicet Chriſtus, vt eius ſcilicet filius, qui labiis à populo diligebatur. Lib. 4. contra Marc. cap. 41. Ac ſi dicat: voluit Chriſtus tradi oſculo pacis, vt cognoſceretur filius eius, ſcilicet Patris & Domini, qui labiis à populo diligebatur. Dedit itaque *traditor eis ſignum.* Signum, inquam, quo filius Dei agnoſceretur, licèt hoc non intenderet Iudas, qui ideo illum oſculabatur, vt traderetur, non vt filius Dei agnoſceretur. Ille itaque oſculando Dominum, atque ita labiis tantùm honorando, oſtendit ſe eſſe ex illo populo, qui Deum Patrem labiis tantùm honorabat: Chriſtus autem admittendo huiuſmodi oſculum, declarabatur eſſe filius illius Patris.

Præterea, ideo accepit Ieſus Iudæ oſculum, vt ſuum erga Iudam manifeſtaret deſiderium. Vnde ait ei, *Amice, ad quid veniſti?* Quaſi diceret: Huc veniſti, vt me oſculeris; & ego veni, vt ſalueris. Tibi ſemper ego ſum Saluator, licèt tu ſis mihi proditor. Cùm oſculatio ſit ſpiri-

tuum communicatio, accipe hoc oſculo quod ego tibi communicare deſidero, nempe ſalutem; ſicut eodem oſculo ego accipiam, quod tu mihi conferre vis, ſcilicet proditionem: ego volo te eripere, & tu me vis tradere, *Ad quid veniſti?* Sed inde Iudas ſua malignitate ſumpſit perniciem, vnde potuit ſumere ſalutem. Cum enim Chriſtus nihil niſi ſalutem eructet & redoleat, poterat Iudas hoc oſculo ſalutem ſibi comparare.

Luc.7. Meritò Dominus Simoni Leproſo, qui ipſum inuitauerat, ſic exprobrauit; *Oſculum mihi non dediſti.* Sanè à lepra fuiſſet mundatus, ſi ipſum fuiſſet oſculatus. Hoc obſeruauit D. Gregorius Nyſſenus, dum ſic ait. (Homil. 1. in Cant.) Reuera fuiſſet mundatus ab ægritudine, ſi ore attraxiſſet puritatem. Hauſiſſet quaſi ex Dominico ore ad ſanitatem poculum, ſi Dominico ori dediſſet oſculum. Non enim lepra Dominico horrori eſt. Meritò etiam increpatur Iudas, non quòd non oſculetur, ſed quòd oſculo non ſanetur; vnde ait ei Ieſus: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Quaſi dicat: Hoc oſculo tibi non prodes, quia prodis. Alij me oſculando mundarentur; & tu inquinaris, quia malo me animo oſcularis. Vnde exclamat Serm.121. D. Auguſt. O ſignum ſacrilegum, vbi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur ſacramentum!

Dederat traditor ſignum eis, &c. & id ſignum, quo à nulla creatura læderetur. Obſeruat Diuus Hieronymus, (In Matth. 26.) iſtud ſignum, illud idem fuiſſe, quod Dominus olim Caino dederat, ne interficeretur. Hæc ſunt eius verba. Tradidit Iudas

Chriſtum

Chriſtum perſecutoribus per ſignum oſculi: hoc eſt ſignum, quod poſuit Deus in Cain, ne quicunque inueniſſet, occideret eum. Peccauit Cain occidendo fratrem, propter quod timuit, ne in illum irruerent omnes creaturæ, tantúmque ſcelus vindicarent: veruntamen *poſuit Dominus in Cain ſignum*; ſignum, inquam, pacis, quod quidem ſignum veritæ creaturæ, Caino pepercerunt, nulla in eum inſurrexit, licèt ipſe omnes pertimeſceret. Geneſ.4.

Signum Caini fuit in Iuda inſtauratum: etenim vbi Chriſtus Dominus illi oſculum pacis exhibuit; ſignum in illo poſuit, & eleuauit, ne creatura auderet proditori inferre manus. Adeò pacem à Chriſto iuratam & ſtabilitam cum proditore vniuerſæ creaturæ obſeruarunt, vt niſi ipſe ſe interficeret, à nemine læderetur. Volebat Dominus parcere Iudæ, ſed Iudas ſibi non pepercit. Nulla creatura auſa eſt Iudæ officere, cui Chriſtus tantum exhibuerat ſignum pacis; ipſe ſolus violentas ſibi intulit manus. Vnde ad illum ſic Diuus Leo. Tibi, ô Iuda, tua pœna commiſſa eſt. Tu vnus tibi intuliſti, quod nullus tibi inferre auſus eſt. Quia tu vnus perpetraſti, quod nemo alius. Hoc attendens Diuus Chryſoſtomus, ſic illum alloquitur. Guttur profanum, quod hodie Chriſto extendis ad oſculum, craſtino illud extenſurus es ad laqueum. Propter illam pacem quam Chriſtus tecum iniuit, quando oſculatus es illum; nullus erit, ô Iuda, qui te ad ſupplicium trahat, qui tibi noceat: tu tibi necem parabis. Serm.16.de Paſſ. Serm.1. de prod.Iud.

Aue

Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum. Videtur Iudas meliùs fuiſſe Chriſto precatus, quàm Chriſtus Iudæ. Sic enim Chriſtus de Iuda dixerat; *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Iudas verò nunc Chriſtum ſic alloquitur, *Aue Rabbi.* Chriſtus dixit *Væ*, quod ſonat maledictionem: Iudas dicit *Aue*, quod ſonat ſalutationem. Verùm ſalubrius erat *Væ* Magiſtri, quàm *Aue* diſcipuli. Ideo enim Chriſtus dicebat *Væ*, ne Iudas vllo feriretur *Væ*: minabatur Dominus damnationem, & maledictionem, ne Iudas damnaretur, & malediceretur. Iudas verò dicebat *Aue*, non vt Chriſtum ſalutaret, ſed vt illum indica-
Prou. 27. ret, & traderet. Dicat nunc Sapiens: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Melius ergo fuit illud Domini *Væ*, quàm Iudæ *Aue*: ſalubrior erat Domini maledictio, quàm Iudæ ſalutatio. Iudas à Chriſto maledicebatur, ne malediceretur: & Chriſtus à Iuda ſalutabatur, vt caperetur & ligaretur. Vnde in Iudam
In Luc. cap. 22. ſic inuehitur Diuus Ambroſius. Amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio ſanguinem fundis? & pacis inſtrumento mortem irrogas? Seruus Dominum, diſcipulus prodis Magiſtrum? Hoc eſt illud: dulciora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.

Oſcula certè ſummæ beneuolentiæ ſigna ſunt, quæ ſolent nonnunquã ex fraude libari. Exemplo ſit Amaſa, quem propiùs euocatum, & oſculo exceptum Ioab gladio confodit: & nunc Iudas, qui oſculo proditionis ſuæ facinus perfecit. Sanè homines iſtos, qui falſa amicitiæ ſpecie veluti exoſculantes, deludunt proximos ſuos,

à pha

à phalangiis nihil diſſidere exiſtimo. Audi Clementem Alexandrinum. Eſt autem aliud quoque oſculum, inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans. An neſcitis, quòd etiam phalangia, ſi ore tantùm tangant, graues dolores hominibus afferant? Eſt autem phalangium araneorũ genus maximè virulentum, quod ore carnem attingens, dolorem grauem immittit, ac virus tranſfundit. Eiuſmodi erat Iudas, de quo ſic D. Chryſoſtomus. Venenum habebat os eius, malitiáque impleta erat lingua eius. Huic conuenit illud Ouidianum: Lib 9. Pædag. cap. 1. Hom. de ferend. reprehenſ.

Illud amicitiæ ſanctum & venerabile nomen
Nunc tibi pro vili, ſub pedibúſque iacet.

Amice, ad quid veniſti? Illum Dominus vocat amicum, quia illum diligebat, licèt ab eo non diligeretur. Amicum appellat, vt innuat ſe etiam ab amicis, ac proinde quæ moleſtiſſima ſunt, pati. Eſt autem moleſtiſſimum ac toleratu difficillimum tradi, aut iniuriis affici ab amico, aut ab eo qui putabatur amicus. Quid in hæc verba, *Si inimicus meus maledixiſſet mihi*, &c. dicat Diuus Theodoretus, audiamus. Omnium moleſtiſſimum mihi videtur, virum familiarem, ſodalem & conuictorem factum, res inimicas & hoſtiles facere. Licèt inuiſum & exoſum ſit proditorum genus, ab eo tamen Dominus dignatus eſt pati. Quare? Reſpondeat D. Ambroſius. Voluit Chriſtus ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudicium, periiſſe beneficium. Quid mirum, ſi aliqui, nõ obſtantibus beneficiis, quibus eos afficimus, Pſal. 54. Lib. 5. in Luc. cap. 6.

nos tradant, cùm Iudam à proditione non reuocauerint tot beneficia ei à Chriſto collata ? De illo ſic D. Hieronymus. Iudas de Apoſtolatus faſtigio in proditionis tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intinctione buccellæ, nec obſequij gratia frangitur, ne hominem traderet, quem filium Dei nouerat.

Epiſt. 1. ad Ruſticum.

Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum. Quid apud Ieremiam Dominus queribundus dixerit, valdè eſt obſeruandum, *Venatione ceperunt me quaſi auem inimici mei.* Vt aues capiantur, laquei, & illices, ſiue eiuſdem vocis aliæ parantur: fuit Chriſtus veluti auis, Iudas quaſi illex: miniſtri Iudæorum gerebant laqueos. Cantauit illex, quando dixit; *Aue Rabbi.* Tunc, teſte Ioanne, diuinus ales *proceſſit*, & vltrò ſe obtulit, & illaqueatus eſt: nam *miniſtri Iudæorum comprehenderunt, & ligauerunt eum.* Huc ſpectabat Diuus Paſchaſius, dum de Chriſto ſic ſcribebat. Ergo ipſe eſt Aquila, quæ dum prouocat pullos ſuos, ſcilicet Iudæos, ad volandum, expandit alas ſuper eos, & aſſumpſit, atque portauit in humeris ſuis, laqueo eorum captus eſt in inſidiis.

Ioan. 18. Thren. 3. Ioan. 18. Lib. 3. in Thren.

Sirenes tanta canebant dulcedine, vt, ne illarum modulationes præterirent homines naufragiis ac miſerabili laniationi ſeſe exponerent. Qua de re ſic Caſſiodorus. Sirenes in miraculum cantaſſe curioſa prodit antiquitas; & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbaſa ventus inflaret, eligebant ſuauiter diſcerpi, in ſcopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire. Nouerat quidem Dominus crudeliſſimæ fraudis

Lib. 2. variar. ep. 40.

fraudis & fictæ pacis oſculum, ac amicitiæ ſimulationem, tamen adeò illi dulcis erat amicitia cum hominibus, vt, ne illius ſignum prætetiret, elegerit ligari, & comprehendi ab impiis Iudæis, & crudeliſſimam ſubire lanienam.

Infandam Abneri mortem fraudulẽter à Ioab occiſi, ſic Dauid lamentabatur: *Manus tuæ non fuerunt ligatæ, nec pedes tui in compedibus, coram viro iniquitatis cecidiſti.* Quæ verba in rem præſentem expendens Theodoretus, ait. Non in acie es ſuperatus, & tanquam bello captus, es ligatus: ſed ſimulatio amicitiæ tibi vulnus intulit. O ſumme & fortiſſime Rex Chriſte, ecce quali aſtu caperis, non aperto Marte, non in bello, ſed diſcipuli ore & voce, ſed amicitiæ illice, ſed beneuolentiæ ſigno. 2.Reg.3. Quæſt.13.

Si quæras, quis tantam habuerit fortitudinem, vt ligare potuerit hominem Deum. Reſpondeo cum Propheta, *Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Hunc locum de Chriſto ad litteram intelligunt Clemens, Irenæus, Iuſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Tertullianus. Nam littera Hebræa habet *Iehouah*, id eſt, Deus, vt ad eum more prophetico ariolet Ieremias, quaſi ad clauſulam ſuarum lamentationum. Ac ſi diceret: poſt omnes has calamitates, illud vltimò maximè lamentandum venit, quòd gens noſtra in Chriſtum Meſſiam manus iniiciet, capiet, ligabit, percutiet & crucifiget; & hæc omnia patietur Dominus pro peccatis noſtris. Et licèt Deus hoc ita euenturum præſciat; tamen, ex immenſo ſuo erga nos amore, hæc omnia permittet: imò nunc à captiuitate Babylonica liberabit nos, & Thren.4.

poſtea

poſtea per illam mortem, quam ipſi Chriſto eius filio afferemus, eripiet nos à captiuitate diabolica.

Peccata ergo noſtra ſunt quæ Chriſtum ligarunt, cùm propter peccata noſtra ſe ligari permiſerit: capitur, vt dimittaris; ligatur, vt ſoluaris, traditur, vt redimaris. Nunquid, ait D. Ambroſius, tua vincula poſſent illum tenere, quem cœli non poſſunt capere? Non venit, vt ſe liberaret qui ſub ſeruitute non erat, ſed vt nos de ſeruitute redimeret. Dico præterea, ideo Chriſtum voluiſſe ligari, vt oſtenderet ſe nos ad pœnitentiam expectare: nam ſi ſolutus eſſet, & amor vincula illa, quibus eum aſtrictum tenet, tantiſper laxaret, quomodo iuſtam de nobis omnibus vindictam non ſumeret?

In Matt. 27.

Et ligauerunt eum. Non leuis cenſetur ignominia, ſi aliquis ligatis trahatur, aut ducatur manibus; imò viris ingenuis hoc horribilius eſt morte. Magnus ille Alexander olim ſagitta ſibi immiſſa ſauciatus, noluit permittere ſe ligari, vt extraheretur ſagitta; ſed Medicis id ei propter periculum mortis conſulentibus, reſpondit; *Non decet vinciri Regem.* Laudatur Priamus apud Senecam à puellarum choro, quòd nunquam fuerit ligatus, ſic enim canebant: *Non aſſuetas ad ſceptra manus poſt terga dabit.* Commendatur & Abner, vt iam diximus, à Dauide, quòd nunquam habuerit manus ligatas, *Manus tuæ ligatæ non ſunt.* Laudantur illi, quòd nunquam alligati fuerint: Chriſtus verò eſt laudandus, eique à nobis gratiæ agendæ, quòd alligatus, & quòd multa alia indigna pro nobis fuerit paſſus. Tantò Deus, inquit

In Troade choro 1.

inquit Gregorius, ab hominibus dignius hono- Greg.
randus eſt, quantò pro hominibus indigna
ſuſcepit. Tantò, inquam, Chriſtus nobis debet
eſſe charior, quantò pro nobis factus eſt vilior.

Adducunt eum ad Annam primùm. Ibi de diſcipulis ſuis & de doctrina interrogatur, & reſpondens palma percutitur. Ad hæc meditanda nos piè inuitat D. Theodorus Studita. Cogitemus, fratres, ingens hoc atque ineffabile arcanum. Qui animorum conſilia retegit Deus, omnéque perſpicit humanum cogitatum, hic ille eſt, qui capitis ſiſtetur iudicio. Qui præpotenti iuſſu vniuerſa librat, hic ille eſt, qui in ſceleratorum manibus deditur. Qui obligatam in nubibus vndam ex æquo tempeſtiue inſerit ſolo, hic ille eſt, qui colligatus raptatur. Qui cœlum palmo, ac terram menſus eſt pugillo, lancéque montes librauit, hic ille eſt, qui ſerui pulſatur dextra. In maxilla Chriſtus percutitur; ſed non vlciſcitur. Dicat igitur D. Auguſtinus. Si cogitemus quis acceperit alapam; nónne vellemus eum, qui percuſſit, aut cœleſti igni conſumi, aut terra ſorberi, &c. Quid enim horum per potentiam iubere non potuiſſet, per quem factus eſt mundus; ni patientiam nos docere voluiſſet, qua vincitur mundus? Percuſſus in vna maxilla Ieſus, ducitur ad Caïpham percutiendus non tantùm in altera maxilla, ſed & in tota facie, & alibi in toto corpore.

Serm. de Dom. ſepul.

In Ioan. tract. 113.

At illi tenentes Ieſum duxerunt ad Caïpham. Apud quem falsò accuſatur, illuditur, collaphizatur, facies eius velatur, multiſque iniuriis afficitur, ac morte dignus iudicatur, atque à Petro nega-

Marc. 14. tur. Audi quid dicat D. Marcus: *Quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum. Omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere.* Quando Chriſtus alapa percutiebatur, & nunc his opprobriis afficiebatur, Thren. 3. tunc illud Ieremiæ adimplebatur; *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Expende illud (*ſaturabitur opprobrijs.*) Saturitatem præcedit auiditas; qui enim ſaturatur, prius appetebat, quo ſaturatur. Quando itaque audis Chriſtum fuiſſe opprobriis ſaturatum, intellige ipſum fuiſſe opprobriorum auidiſſimum. Hæc Lib. 3. in Thren. obſeruatio eſt D. Paſchaſij. Oſtenditur auiditas deſideriorum, cùm dicitur: *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs*; quoniam omnis ſaturitas ex auiditate ſumendi naſcitur.

Fallor, ſi hic nata non fuit illa nouorum tormentorum excogitatio in Chriſtum, quandoquidem qui ſatur eſt, nota fercula faſtidit, nouas ciborum formas meditatur, quibus auiditatem acuat. Sic Dominus primo alapæ opprobrio exſatiatus, iam faſtidit communes iniurias, nouis & inauditis opprobriorum generibus inhiat, nouas patiendi formas deſiderat; nunc appetit ſputa, colaphos, velamen in facie, irriſiones, nunc flagella, ſpinas, arundinem, fel, acetum, quæ omnia guſtauit & expertus eſt. O tormentorum auidiſſimum! Hæc ſaturitas non pariebat in Chriſto faſtidium, ſed potiùs appetitum.

Præſtat & audire quid ipſe dicat per Iſaiam: Iſai. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus,*

& con-

& conſpuentibus in me. Obſerua illud (*dedi.*) Quaſi dicat: Non mihi inuito & coacto per vim alapas & plagas intulerunt Iudæi; ſed ego corpus meum ſponte iis percutiendum obieci, obtuli, imò dedi: *& genas meas vellentibus*, vel, ſecundum Vatablum, *volentibus vellere pilos genarum & barbæ.* De hac Chriſti vellicatione, & depilatione nihil dicunt Euangeliſtæ; ſed illam Chriſtum Ieſum paſſum fuiſſe conſtat ex iſto loco; eſt enim Iſaias quaſi alter Euangeliſta. Quare non dabit pilos, qui ſuum dedit ſanguinem? Habet vulſio barbæ inſignem dolorem, æquè ac contumeliam: vnde omnes nationes in detonſa barba, aut ab aliis quoquo modo vulſa, vel tractata ab aliena manu, ſic ferebant moleſtè, vt in eo ſummam putarent ignominiam, & intolerabile ludibrium. Hinc illud frequens & prouerbiale, *vellere barbam*, quod, teſte Horatio, & Perſio, pro ſubſannare, & alicui illudere ſumebatur. Hinc etiam illud, *Leoni mortuo barbam vellere*, id eſt, inſultare, & illo ludibrij genere inſectari, quo nihil eſt turpius. Quocirca Alexander Magnus, teſte Plutarcho, iubebat, vt milites prælium inituri barbam raderent, ne, ſi ab hoſte caperentur, hanc vellicationis, vel detonſionis barbæ ignominiam ſubirent. Dauid ipſe in tantam contumeliam accepit, quòd Ammonitæ legatis eius barbam raſiſſent, vt propterea eis bellum indixerit. Hoc tamen conuicium pertulit Chriſtus: omne enim pœnarum genus voluit ſubire.

Lib. 1. Satyr. 2.

Plut.

2. Reg. 10.

Et, ne aliquod tormentũ deeſſet ſuæ paſſioni, voluit Chriſtus & fœtorem tolerare. Referunt

enim nónulli non conténendæ auctoritatis Doctores,quod hac nocte milites in domo Caiphæ non contenti prædictis pœnis,ſuppliciis & iniuriis,illum adhuc miſerunt,quãdo ipſi dormitum ſe contulerũt,in lacum quemdam inferiorem, ad quem immundæ, & ſqualidæ illius domus aquæ confluebant, in quo Chriſtus Dominus pernoctauit, iuxta illud, *Poſuerunt me in lacu inferiori*;
Pſalm. 87. vt & olfatus propria vexatione & cruciatu non careret.

Serm 114. de temp. Dico itaque cum D. Auguſtino. Perpendite qui talem pro nobis dedit pecuniam (ſcilicet capillos, barbam, corpus & ſanguinem ſuum) qualem à nobis ſit exacturus vſuram. *Corpus meum*, ait, *dedi percutientibus*. Agnoſce homo quantum valeas,& quantum debeas,& dum tantam redemptionis tuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Pudeat te capillos componere, genas ſtibio ornare, corpus delicate nutrire, odoramentis delectari, cum audias Dominum tuum in coma, in genis ſuis, ac in toto prorſus corpore tam grauia, imo ipſum fœtorem fuiſſe perpeſſum.

Tot ac tanta & tam varia ſunt ludibria & aduerſa quæ Chriſtus guſtauit & pertulit, præter illa quæ enarrant Euangeliſtæ, vt in ſolum diem Iudicij reſeruatum iri eorum integram notitiam, exiſtimet quidam auctor ex ſententia
Guliel. Stat. D. Hieronymi. Quod & colligitur ex illo loco
Nahum 3. Nahum, *Reuelabo cunctis gentibus ignominiam tuam*. Ac ſi diuinus Pater promitteret filio, ſe manifeſtaturum hominibus omnia tormentorum genera, quæ pro ipſis ille eius filius pertulit.

Petrus

Petrus vero ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, &c. Exclamet nunc D. Auguſtinus. Hoc enim erat ſequi Magiſtrum, ſic negare diſcipulum: Euenit Domino, quod magis formidabat, illique accidit, quod tremebundus verebatur, & propter quod in horto triſtabatur, nempe negatio a diſcipulo, quam magis exhorreſcebat quàm opprobria, verbera, alapas, crucem, mortem. Ideo enim venerat, vt hæc pateretur, ſed non vt à diſcipulo negaretur. Matth. 26. In Ioan tract. 113.

Obſeruandum eſt, hanc ancillulam non vidiſſe Petrum in horto, & tamen ei dixiſſe; *Et tu cum Ieſu Galilæo eras.* Viri recenter Petrum in horto viderant, plus illum cognoſcebant: tamen hæc mulier prima fuit, quæ ad Petrum reſpexit, & illum interrogauit. Quare hoc? Audi D. Anſelmum. Quid eſt, quòd primò prodit cum ancilla, cum viri magis poterant eum cognoſcere, niſi vt iſte ſexus peccaſſe in mortem Domini videretur? Vna fœmina eò proiicit telum, quo Dominus erat acerbius dilacerandus, vt pateat, quam grauiſſimum paſſionis vulnus à fœmina fuerit occaſionaliter peractum. Vnde meritò Drogo Chriſti paſſi dolorem ex Petri negatione vehementer exaggerat. In domo Caïphæ colaphizatus eſt Chriſtus; quia in domo Caïphæ colaphizatur Petrus. Tunc Petrus ibi colaphizabatur, quando ab hac ancilla interrogabatur. Vel dic: intus colaphizabatur, quando foris Chriſtum non confitebatur. Cùm igitur nihil magis Ieſum colaphizaret in illa domo, quã Petri negatio, cuius negationis prima cauſa In hunc locum Drogo.

fuit hæc ancillula, ſequitur, quod illa magis Dominum in illa domo cruciauit, quam alius quiſpiam.

Et egreſſus foras fleuit amarè. Qui ancillulæ voce proſternitur, amarè ſuum caſum lamentatur.

Serm 9. Citò, inquit Dius Leo, in ſoliditatem ſuã rediit petra. Sed quam acquiſiuit ex lacrymis ſoliditatem: Sicut ferreæ thoraces, ſi, dum fabricantur, aqua aſpergantur, ſtatim obdurantur. Hæc ſimilitudo eſt D. Gregorij Nazianzeni. Impenetrabiles thoraces ferreæ, quæ ictibus hoſtium ferreiſque globulis debent obſiſtere, aqua frigida in ipſa fabricatione obdurantur. Ita D. Petrus poſt lacrymas inexpugnabilis euaſit.

Orat. 24.

Vt Petrus veniam impetraret, non loquebatur, ſed lacrymabatur: nam lacrymis diluebat quod verbis commiſerat. Loquendo negauerat, ſed flendo confitebatur. Hoc obſeruauit D. Ambroſius. Petrus iam non vtitur ſermone, quo Iesum fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiſerat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum, ac per hoc maluit cauſam flere, quàm dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.

Serm 46.

Matth 27. *Manè autem facto, conſilium inierunt omnes principes Sacerdotũ, & ſeniores populi aduersùs Ieſum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi,* &c. Iudæi Dominum vinctum prophano Iudici remittunt, nimirum Pilato Præſidi Romano. Sed qui omnium Saluatorem Romanis tradiderunt, paulò pòſt, iuſto Dei iudicio, Romanis traditi perierunt. Priùs dixerant, *venient Romani.* Ad eos Romani

mani deuaſtaturi venerunt, qui ad Romanos Chriſtum crucifigendum duxerunt. Contemplare o homo, Regem cœlorum ſic iam facie deturpatum, ſic mortis caligine circumfuſum, vt videns illum proditor ipſe expauerit, & nimio turbatus dolore ſui criminis fœditatem non ſuſtinens, refuſa pecunia ſui factus ſit carnifex: vnde ait Matthæus.

Videns Iudas qui tradidit eum, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum, &c. *& abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Vtinam Iudas qui Ieſum tradiderat, Ieſum nominaſſet, quia ſine dubio ad laqueum non properaſſet: ſed impius iſte nunquam Ieſum nominabat. Hoc obſeruat D. Euthymius. Nam cùm de venditione tractaret, ait Iudas Phariſæis, *Ego eum vobis tradam.* Dixit *eum*, non *Ieſum*, quia iam ſacrum illud nomen oderat: & tamen ſi illud inuocaſſet, non malè periiſſet. Longè enim eſt deſperatio, vbi eſt huius nominis inuocatio. Audi Bernardum. Triſtatur aliquis veſtrûm? veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os. Labitur quis in crimine? Currit inſuper in laqueum mortis deſperando? nónne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

Matth. 27.

In Matt. 26.

Serm. 15. in Cant.

Peccaui, tradens, &c. Quibus hæc dixit? Phariſæis. Illi autem quid reſponderunt? *Quid ad nos?* Notum eſt illud Plutarchi: Proditionem amo, ſed proditorem non laudo. Similiter Stobæus. Prodituri, inquit, amantur, non qui prodiderunt. Cum Iuda proditurο libenter Iudæi loquebantur, imò, teſte Marco, *illum audientes gauiſi ſunt, &*

Plut. in Apoph.

Marc. 14.

promiſerunt ei pecuniam. At poſtquam tradidit durè ſunt ei loquuti, *Quid ad nos? tu videris.* Hæc iuſta eſt proditorum merces. Dicat igitur Quin-
Lib 5. tus Curtius. Falluntur qui proditionis præmium ſpectant.

Quid ad nos? Quaſi dicant: Noſtrum non eſt abſoluere te. Nobis nunquam dictum eſt, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Vade itaque ad tuos condiſcipulos, quibus ligandi & ſoluendi poteſtas tradita eſt. O traditor, vade vel ad Chriſtum, qui hanc poteſtatem tradidit, vel ad eos quibus tradidit, & non ad eos
Euthymius. quibus tu Dominum tradidiſti. Vnde D. Euthymius de hoc impio traditore: Peccatum, inquit, agnouit, & pœnituit eum, ac confeſſus eſt; veniam autem ab eo, qui dare poterat, non requiſiuit.

Præterea, obſerua integram non fuiſſe Iudæ confeſſionem. Confitebatur quidem ſe Chriſtum tradidiſſe; ſed non confitebatur ſe antea tradendi intentionem habuiſſe, & cum malo illo tradendi deſiderio corpus Dominicum ſumpſiſſe, quod grauiſſimum peccatum fuit. Vnde nota, quòd licet Petrus & Iudas eumdem Dominum offenderint, ille negando, hic tradendo; tamen Petrus antequam negaret, vel dum negationem eius Dominus prædiceret, nunquam habuit intentionem negandi, imò verò ſe malle
Matth. 26. mori, quàm negare proteſtabatur, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Iudas autem non ſic: nam effuſo à Magdalena vnguento, quod vendi volebat, ſtatim decreuit Magiſtrum vendere, & Iudæis tradere. Hoc præuidens Dominus

nus dicebat, *vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Ac ipſi Iudæ interroganti, *Nunquid ego ſum Rabbi?* Reſpondit Chriſtus, *Tu dixiſti.* Et tamen nunquam dixit Iudas; *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non tradam te.* Sed adeò erat intentus huic proditioni, *vt exinde quæreret opportunitatem, quomodo Ieſum traderet.* Quærebat, inquam, opere implere, quod animo decreuerat: atque ita cum mala illa volũtate corpus accepit Dominicum; nec illud peccatum expreſſit: hinc, nulla facta eſt eius confeſſio. Caueat vnuſquiſque, ne cum animo committendi aliquod peccatum accedat ad menſam Domini, eandem enim quam Iudas incurreret pœnam. Iudas itaque non tantum debuit dicere: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*; ſed & hoc tenebatur confiteri: *Peccaui etiam ſumendo indignè corpus & ſanguinem Iuſti.* Matth. 26.

Retulit triginta argenteos. Iudas quidem argenteos retulit, ſed ex eis nullum fructum retulit: denarios Phariſæis, ſeipſum laqueo addixit. Amabat, inquit Drogo, hæredes ſuos, qui eos denarios colligerent, qui etiam nunc reſeruant in ſua Corbona. Illi Iudam imitantur qui adeò ſuos amant hæredes, vt eis omnia quæ poſſident, relinquant; animæ autem ſuæ minimè conſulant. O ſæua & crudelis humanæ mentis auaritia, quæ malit & ingratis, & indignis hæredibus bona relinquere, quàm in animæ vtilitatem aliquid inſumere! Auari, dum viuunt, nihil largiuntur vt omnia integra poſſideant: dum autem moriuntur, ſic omnia, veluti Iudas, proiiciunt, vt nihil habeant, nihil ſecum abducant; atque ita nunquam bona eorum ſunt eis proficua. Si autem Lib. de [illegible] Paſſ.

eorum hæredes moneantur, vel vt bona male parta, ſibíque relicta reſtituant, aut ſaltem pro anima eorum orare faciant, reſpondent quod & Phariſæi, *Quid ad nos? viderint ipſi.*

Imitentur diuites non Iudam, ſed publicanum illum Zacchæum, qui ſuis hæredibus non omnia relinquebat, ſed viuens dimidium bonorum ſuorum pauperibus erogabat. *Ecce*, inquiebat, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Obſeruat D. Theophylactus duo illa verba *do & reddo*. Non promittebat ſe daturum, aut hæredibus ſuis relicturum, vt darent & redderent; ſed ipſemet dabat & reddebat. Non ſolùm, inquit ille Doctor, hoc promittebat, ſed faciebat: non enim ait; dabo medietatem, & reſtituam quadruplum, ſed do & reddo. Bene etiam ſibi conſulebat Iob, qui cùm Satanæ præſenſit bellum, *ſurrexit, & ſcidit veſtimenta ſua.* Cur veſtimenta ſcidit vir egregius? Dicat Origenes. Scidit; ac ſi diceret: O maligni, mortuum me exiſtimatis, vt vos putatis: ſi ergo me mortuum exiſtimatis, ô inimici, anticipem in pretioſam meam ſepulturam conſcindere pretioſas atque regales meas veſtes, ne nec poſt mortem gaudeatis illas poſſidere. Nolebat vir ſanctus ſuis hæredibus veſtes integras relinquere, ſed illas diuidebat in pretioſam ſuam ſepulturam. Tu etiam, ſi ſapis, noli omnia tuis hæredibus relinquere; ſed aliquid ſume tam pro tua ſepultura, quàm pro ſalute animæ tuæ, & pro expiandis peccatis tuis, ne Iudæ damneris iudicio.

Luc. 19. — D. Theoph. in Cant. — Iob. 1.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.

rus, aut flagellari fecit. Extat Romæ in templo Sanctæ Praxedis, columna, ad quam alligatus fuit Chriſtus dum fagellaretur. Eſt ea breuis & humilis: quocirca nonnullis videtur Chriſtum incuruum ad eam,& ad eius annulum alligatum fuiſſe;ita vt repandum dorſum, quaſi incudem, obiiceret feriendum. quaquauerſum ſæuientibus tortoribus, eorumque flagellis. Aut potius, manibus à tergo reuinctis, ita annulo columnæ Chriſtus erectus fuit alligatus, vt tortores tam pectus, quàm dorſum liberè ferire poſſent. Sane ſicut olim non vincula, ſed ſponſæ amor ligauit Samſonem:ita nunc non vincula, ſed hominum amor tenuit fortiſſimum Dominum ad columnam ligatum,vt dicat D.Laurentius Iuſtinianus. Lib. de ligno vitæ cap. 4. O charitas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit!Nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere poſſet,ſi charitatis vinculum defuiſſet.Tortores laſſabantur,non laſſabatur Dei in homines amor. Exclamet & Diuus Serm. 114. de temp. Auguſtinus. Ecce pro impio pietas flagellatur. Pilatus igitur Chriſtum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & irriſoria veſte indutum, perſequentium conſpectui oſtentare decreuit, vt vel ſic Iudæorum rabiem ſedaret.

Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſam. Exiuit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis:Ecce homo. Expende hæc verba, *vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſam.* Ideo Ieſus foras adducitur, vt eius innocentia cognoſcatur;& cognoſcetur,ſi eius patientia attendatur. Quaſi diceret Pilatus:Adduco vobis eum foras,

vt illum intueamini ſpinis coronatum, flagris cæſum, purpura illuſum, ſanguine madidum, facie deturpatum: nunquam autem conquerentem, non appellantem, non murmurantem, non reluctantem, ſed omnia æquo animo patientem. In hoc deberetis illum agnoſcere. Qui, inquit, Tertullianus, in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominum imitatus eſt: hunc vel maxime Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis.

Lib. de Patient.

Ecce homo. Non Pilati ſolius erat vox, ſed ſpinæ, ſed flagra, ſed vulnera omnia, ſed ſputa id clamabant. Spinæ clamant, *Ecce homo*, quem cruentauimus. Flagra dicunt, *Ecce homo*, quem percuſſimus. Vulnera clamant, *Ecce homo*, quem cruciamus. Sputa dicunt, *Ecce homo*, quem deturpamus, vel fœdamus. Cur o homines non exhorreſcitis? Sanguis ipſe quo madebat, etiam clamabat, *Ecce homo*, à quo emanaui.

Pilatus clamat, *Ecce homo*, in quo nullam mortis inuenio cauſam; & qui in nobis & aliis peccatoribus plurimam inueniet damnationis cauſam. Nam, *Ecce homo*, o ſuperbe, qui propter ambitionem tuam ſe humiliauit factus obediens vſque ad mortem. *Ecce homo*, o auare, qui propter nimiam tuam auaritiam egenus factus eſt. *Ecce homo*, o guloſe, quem tua gula felle & aceto potabit. *Ecce homo*, o comptule, quem tuus veſtium luxus hoſt veſtiuit indumento, coronáque ſpinea coronauit. *Ecce homo*, ó luxurioſe, quem tua libido flagellis concidit, & toto corpore cruentauit. *Ecce homo*, ô maledice, cuius faciem tuæ blaſphemiæ ſputis onerarunt.

Vt

Vt cognoſcatis, quia nullam in eo inuenio cauſam, &c. *Ecce homo.* Inique Iudex, quis vnquam tale præconium audiuit? Si nullam in eo inueniſti cauſam, cur illum flagellaſti? cur ſpinis coronaſti? cur ita toto corpore cruentari iuſſiſti? Videtur Pilatus reſpondere, *quia homo*; vnde ait.

Ecce homo. Hoc vt meliùs intelligatur, notandum eſt, Iudæos voluiſſe Chriſtum occidere, quia homo cùm eſſet, Dei ſe filium faceret; *Tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum.* Idque Pilato retulerunt, *Secundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Paulus contradicit, *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Non commiſit Chriſtus rapinam, dicendo ſe eſſe Deum, cùm reuera Deus eſſet: ſed e contra furtum in hoc poſitum eſt; vt *cùm in forma Dei eſſet*, id eſt, cùm Deus eſſet, ſibi hominis naturam vnierit. Ideo Pilatus ait. Ioan.10. 13. Philip.2

Ecce homo. Quaſi diceret: Vos accuſatis illum, quòd ſe Deum faciat, cùm homo ſit: ſed propter oppoſitum prorſus ego eum flagellaui; quia ſcilicet homo factus eſt, cùm eſſet Deus. Non quòd Deus ſit, ego illum flagellaui, ſed quòd homo eſt: ſi enim homo non eſſet, illum non flagellarem. Idcirco

Ecce homo. Solet qui in ipſo furto latronem deprehendit, manu in eum iniecta, clamare, Ecce furem, vt accurrant omnes. Eodem ferè modo Pilatus Chriſtum apprehenſa manu foras eduxit, dicens.

Ecce homo. Ecce, inquam, qui eſſe hominis, & ſubſtantiam ſibi aſſumpſit. O Domine, cùm

nihil

nihil ſit criminis quod obiiciatur, hoc tantum argueris, quòd ſis homo. Dicat itaque Pilatus, *vt cognoſcatis, quia nullam in eo inuenio cauſam, adduco eum vobis foras; Ecce homo.*

Ecce homo. Quamuis Chriſtus eſſet Deus, non dixit Pilatus, *Ecce Deus*, ſed, *Ecce homo*; non ſub diuina, ſed ſub forma exhibetur humana; quod diuina prouidentia actum eſt, vt ſcilicet, prætermiſſo quod Dei erat in Ieſu, ſolum perfidis Iudæis panderetur, quod hominis eſſe videbatur. Quid enim formidabilius miſeris oſtendi poteſt, quàm homo? Naturam hominis ideo à Verbi diuini perſona aſſumptam putat

Homil. de Natiuit.

Theodotus, vt perſona diuina humanæ naturæ temperaret rigorem. Sola hominis natura eſt horrenda eſt, & ſummoperè metuenda in caſtigando. Minùs enim ſcit homo miſereri, quàm Deus. Quidam apud Matthæum dixit ad Ieſum,

Math.19.

Magiſter bene, &c. Ieſus autem dixit ei, *Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus.* Vbi

Lib. 1. de Trin. cap. 13.

ponderat D. Auguſt. hanc Domini reſponſionem. *Quid me interrogas*, inquit, *de bono*? id eſt, iſtam formam quam vides, quid interrogas de bono, & vocas me ſecundùm quod vides, Magiſtrum bonum? Hæc forma filij hominis eſt, hæc forma apparebit in Iudicio, non tantùm iuſtis, ſed impiis, & huius formæ viſio non erit in bonum eis, qui malè agunt. Quippe hæc ipſa humana Saluatoris figura maximè in Iudicio torquebit malos.

Itaque, *Ecce homo* iniuſtè iudicatus, qui vos iuſtè iudicabit. *Ecce homo* falsò accuſatus, qui vos verè accuſabit. Alij expaucant Abſalonem

ſ quærit

à quercu ſuſpenſum, & lancea tranſuerberatum; ego adſtupeo magis, quòd in illum lanceam contorſerit Ioab; Ioab, inquam, ille amiciſſimus, ille qui toties pro illo intercelſerat apud Dauidem patrem. Hoc expendens Diuus Chryſoſtomus, ait. Quod eſt admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipſum interfecit. Planè ea ipſa Saluatoris figura, quæ vobis Patrem reconciliauit, accuſabit, iudicabit, interrogabit, damnabit. 2 Reg. 18. In Pſalm. 7.

Ecce homo. Tormentis fractum hominem cùm cernimus, adeò debilem illum remanſiſſe dicimus, vt iam ad obeunda hominis munia aptus non ſit; *Il n'eſt plus homme.* Quantò id rectiùs putandum eſt inflicta Christo effeciſſe tormenta? Cùm in Pilati domo, innocentiſſimus Dominus verberibus cædebatur, populus rei exitum foris expectabat. Ex his qui flagellationi aderant, vnus exibat nunc affirmans quingentorum numerum iam verbera attigiſſe. Paulo pòſt alius exibat dicens: iam mille complentur; poſtmodum alius, bis mille numerata ſunt. Accurrebat alius deinceps nuncians populo, tria millia inflicta eſſe. Tunc, qui hæc audiebant, ſtupebant, & ſecum ita colloquebantur: Qualis erit hic vir poſt tot accepta flagella? *Il ne reſtera plus homme.* Tandem peracta flagellatione omnes exeunt, ac plures ingenti ſtrepitu proclamant, illum ſupra quinque millia acerbiſſimorum verberum ſubiiſſe, nec vllum verbum ad tanta verbera protuliſſe. Tunc omnes dicebant: Quàm fractus ille erit! quàm viribus deſtitutus! certè non erit ille amplius in homine. *Il ne reſtera plus*

plus homme. Pilato hæc omnia referuntur. Miratur quòd homo poſt accepta quinque millia flagellorum, mortuus non ſit: feſtinat ad videndum, & quem ſemianimem putabat futurum, viuum reperit; totum cruentatum, plagis diſciſſum, verberibúſque ſectum, miratur, ſtupetque adhuc durare. Vt verò conſtaret populo tale prodigium, apprehendit eius manum, foras educit, clamátque, *Ecce homo.* Rectiùs de illo, quàm Poëta de Hectore dicere poſſumus:

Virg. 1. Æneid.

Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Squalentem barbam, concretos ſanguine crines,
Vulnera multa gerens. ———————

Ecce homo. Stupet Præſes videns hominé, quem nec ærumna commouet, nec flectit iniuria, nec dolor concutit. Abraham & Iſaac ſtupebat olim gladius: ſtupebat, inquam, vtriuſque patientiam. Audiamus D. Zenonem. Medius ſtupet gladius nullo impedimento ſuſpenſus, mactatione terribili gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen. Ecce modò Ieſus imperturbatus, in media ſua corporis laniena inuincibilis; ſtupet Præſes, ſtupent ipſi cruciatus nullo impedimento ſuſpenſi, mactatione terribili gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen extorſiſſe. Dic Pilate, cur hoc corpus tot cæſum verberibus ſeruare deſideras? à quo impediris, ne proſequaris pœnas? Sanè ſtupent tormenta, ſtupent ſpinæ, ſtupent verbera, ſtupet & ipſe Præſes videns hominem, qui patientiæ ferebat coronam, inquit Diuus Cyrillus. Iudæi verò non tantùm ſtupebant, ſed & ſtrepebant clamantes, & Pilato dicentes: *Crucifige, crucifige eum.*

Catech. 11.

Pilatus autem volens populo ſatisfacere, tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur. Expende illud (*tradidit*) quo vſi ſunt quatuor Euangeliſtæ. Vnde obſerua, Chriſtum ſæpe fuiſſe traditum & donatum. Primò nobis, deinde multis aliis. Nobis, vt teſtis eſt ipſemet datus Chriſtus, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Vnde & idem Dei filius oſtendens ſe ratam habere hanc ſuiipſius donationem, illámque volens confirmare, *in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Panem, inquam, accepit, & ſub panis ſpeciebus dedit nobis corpus ſuum, *Accipite, & manducate*, &c. Poſtea voluit Iudas Ieſum tradere Iudæis, *Ego eum vobis tradam.* Iudæi verò *tradiderunt eum Pontio Pilato Præſidi.* Pilatus tradidit Herodi, quando *remiſit eum ad Herodem* Herodes verò *remiſit ad Pilatum.* Pilatus autem iterum Ieſum Iudæis tradidit, *tunc tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Sed, prout de iure, prima donatio debet valere.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Ioan. 3. 1. Cor. 11.

Cùm igitur primò nobis Chriſtus donatus ſit, nullæ erunt cæteræ donationes de illo factæ, ad nos ſine dubio reuertetur Chriſtus, illum poſſidebimus, eius corpus manducabimus. Fallor, niſi Pilatus agnouerit ſe malè Chriſtum tradidiſſe Iudæis. Nam Chriſto iam mortuo, *venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph*, &c. *hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* Nota illud (*iuſſit reddi.*) Quod redditur, iure non poſſidebatur. O Pilate, Chriſtus non poterat tibi tradi à Iudæis, nec tu eiſdem illum tradere; idcirco illius corpùs tenebaris reddere: & Ioſeph recepit eum

nomine omnium fidelium; erat enim *diſcipulus occultus*. Cur autem illum tradiderit Pilatus, exprimit Scriptura, ſcilicet,*vt crucifigeretur.*

Ioan 19. *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu, mater eius.* Quid magis acerbum, quàm quòd parens videat morientem filium? Neſcio an Deus maiori clade afficere poſſet in hoc ſæculo parentes, quàm filij amantiſſimi internecione.

Gen 17. Olim præcipiebat Deus, vt *omnis anima, quæ non circunciſa fuerit, exterminaretur è populo.* Cur lex non potiùs vindicat in parentes, quàm in filios, cùm ex parentum incuria oriebatur, quòd puer non circuncideretur? Et ſanè eò grauiùs in parentes exardeſcebat legis vindicta, quò filios mulctaret & affligeret; magis cruciabantur parentes in morte filiorum, quàm ſi ipſimet pœnam luiſſent. Sic ſentit D. Iſidorus Peluſiota.
Lib.2.epiſt. 81. Dicendum erat, qui non circuncideret exterminatum iri, non autem infantes immaturæ ætatis. Ego verò ne literalem quidem ſenſum improbo, ſiquidem parentibus acerbius eſt ſupplicium, cùm pueri exitio dantur. Proh dolor, & Virginis,& matris ſanctiſſimæ, vbi vnigenitum filium tam crudeli & infami mortis ſupplicio videt extingui! Neſcio an Maria in hoc ſæculo poſſet torqueri ampliùs,& affligi.

Huic beatiſſimæ matri meritò conuenire poteſt, quod Diuus Cyprianus Machabæorum matri his verbis aptat. Tam grande martyrium Deo
Cyprianus. præbuit virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerant filij omnes tormentis & paſſione membrorum. Tot enim martyria ſuſtinuit, quot membra filiorum cruciari vidit, ac tandiu durarunt illa

illa martyria, quandiu filiorum ſupplicia. De illa matre ſic etiam Aug. Videndo in omnibus paſſa eſt, facta mater ſeptem Martyrum, ſepties Martyr à filiis addita moriendo; videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quod in carne omnes. Nihil virgineæ matri accommodatius, nihil de Mariæ dolore eſt verius & ſignificantius. Ieſus mille pertulit immaniſſimos cruciatus in via, in monte Caluariæ, in Cruce; illa videndo in omnibus paſſa eſt, millies Martyr, à filio non ſeparata ſpectando, ſeſe filio cupidè additura moriendo, videbat filium, amabat filium, ferebat in oculis, quod filius in Cruce. Serm. 119. de diuerſis. cap. 6.

Porrò de Mariæ progenitoribus in limbo exiſtentibus, hoc aſſerit Beata Brigitta, quòd vel crucifixum Dominum odorati in tantum turbantur, quòd maluiſſent in æternum eſſe in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino. Si Abraham, Iacob, Dauid, & cæteri pij Mariæ parentes optaſſent potiùs pœnis inferni torqueri, quàm Chriſtum in Cruce patientem intueri; quid de ipſa Maria ſtante iuxta Crucem ac tormenta intuente iudicandum? Nobis quoque, ſi verè Dominum diligamus, magis optandum eſt, pœnas inferni ſuſtinere, quàm illa committere, propter quæ Chriſtus paſſus eſt. Lib. 9. c. 11.

Præterea, quos Virgo non eſt paſſa dolores Domino naſcente, illos pertulit eodem patiente. Hæc obſeruatio eſt Diui Damaſceni ſic ſcribentis. Ipſa Beata Maria, & ſuper naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum, lacerum repar- Lib. 4. de fid. orth. cap. 15.

turiens, &c. Quaſi diceret, quòd non ſolùm ſuſtineret eos dolores partus, quibus afficiuntur, quæ ex naſcente prole fiunt matres; ſed eos, quibus laniantur & diſcerpuntur illæ fœminæ, è quarum vtero fœtus membratim educuntur. Eos ipſos dolores Maria iuxta Crucem patiebatur, dum filium tam dira tormenta pati cernebat. Vnde Amphilochius Beatiſſimam Virginem Mariam iuxta Crucem ſic loquentem inducit. Virgo manſi, & magis mordeor viſceribus, quàm matres. Id eſt, magis torqueor, magis crucior, quàm quæ obſtetricante natura fiunt matres. Verùm ex his quæ Chriſtus in Cruce loquebatur, aliquo modo Beatiſſima Virgo conſolabatur.

Amphil.

Ex verbis autem quæ Chriſtus dixit in Cruce, quædam ſunt eius, & quædam noſtra; noſtra dico, quia ſi tunc in cruce fuiſſemus, illa protuliſſemus, aut proferre potuiſſemus, vtpote *Sitio*; &, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* &, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Non enim ſitiebat qui oblatum potum non bibebat: nec à Patre derelinquebatur, qui tam charè à Patre diligebatur: nec Patri anima eius commendabatur, qui à Patre non ſeparabatur. Noſtra igitur verba erant: cætera autem verba, Chriſti ſunt, ex quibus illa, quæ latroni dicta ſunt, examinemus; ſiquidem & ipſa aliqualem poterant Beatæ Virgini conſolationem afferre. Verùm, antequam quæ latroni dicuntur à Chriſto, conſideremus, conſideranda ſunt quæ ipſe dixerit tum ad ſocium, tum ad Chriſtum.

Neque

Neque tu times Deum, &c. Sui oblitus, ſalutem ſocij curabat, in hoc imitatus Dominum, qui primò inimicorum curam habuit, dum vt illis ignoſceretur, rogauit. Suas, inquit Chryſoſtomus, neceſſitates prætermittens, alterius vtilitatem cogitabat, & ſanis perſuaſionibus inuitabat ad vitam. Idem meditatur Diuus Auguſtinus, qui ob huiuſmodi curam & perſuaſiones hunc latronem doctorem euaſiſſe ait. Clauis confixus quæ circa ſeipſum erant relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus.

Homil. 1. de cruce & latrone.

Serm. 30. de temp.

Nos digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit? O verè latronem, vel lateronem! Olim dicebantur laterones, qui dextrum latus nobiliorum hominum defenſionis cauſa tegebant, & poſtmodum per contractionem dicti ſunt latrones. Cùm igitur iſte Chriſtum defendat, verè latro aut latero dici poteſt; dicebat enim.

Hic verò nihil mali geſſit. Videtur iſte latro reſpondere quæſtioni à Pilato propoſitæ Iudæis Dominum accuſantibus, & mortem eius ſolicitantibus, dum ait, *Quid enim mali fecit iſte?* Huic igitur quæſtioni reſpondet latro: *Hic verò nihil mali geſſit.* Dicite Iudæi, in verbo *quid mali fecit iſte?* in opere *quid mali fecit?* Reſpondeat latro, *Nihil mali fecit.* Quod Diuus Paulus pluribus verbis dixit, ad ſignificandam Chriſti innocentiam & ſanctitatem, hoc vno verbo declarauit latro. *Talis*, ait Paulus, *decebat vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis*, &c. Latro verò hoc vno verbo comprehendit, *Nihil mali fecit.* Attendan-

Luc. 23.

tur eius verba, examinentur opera, & inueniatur, quòd *nihil mali fecit*, Ita confeſſus eſt Dominum innocentem crucifixum, ac ſi fuiſſet pro Domino crucifixus: & plus illum cœpit amare, quem pro ipſo tanta ſupplicia videbat tolerare.

In Pſal.38. Vnde Ambroſius. Intellexit latro, quòd pro alienis peccatis has plagas Chriſtus ſuſciperet; pro alienis ſceleribus hæc vulnera ſuſtineret. *Nos digna*, inquit, *factis recipimus*; *hic nihil mali fecit*. Et ſciuit quòd illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed latronis, atque ideo plus amare cœpit, poſtquam in corpore eius ſua vulnera recognouit. Vnde confidenter dixit ei.

Memento mei. Vide prudentem humilitatem, & humilem prudentiam. Nihil audet petere ſibi dari. Quaſi dicat: Tanta eſt mea iniquitas, vt non vnam, ſed plures mereatur cruces, non audeo petere regnum, quod pauperibus ſpiritu, & perſecutionem patientibus propter iuſtitiam, promiſiſti; ſed tantùm, vt in illo ſis memor mei. Non peto, vt ſedeam ſuper menſam tuam, quam amicis tuis promiſiſti; nec peto vllam micam ex his, quæ cadunt de menſa, ſicut petiit Chananæa: hoc tantùm peto, *Memento mei.* Video, ô ſumme Sacerdos, te celebrare Miſſam, & offerre illud cruentum ſacrificium; precor, vt in tuo *Memento* ſis mei memor, mei recordare, qui pro omnibus offers & pateris. *Memento mei*, non meorum; meum eſt quod commiſi contra te: tuum eſt quod patitur coram te; recordare illius quod feciſti in me, & obliuiſcere quod ego feci. Tam multa rapui, vt nihil amplius petere audeam.

deam. Domine exoluis quæ non rapuiſti, *Memento mei*, qui aliena rapui.

Dum veneris in regnum tuum. vel vt habetur in Græco, *in regno tuo*. Quod ſecundum D. Auguſt. de die Iudicij intelligebat. Sciebat enim Dominum nocte præcedenti dixiſſe Caiphæ; *A modò videbitis filium hominis venientem*, &c. Ipſe autem ſic intendebat orare; Domine cùm viſuri ſumus te venientem, memento mei dum veneris in regno, id eſt, in ſede Majeſtatis tuæ, daturus bonis regnum tuum. Atque ita agnoſcebat adeò graues eſſe culpas ſuas, vt propter illas mereretur pati vſque ad illud tempus. Et hæc fuit vna ex præcipuis actionibus iſtius latronis, vt ſcilicet ſe libenter offerret remanere in cruce ad expianda peccata ſua, vſque ad diem Iudicij. Chriſto autem adeò placuit huius latronis bona voluntas, & agnitio grauitatis ſui ſceleris, vt eius pœnam noluerit ad diem Iudicij protrahere, ſed quaſi plenariam indulgentiam largiendo promiſerit; imò nunc, pro tunc conceſſerit Paradiſum, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Vide, quid ſit agnoſcere grauitatem culparum, & pro illis libenter velle pati. Non hoc faciunt impij, qui queruntur quòd patiantur, vt patet in alio latrone, qui non dolebat de peccatis, ſed de cruce, à qua petebat liberari, non à culpa. Poſtulabat, inquam, à pœnis relaxationem, non culparum remiſſionem.

Serm. 120. de temp.

Audiamus verba Auguſtini inducentis Dominum huic latroni loquentem. Quid me, ô fideliſſime comes, & vnicus tanti teſtis triumphi, quid me tantopere exorandũ putas, vt in die Iu-

Serm. 120. de temp.

dicij meminerim tui? quid me ad præſentem retributionem paratum, in tempora tam longa diſſimulas? Hodie mecum eris in Paradiſo. Ingredere illuc primus. Intra Paradiſum, nunquam cum Adam vltrà viſurus infernum; nullum illic cibum lethalem, nullam iam legem, nullam arborem pertimeſcas. Ego tibi illic ero victus & vita; nam hodie mecum eris in Paradiſo, &c.

Amen dico tibi, &c. Multi Chriſto conuiciabantur: multa verba blaſphemiæ ei dicebantur; ſed tanquam ſurdus & mutus ad illa nihil reſpódebat, ſed tantùm ad ea quæ à latrone dicebantur, attendebat. Hæc obſeruatio eſt eiuſdem D. Auguſtini ſic ſcribentis. Dominus qui mutus erat & ſurdus ad omnia conuicia, non fuit mutus aut ſurdus cum fiducia poſtulanti, ſed viciſſim tali eum dignauit promiſſione, quali necdum quemquam honorauerat: non ſimpliciter ei promittens, ſed inſolita aſſeueratione; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Hodie, ante meos diſcipulos: imò ante mortem meam; hodie, tam citò quàm Patriarchæ, qui iamdiu illum expectarunt. Perſcrutare diligentiùs, inquit Chryſoſtomus, vetus & nouum Teſtamentum. Nullum ante latronem inuenies repromiſſionem Paradiſi meruiſſe; non Abraham, non Iſaac, non Moyſen, non Prophetas. Abrahæ quidem vna promittitur terra ob aliam derelictam: *Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Promittitur ei terra, ſed nondum cœlum. At huic latroni ſtatim cœlum promittitur.

Lib. 1 de anima & eius orig.

Homil. 2. de cruce & latrone.

Amen

Amen dico tibi, &c. Dices: Ieſus filius clamauit ad Patrem, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Non legimus Patrem citò reſpondiſſe filio, cùm tamen iſte filius tam citò reſponderit latroni. Cur non reſpondetur filio? Aut, cur non exauditur filius à Patre, cùm latro exaudiatur a filio? Reſpondeo, Chriſtus in Cruce duas perſonas agebat: afflicti vnam, & afflicto ſuccurrentis alteram. Quando igitur dicebat, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* perſonam gerebat hominis derelicti & afflicti, qui tormentis preſſus, & derelictione afflictus, in querelam effunditur. Quando verò dicit huic latroni, *Amen dico tibi, hodie*, &c. tunc optimi auxiliatoris, ſiue parentis, ſiue Domini, ſiue amici perſonam agebat, qui vbi derelicti & afflicti querelam nouit, ſtatim ad auxiliandum accurrit, nec putat beneficium eſſe differendum.

Itaque Dominus Ieſus tanquam agens perſonam hominis derelicti ait, *Deus meus, vt quid dereliquiſte me?* Deinde tanquam gerens perſonam hominis afflicto ſubuenientis, dicit latroni, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ita componit Diuus Cyprianus hanc Domini querelam, cum auxilio latroni exhibito: ſic enim ſcribit. Derelictorum perſonam gerens in Cruce ſe queritur derelictum, & ne deſperent, etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium illicò adeſt, & re in arcto poſita non differt beneficium, ſed repentè indulgentiæ ſceleris documentum eiſdem ſtatuit & exemplum, latroni inquiens, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Hoc facto oſtendit & docet Dominus, nemini quantumuis afflicto eſſe deſpe-

Serm. de cæna Domini.

randum: deinde afflicto eſſe illicò ſuccurrendum.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Quare Chriſtus dixit, *mecum?* Nónne ſatis erat dixiſſe, *Hodie eris in Paradiſo?* Videtur Dei filius fuiſſe veritus, ne latro Paradiſum recuſaret ſine ipſius ſocietate, vtpote qui ſine Deo poſſet amitti, aut de eo cadere, ſicut cecidit Lucifer,& amiſit Adam.

Ambroſ. Hæc excogitatio eſt D. Ambroſij dicentis. Pulchrè ſubiunxit, *mecum eris in Paradiſo*; hoc eſt, noli timere ne & tu cadas de Paradiſo, ſicut cecidit Adam: ſed audi, quia mecum eris, quo præſente cadere non poſſis. Nullus eſt Paradiſus ſine Chriſto, ſicut nec vllus infernus cum Chriſto.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Qui cum Chriſto erit in cruce, merebitur eſſe cum Chriſto in Paradiſo. Qua fronte petit quis à Domino Paradiſum, reſpuendo crucem, qua itur ad Paradiſum,& ita directè & immediatè, vt nullum medium detur inter crucem & Paradiſum? Hoc adnotat Chryſoſtomus, qui ponderans hæc Domini verba, vocat crucem, clauem Paradiſi. Crux, inquit, clauis eſt Paradiſi, crux Chriſti aperuit Paradiſum. Nihil medium eſt, & crux, & ſtatim Paradiſus. Latroni exiſtenti in cruce, & culpam ſuam agnoſcenti in cruce, Chriſtum innocentem confitenti in cruce, Chriſtumque oranti de cruce, promittitur quòd ad Paradiſum tranſibit de cruce; *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Homil. de Diuite.

Non mireris ſi tam citò Paradiſum ſit adeptus: hoc ardentiſſima fides, hoc humillima

eius

eius confeſſio meruerunt. Nam, vt obſeruat Auguſtinus, feruebat impietas perſequentium, exultabat impietas blaſphemantium: contritio, liuores, & vulnera ſolùm Chriſtum hominem demonſtrabant, ſacrarum manuum in ligno Crucis extenſio, pedum confixio per omnia infirmitatem hominis offerebat; vulnera, quantùm oſtendebant hominem, tantùm abſcondebant Deum, &c. Solus hic teſtis eſt Majeſtatis, qui ſocius probatur doloris. Serm. 110. de temp.

Diuus Chryſoſtomus perluſtrans omnium Patriarcharum & Prophetarum fidem, maiorem inuenit fidem latronis. Credidit quidem Abraham Deo; ſed credidit illi de cœlo loquenti, & per Sanctos & Angelos ſermonem proferenti. Credidit Iacob; ſed viſo Domino ſcalæ innixo, comitantibus illum Angelis per huiuſmodi ſcalam deſcendentibus & aſcendentibus; ita vt aliquando dixerit, *Vidi Dominum facie ad faciem*, &c. Credidit Moyſes; ſed de medio ignis loquenti in tubæ clangore & tonitrui. Credidit Iſaias; ſed Domino ſedenti ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Crediderunt, inquit ille Doctor, reliqui Prophetæ, ſed Dominum intuentes, ſicut videre poſſibile erat humanæ naturæ, quæ & infidelem poterant prouocare: iſte verò latro non credidit in regno videns Chriſtum, non illum vidit fulgentem, non illum vidit de cœlo reſpicientem, non vidit ei miniſtrantes Angelos. Certè, vt liberè dicam, non vidit liberè ambulantem: ſed vidit eum in Cruce, vidit eum bibentem acetum, vidit eum ſentibus coronatum, vidit Homil. de latrone. Geneſ. 32. Iſai. 6

eum

cum precantem auxilium; Deus meus reſpice in me: & ſic credidit.

Si dicamus huic latroni, quod Iſaac filio
Geneſ. 27. ſuo Iacob, *Quomodo tam citò inuenire potuiſti fili mi?* Certè reſponderet præ humilitate, quod Iacob patri, *Voluntas Dei fuit; vt tam citò occurreret mihi*
Pſalm. 27. *quod volebam*; & illud Dauidis, *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Voluntati diuinæ omnino tribuiſſet ſalutem ſuam. Sanè omnium ſalus licèt voluntati & miſericordiæ diuinæ tribuatur; veruntamen quoad conſequutionem gloriæ, quædam ſunt neceſſaria ex parte hominis, ſine quibus non poterit illam aſſequi, veluti bona opera. Quæritur autem quid egerit iſte latro, vt breui conſequutus fuerit, quod alij multo tem-
Orat. 7. in 40. Mart. pore. Reſpondet Diuus Gregorius Nyſſenus, quòd cauſa tam promptæ ſalutis fuit approximatio ipſius ad Chriſtum: approximabat autem ei, non tam corpore, quàm affectu, fide, ſpe, charitate, quibus etiam poſſumus nos ei
Lib. 22. in Luc. approximare. Credit Diuus Ambroſius ideo Petrum cecidiſſe, quia à Chriſto elongabatur, *Sequebatur à longè.* Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.

Homil. 3. de cruce & latrone. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Diuus Chryſoſtomus notat, Dominum duo nobis beneficia in iſtis verbis contuliſſe. Primò, ianuam Paradiſi nobis aperuit: ſecundò etiam latronibus in eum aditum præbuit. Parum eſſet, quòd ianua cœli aperiretur, niſi etiam peccatoribus pœnitentiam agentibus promitteretur. Vno tempore duo beneficia videmus eſſe conceſſa; vnum, quòd Paradiſus patefactus eſt: alterum, quòd latronem

in eum introduxit:Cur ita facis Domine? Volo, inquit, vt in cruce omnes poſſint meam inuenire virtutem, vt in ligno mea largitas demonſtretur. Nullus crucem, nullus tribulationem odio habeat, imò diligat, & libenter in illa moretur,& ſi fieri poſſit,moriatur, vt mereatur. In illa inuenitur & guſtatur Dominicæ paſſionis virtus:in illa demonſtratur diuina largitas. Nemo eſt qui poſſit excludi, ait Ambroſius, quomodo receptus eſt latro. Si peccata confitearis, ſi in Chriſtum credas,ſperes, & aduerſa quæ tibi obueniunt,libenter ſicut iſte latro patiaris, ſine dubio,ſicut & ille ſaluaberis.

Hodie mecum eris in Paradiſo. Cùm hæc audio, in mentem reuoco quæ dixit Dauid Berzelai, 2.Reg.19. qui Dauidi fugienti perſecutionem ingratiſſimi filij,Abſalomis, occurrit, opémque tulit, cui poſtea Dauid, *Veni mecum,vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem.* Diſcipuli Dominum dereliquerant,ipſe Pater videbatur illum dereliquiſſe,omnes deridebant, blaſphemabant, ſolus latro occurrit,defendit: hic ergo meretur audire, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* O promptam largitatem! vix latro abſoluerat precationem, quando Ieſus contulit præmiationem. Hoc obſeruat D.Auguſtinus,dum ſic ſcribit.Vberior gratia,quàm precatio:ille adhuc rogabat,vt meminiſſet ſui, cùm veniſſet in regnum, & Dominus cùm nondum veniſſet,ei iam regnum cœleſte tribuebat: quàm velox miſericordia! Tardius eſt votum precantis,quàm præmium remunerantis. In illud Pſal. 37. *Domine ne in furore tuo,&c.*

Quid adhuc dicant Patres comparantes hunc latronem Diuo Petro, libet audire. Loquens D.Chryſo

Hom. 1. de cruce & lat. D. Chryſoſtomus de fide huius latronis, ait: Petrus minas abiectę puellæ nō ſuſtinuit: latro verò multitudinem totius populi videns circumſtantem, & clamantem in eum ſummas infamias & opprobria, atque maledicta iaculantem, non attendit illis, non cogitauit viſibilem abiectionem eius, qui crucifigebatur; ſed oculis fidei hæc cuncta tranſcendens cognouit Dominum cœli. Et D. Auguſt. loquens etiam de D. Petro, & de Serm. 120. de temp. hoc latrone, ſic ait. Sub ipſo paſſionis tempore credidit reus, quod negauit electus. Et alibi. Serm. 130. de temp. Quando Petrus abnegauit deorſum, latro con- Serm. 45. feſſus eſt ſurſum. Et Diuus Ambroſius. Cōfitetur latro, quem diſcipulus abnegauit. Quando Petrus confitebatur Chriſtum eſſe filium Dei: quando, inquam, dixit, *Tu es Christus filius Dei viui*, ſtatim actus tantæ fidei ſuam recepit mercedem; claues ſcilicet Paradiſi, *Amen dico tibi*, &c. &, *dabo tibi claues regni cœlorum.* Sic contigit latroni, qui dum Chriſtum agnoſcit, ſtatim ei Paradiſus promittitur.

Ecce nunc conuertitur latro, imò, ſi ſic fari liceat, creaturæ ipſæ inſenſibiles videntur conuerti ſuo condolentes Creatori: & tu peccator non dolebis, nec conuerteris? Sol non redimitur, & obſcuratur. Non redimitur velum, & rumpitur. Petræ non redimuntur, & tamen ſcinduntur. In terram quidem, non pro terra Chriſti ſanguis funditur, & terra mouetur: & noſtra non emollientur corda? Fierine poterit, vt ipſi pro quibus Dominus patitur, non compatiantur, & non conuertantur?

Attendite nunc peccatores, & ſatagite vt vobis

vobis meritum paſſionis & ſanguinis Chriſti per pœnitentiam & bona opera applicetis, alioquin in die Iudicij hæc tam formidanda quiſque veſtrùm audiet: *Propè eſt dies occiſionis; nunc de propinquo effundum indignationem meam, & complebo furorem meum in te, & iudicabo te ſecundùm vias tuas, imponam tibi omnia ſcelera tua*, &c. Quaſi dicat: Nunc Pater æternus mihi impoſuit omnia peccata tua, vt pro ipſis ſatisfaciam, & pro te paterer: ſed quia oblitus es tanti beneficij, & noluiſti operari, quæ ex parte tua operanda erant, ac neglexiſti agere pœnitentiam, *ego effundam indignationem meam ſuper te*. Nunc effudi pro te totum ſanguinem meum: tunc autem *effundam ſuper te indignationem meam*. Nunc propter ſcelera tua iudicatus ſum: tunc autem *iudicabo te ſecundùm vias tuas*. Nunc peccata tua mihi ſunt impoſita, Crux ſuper me impoſita eſt, titulus mortis ſuper me impoſitus eſt, ſuper me impoſita ſunt flagella; *impoſità eſt aceto plena ſpongia arundini, & oblata ori meo*: ſed tunc *imponam tibi omnia ſcelera tua*. Transferam illa, & ponam ſuper te, tanquam in centro & proprio loco; quia ingratum te præbuiſti, agere pœnitentiam neglexiſti, & tanta tormenta pro te perpeſſa contempſiſti. Ezech. 7.

Cæterùm, qui exoptat alicuius arboris prægustare fructum, neceſſe eſt, vel arborem conſcendat, vel baculo ramos percutiat, vel ſub arbore expectet, donec fructus decidat, & illum colligat: aut ſanè arborem arripiat, & amplexetur, illámque peragitet, vt vel ſic fructum cadere faciat. Adeſt arbor Crucis, cuius fructus Chriſtus eſt, & eius ſanguis, de quo quidem fructu vt aliqui

aliqui participarent, conſcenderunt, vt Ioſeph & Nicodemus, qui ſacrum Ieſu corpus de Cruce abſtulerunt. Alius, vt ille miles baculo, ſiue lancea latus eius aperiens, exire fecit ſanguinem, ſimul & aquam. Nonnulli alij, vt Ioannes, Magdalena & piæ aliæ mulieres ad arborem Crucis expectabant. Quid modò nobis agendum eſt, qui eumdem fructum deſideramus? Si Crucem conſcendere non valeamus: ſi baculo percutere vereamur; illi ſaltem cum beatiſſima matre Ieſu adhæreamus, aut ſanè illam arripiamus, amplexemur, exagitemus, vt de illius fructu participemus.

Hic poteſt ſumi imago Crucifixi, & populo exhiberi.

Itaque ſurſum mentem noſtrā extollamus, & primò ad Patrem cœleſtem ſermonem noſtrum dirigamus, eíque cum Beato Auguſtino dicamus. Aſpice pie Pater, piiſſimum filium pro me tam impia paſſum. Reſpice clementiſſime Rex, qui patitur, & reminiſcere benignus pro quo patitur. Cerne manus innoxias pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera quæ patrauerunt manus meæ. Vide immaculata veſtigia, quæ ſemper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & fac me odio habere omnes vias iniquitatis. Attende pie Pater, filij chariſſimi caput niuea ceruice deflexa, pretioſiſſimam reſolutum in mortem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia; rigat beatos pedes beati ſanguinis vnda. Specta glorioſe genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea ſubſtantia. Conſpice Dei hominis pœnam,

Ibid. cap 6. & 8.

pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum, &c. Attende in filio, quod propitieris in ſeruo. Vide carnis Sacramentum, & remitte carnis reatum. Quoties tibi beatæ prolis patent vulnera; delitescant obſecro ſcelera mea.

Dic præterea eidem Deo Patri de eius amantiſſimo filio, quod Dauid de populo ſuo: *Ego ſum qui peccaui, ego qui iniquè egi, iſte autem qui ouis eſt, quid fecit? Conuertatur obſecro manus tua contra me.* Ille ouis eſt, ego lupus: ille agnus, ego leo: ille innocens, ego reus. Non debet pati ouis pro lupo, agnus pro leone, ſed patiatur peccator, patiar ego, flageller ego, crucifigar ego, moriar ego, qui peccaui, qui iniquè egi, propterea Domine, *conuertatur obſecro manus tua contra me.* 2. Reg. 24. 17.

Exclama cum eodem Auguſtino. O mirabilis cenſuræ conditio! Peccat iniquus, & punitur iuſtus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus: quod committit homo, ſuſtinet Deus. Lib. medi. in Manual. cap. 7.

Dic & Dei filio cum eodem pio Doctore. Ego iniquè geſſi, tu pœna mulctaris: ego crimen edidi, tu torturæ ſubiiceris: ego ſuperbiui, tu humiliaris: ego inobediens extiti, tu obediens ſcelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inedia afficeris: ego delector cibo, tu laboras patibulo. Proſequamur & cum eodem. Quid commiſiſti, dulciſſime Ieſu, vt ſic iudi- Lib. medi. cap. 7.

ceris? Quod ſcelus tuum? Quæ noxa tua? Quæ cauſa mortis? Ego ſum tui cauſa doloris, ego tuæ culpa occiſionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ paſſionis liuor, tui cruciatus labor.

Hæc omnia fateor, atque confiteor, culpam agnoſco, & miſericordiam imploro, téque bone Ieſu ſuppliciter exoro, vt per meritum tuæ ſacratiſſimæ paſſionis & mortis digneris nos abſoluere, & benedicere, qui viuis & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA RESVRRECTIONIS ET DIEI SANCTI PASCHÆ.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum, &c. Marc. 16.

ALEXANDER, teſte Plutarcho, Plut. audita Homeri fama, viſiſque eius verſibus & operibus, tanto tenebatur eum, licèt mortuum, videndi deſiderio, vt venienti ad ſe militi, atque fauſta ſe nunciare velle affirmanti, dixerit: Nihil mihi boni nunciabis, niſi renunciaueris Homerum reuixiſſe. Quidquid nobis nunciabitur, nihil aut parum erit, niſi audierimus ipſum Chriſtum ſurrexiſſe. Nullo poterant gaudio affici iſtæ piæ mulieres, quas D. Damaſcenus vocat *vnguentiferas*, niſi hoc lætiſſimum nuncium ab Angelo audiuiſſent, *Surrexit, non eſt hic.* Vnde hodie Græci ſe mutuò ſalutantes, aiunt,

In odis. *ἀληθῶς ἀνέςη ὁ κύριος* : id eſt, *vere ſurrexit Dominus*. Nihil enim eſt quod maiorem afferat fidelibus lætitiam, quam Chriſti reſurrectio, vnde nos reſurrecturos, & ex reſurrectione omnia bona ſperamus. Quid iſtæ mulieres egerint, quo hoc gratiſſimum nuncium audire potuerint, videamus.

Valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum. Summo màne venerunt, & tamen Dominicum corpus non inuenerunt, quia Chriſtus ſuam maturauerat reſurrectionem, ne illarum ſumeret vnctionem: nolebat enim huiuſmodi obſequium ſuo exhiberi corpori, non egenti; ſed egenis & adhuc laborantibus membris reſeruari. Hæc excogitatio eſt D. Bernardi, ſic ſcribentis. Dominus Ieſus paratam ſibi confectionem expendi noluit in ſuo corpore mortuo, vt ſeruaret viuo. Viuit Eccleſia quæ manducat panem viuum, qui de cœlo deſcendit. Ipſi ergo pretioſa vnguenta retinuit, cùm anticipians horam, & accelerans gloriam, mulierum deuotionem non eluſit, ſed inſtruxit, non recuſans obſequium, ſed reſeruans proficuum. Itaque ſecundùm Bernardum, ideo Chriſtus anticipauit horam reſurrectionis, ne ſuo corpori huiuſmodi obſequium præſtaretur, ſed pauperibus reſeruaretur: addit enim. In iſto ergo pepercit magiſter pietatis vnguentis optimis, quæ membris ſuis indigentibus cuperet exhiberi.

Serm. 12. in Cant.

Inſtruebat, inquam, Dominus, quibus impendendum erat obſequium à fidelibus, nimirum membris viuis, egenis, paupertate preſſis. In horum vſus quidquid impendatur, gratiſſimum

mum erit Redemptioni noſtro. Quam diuite Diuus Greg. Nyſſenus vocat Dominicam reſurrectionem,nutricem pauperum, quando ſic pauperibus de reſurrectione Chriſti loquitur. Pauperes amplectimini veſtram nutricem. vtpote qua ſibi Chriſtus impendenda docuit pauperibus reſeruari.Ideo enim maturata & anticipata eſt reſurrectio, non vt obſequium refugeret fœminarum , ſed vt earum obſequium tranſiret in vſum pauperum. Huc ſpectabat D.Hilarius ſic adhortans.Reſurrectionis triumphum celebrantes,fidem conuerſatione decoremus , miſericordiam in pauperes faciamus , imitemur Deum. Reſurgendo Dominus docuit pauperibus ſubueniendum , & qui illud executus non fuerit , audiet in communi omnium reſurrectione,*Eſuriui, & non dediſti mihi manducare* , &c. Euntes igitur huiuſmodi mulieres dicebant adinuicem. Orat. de Reſurrect. Hilarius.

Quis reuoluet nobis lapidem? De reuoluendo lapide monumenti cogitabant , & milites cuſtodientes ſepulchrum non metuebant:vnde Angelus his mulieribus aduentantibus dixit , *Nolite timere vos.* Expende (vos) Quaſi dicant:Vos quæ veniebatis Dominum quæſituræ,& ei famulaturæ , non debetis timere . Timeant qui Deo reſiſtunt,qui diuitias , voluptates, non Deum quærunt;qui verò Deo obſequitur, nil quod timeat, habet. Quod acutiſſima obſeruatione oſtendit D.Athanaſius,componens velum templi ſciſſum cum tunica inconſutili Chriſti integra conſeruata. Etenim cruci affixus Dominus carnifices deterrebat,ne tunicam ſcinderent,vt ea manente maneret Iudæorum opprobrium,quod nõ multo Serm. de Paſſ.

pòſt accidit, nimirum cùm velo ſciſſo, tunica Chriſti ne à carnificibus quidem diuiſa eſt, ſed integra manſit. Si igitur tunica, quæ res erat inanimata, nullum periculum ſciſſuræ ſubiit, etiam inter manus carnificum, ea ſola ratione, quia Domino inſeruierat; velum autem templi, licet maxima cuſtodia & cura aſſeruaretur, quod ita Domino non inſeruiebat, ſciſſum eſt, quomodo timebunt qui Domino inſeruiunt & obſequuntur? Itaque ô mulieres, *nolite expauescere* vel, ſecundùm Matthæum, *nolite timere vos.* Non eſt, quòd hic in termino timeatis, quæ in via huc accedentes non timuiſtis, ſed tantùm dixiſtis.

Matth. 28.

Quis reuoluet nobis lapidem? Licèt de reuoluendo lapide eſſent ſolicitæ, non minùs propterea pergebant, & accedentes *inuenerunt reuolutum lapidem.* Non ſic impij, non ſic, qui minimo impedimento, aut minima difficultate deſiſtunt agere, ad quod tenentur. Illud aduertebat Sapiens dum dicebat, *Dicit piger, Leo eſt foris, occidendus ſum:* vel, ſecundùm Septnaginta, *Leo in viis, & in plateis ſicarij.* Huius loci ſententia contra pigros, ſocordéſque intenditur, qui vt ſuæ inertiæ excuſationem aliquam obtendant, metum cauſantur, ac ne leuiores ob cauſas metuiſſe putentur, incommoda ipſa & pericula mirum in modum exaggerant.

Prou. 20.

Et quia duplex eſt actionis & laboris materies, ſcilicet agricultura, quæ ruri exercetur, & negotiatio, quæ in plateis peragitur, quonam modo deſes ac piger ab vtraque abſterreatur, aperit Salomon his verbis, *Leo eſt in viis, in plateis ſicarij.* Id eſt, ſi ſuadeas illi agriculturæ laborem

rem & exercitationem,ita cauſatur, *in viis*,id eſt, in agris paſſim leones immaniſſimi vagantur, qui obuios quoſque dilaniant.Quòd ſi illum ad fori negotia ſuſcipienda incitare velis, tunc quidem obiicit, in foro, & plateis vbi negotiatio peragitur, frequentes admodum contentiones,& rixas excitari,ibíque verſari homines qui ad modum ſicariorum alios inuadunt; atque adeò hic vaniſſimis terroribus concuſſus in ſua ſocordia & deſidia perſeuerat, domíque ſe continet.

His verbis non tam pigri ad negotia temporalia,quàm peccatores ad bona opera peragenda deſcribuntur. Ita exiſtimat Beda, qui in hunc locum ſic ſcribit.Dicit ſæpe in animo ſuo is qui ad agenda bona opera piger eſt: Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi,ne fortè me vel antiqua hoſtis aduerſitas grauior, vel etiam homo quilibet peruerſus irrideat,conuiciis confundat, iniuriis afficiat: Leo eſt foris in medio platearum, occidendus ſum. Idipſum obſeruauit D. Ephrem. Pigro ſemper excuſationes in promptu ſunt. Si aliquò mittatur, damnum,inquit, ex illo itinere proueniet: ſi quod ei opus agendum iniungitur,obmurmurat: cur iſtud,vel illud? non expedit, inquiens, iſtud fieri.Pete ab auaro cur bona aliena non reſtituat. Reſpondebit, *Leo eſt in via, occidendus ſum.* Si hæc redderem,vnde mihi & familiæ ſubuenirem, non haberem.Quære ab alio cur iniuriam non dimittat, & inimicum diligat. Reſpondebit,*Leo eſt in via,occidendus ſum.* Meus honos læderetur, omnes me deriderent, vir puſilli

Beda.

Lib. de virt. & vit.

animi haberet. Dic alteri, cur his diebus peccata ſua non ſit confeſſus. Reſpondebit, *Leo eſt in via*, habeo inimicum, cui donec reconcilier, peccata mea confeſſione ſacramentali non expiabo: & ſic de cæteris peccatoribus, quos vel minima difficultas à via virtutis capeſſenda prorſus abſterret. Hos pudefaciunt iſtæ mulieres, quas fœmineę imbecillitatis ratio, nec hora valdè matutina, nec itineris pericula, nec cuſtodes ſepulchri à bono propoſito deterruerunt, ſed *valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum.*

Vis audire quid vna ex illis, nimirum Magdalena, de Chriſto, eidem Chriſto ſibi incognito
Ioan. 20. dixerit? Lege Ioannem Euangeliſtam, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* O quàm verè dolebat de ablato Domino, quæ nulli parcit labori, nullum locum expauet, vt inueniat, quem diligit, & quem ſe amiſiſſe putabat. Illam conſiderando Origenes ait.
Orig. O ineffabilis mulieris audacia? nullum locum excipit, nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutè promittit, *dicito mihi, & ego eum tollam.* Sic, ſic ſunt affecti, qui verè amiſſum per peccata Dominum dolent; imò hinc elucet quantus ſit in animo dolor, ſi ad paruum laborem ſubeundum expauet, ſi ad operis exhibitionem pigreſcit, ſi diligentiam recuſat adhibere.

Abraham iuſſus iugulare filium, gladium exerit, & Iſaac iugulandus ceruicem animoſus præbet; in quo conflictu Deus arietem obiecit, & Abrahami dexteram, & Iſaaci ceruicem auertit. Quis horum imminentem iam Iſaaci mortem magis

magis verè doluiſſe creditur? Sanè Abraham pater erat, nec dubito quin in vnici filij internecione vehementer affligeretur, ſed & Iſaac iuuenis ſub gladij acie doleret. Dubium ſoluit Diuus Zeno dicens. Solus Deus doluit, qui aliam victimam procurauit. Vbi expendo, vnde concludat, Deum ſolum doluiſſe, nimirum qui aliam victimam procurauit. Quamuis patris & filij viſcera ſub gladio transfigerentur, nullus tamen eorum dolor putatur, qui nullam fecerunt diligentiam, vt funeſtum illud ſacrificium auerterent: ille ſolus, nimirum Deus doluit, qui vt vidit periculum appropinquare, ariete oblato, illud procurauit auertere. D. Zeno.

Non verè de peccatis dolet, qui remedium non procurat peccatis, qui ſeſe non offert labori & ſudori, vt tantum malum abigat, & ſibi Dei gratiam quibuſcumque periculis tollat. Solus ille dolere cenſetur, qui aliam victimam pro anima ſua procurat, nimirum mactationem affectuum carnaliũ, qui nulli labori parcit, vt Deum ſibi acquirat, qui ex toto animo ait, *Dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam*. Id eſt, dicito modum inueniendi Deum; non refugio laborem, non expaueſco dolores, vndecumque eum quæram & tollam. D. Chryſoſtomus attendens pium Magdalenæ animum, ſic eam rogantem inducit. Si tuliſti eum tantùm per te, oſtende locum, ego paro humeros meos, & tollo tecum. O verè pœnitentis præparatio, ego paro humeros meos! Paret vnuſquiſque corpus ſuum ad inſeruiendum Deo, ad ſubeunda quæcumque aduerſa; paret animam ad Deum diligendum. Se pa- In hunc locum.

rauerant iſtæ piæ mulieres ad quemcumque ſubeundum laborem, ideo ab Angelo audire meruerunt.

3. p. quæſt. q. 59. art. 3. *Surrexit, non eſt hic.* Si non erat hic, vbinam erat? D. Thomas reſpondet, hoc inquirere nimis eſſe curioſum: tamen addit veriſimile eſſe, tunc Chriſtum ſtatim poſt ſuam reſurrectionem fuiſſe cum Patribus, qui in limbo detinebantur: ſiue illi eſſent tunc in Paradiſo terreſtri, vt exiſtimat alibi idem Doctor, ſiue eſſent alibi. Alij autem putant Chriſtum tunc fuiſſe præſentem. Quando igitur Angelus dixit, *Non eſt hic*, id eſt, eo modo quo illæ mulieres illum quærebant: erat tamen hic tunc alio modo, nempe inuiſibili.

Quòd autem tunc Chriſtus loquente Angelo ad mulieres hic adfuerit, colligitur ex verbis Angeli, dum ait, *Ieſum quæritis crucifixum.* Ieſus enim adeſt loquentibus de ſua paſſione, vt dicetur cras Deo dante: vnde narrat Ioannes, quòd Maria Magdalena ſtans ad monumentum, foris plorans, & ab Angelo interrogata cur fleret, Ioan. 20. *conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem. Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Si Chriſtus hic non adfuiſſet, illum Magdalena non vidiſſet. Hic quædam ſunt obſeruanda.

Lib. 3. de virg. Primò D. Ambroſius premit illa verba Ioannis, *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans*: quaſi illa fleret, quia foris, non intus ſtabat. Quæ foris eſt plorat, nam quæ intus eſt, plorare non nouit. Ille intus eſt, qui in cœlis eſt, ibi nullus

erit

erit luctus, neque clamor erit vltrà. Ille verò foris eſt, qui in cœlis non eſt; foris igitur ploratus. Impij eiiciendi ſunt in tenebras non interiores, ſed exteriores, *vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Quæ verba attendens Tertullianus, quærit, & reſpondet, vbi? foris ſcilicet. Noli foris remanere, ſi non vis flere. Hoc eſt, caue ne ob tua peccata in tenebras exteriores proiiciaris, ne in æternum flere cogaris. Luc. 13. Lib. 4. Marc.

Pulchrè Origenes Magdalenæ exemplo propoſito, docet qualiter Ieſum debemus inquirere: Diſce, inquiens, à Maria quærere Ieſum in monumento cordis tui, reuolue lapidem ab oſtio monumenti Dei, amoue omnem duritiam, tolle omnem concupiſcentiam tuam à corde tuo, & diligenter perſcrutare, ſi ſit Ieſus in eo. Si autem non inueneris in eo Ieſum, ſta foris & plora, permane in fide, & reſpice foris ad alios; ſi fortè in aliquo videris eum, & plorando ora Ieſum, vt dignetur intrare ad te. Et iterum reſpice monumentum Dei, quod eſt in te, & ſi videris ibi Angelos, hoc eſt, cœleſtia deſideria, per quæ tamen adhuc non poſſis videre Ieſum, noli his contentus eſſe, noli adhuc deficiendo quieſcere, ſed plora & quære Ieſum, donec inuenias. Orig.

Secundò obſerua, quòd Chriſtus à Magdalena non cognoſcebatur, qui cum ea loquebatur. Adeò rara erant Ieſu cum fœminis colloquia, vt ex eo Magdalena non cognoſcat Ieſum, quòd ſecum priuatim videat colloquentem. Hæc obſeruatio eſt Origenis ſic Magdalenam alloquentis. Ipſe eſt Ieſus qui tecum loquitur, ſed forſitan ideo eum non cognoſcis, quia tecum loquitur. Orig.

tur. Si Chriſtus natura impeccabilis vix loquebatur cum mulieribus, ſed eas citò reiiciebat, qua fronte audet vir fragilis mulierem alloqui? Illas tu quoque eiicias, ne ipſæ te eiiciant. Memento, inquit Hieronymus, quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecit. Sit igitur breuis tua cum mulieribus ſermocinatio.

Hieron.

Tertiò obſeruandum eſt, Chriſtum apparuiſſe Magdalenæ in ſpecie hortulani. Quare? Primò, ſicut hortulanus aquas quærit ad irrigandum hortum: ita Dominus aquas lacrymarum quærit; nec tam diligit hortulanus aquas, quàm Chriſtus peccatorum lacrymas. Audi Chryſologum. Deus eſurit gemitus delinquentium, ſitit lacrymas peccatorum. Non ſibi quærit hortulanus aquas, ſed oleribus: ita nec Domino proſunt noſtræ lacrymæ, ſed nobis. Non metitur quod ſeminatur, ſi aquis non irrigatur: ita fructus bonorum operum vix colligitur, ſi lacrymæ non funduntur. Vis videre, quantam vim habeant lacrymæ, qualeſque fructus afferant ſi debitè emittantur? Audi eumdem Chryſolog. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, diluunt terram, extinguunt gehĕnam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione ſententiam. Addo & hunc fructum, lacrymæ huius mulieris Chriſtum videre meruerunt; colligitur ex illis verbis, *Dum ergo fleret,* &c. *vidit Ieſum.* Quaſi dicat Euangeliſta; ergo, quia fleuit, Ieſum videre meruit.

Serm 93.

Ibidem.

Præterea, in ſpecie hortulani Chriſtus apparuit, quia ſicut hortulanus antequam plantet, vel ſeminet, habet rationem temporis; alia enim

in

in plenilunio, alia in nouilunio ſunt ſerenda: ita Chriſtus videtur obſeruaſſe tempus ad ſanguinem ſuum fundendum, & ſeminandum in agro Eccleſiæ; de hoc tempore ſic Ioannes, *Sciens Ieſus quia venit hora*, &c. Voluit mori opportuno tempore: fuit enim cruci affixus in plenilunio, ſcilicet Luna 15. & die 25. Martij. Ita exiſtimat Tertullianus, idem ſentit Diuus Auguſtinus, idémque Chryſoſtomus. In qua die conceptus eſt, in eadem & paſſus eſt. Et reſurrexit die 27. eiuſdem menſis. Decebat illum mori in plenilunio, qui natus fuerat in plenitudine temporis, *vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum.* Sicut igitur hortulanus obſeruat tempus ſerendi: ita Dominus obſeruauit tempus moriendi, & reſurgendi, imò & naſcendi, vt mox dicemus.

Ioan. 13.

Lib. aduerſ. Iud.

Lib. 18. de ciuit. Dei cap. vlt.

Homil. de nat. S. Ioan. Bap. tom. 2.

Ad Gal. 4.

Dices: Cur Chriſtus paſſus eſt in plenilunio, vel Luna 15. Martij. potiùs quàm alterius menſis? Vt oſtenderet ſe omnia quæ de ipſo ſcripta erant, adimpleuiſſe. Vnde Petro amputanti auriculam ſerui in horto, ait, *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* & ibidem dicitur: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ.* Implendæ erant etiam ſedes cœleſtes, ſed non niſi per eum, qui pro impleturis crucifixus eſt in plenilunio. Quòd præcipuè in illo plenilunio, id eſt, Luna 15. Martij, Chriſtus mortem obierit, non caret myſterio. Quod vt meliùs intelligatur, notandum eſt cum D. Gregorio Nyſſeno, Dominum eo tempore mortuum fuiſſe, quo nullæ in mundo extant tenebræ; nulla eſt enim orbis pars, quæ vel Solis, vel Lunæ luce in

Matth. 26.

Orat. 1. de Reſurrect. Chriſti.

pleni

plenilunio Martij non illuminetur:& tamen eo tempore moriente Domino, *factæ ſunt tenebræ per vniuerſam terram.* Obſcuratus eſt orbis,quando vndique debebat illuminari, ſed tenebreſcebat, quia Chriſtus moriebatur. Vt igitur Dominus commendaret generalem illam Eclipſim, tanquam miraculoſam, ac teſtem ſuæ innocentiæ aduersùs Iudæos, oſtenderétque non eſſe ſimilem cæteris, voluit mori in plenilunio, in quo nunquam contingit Solem naturaliter pati Eclipſim, ac in eo plenilunio Martij,in quo ſolet totus orbis illuminari.

Mortuus eſt, inquam,in tenebris,vt innueret ſe veram eſſe lucem, qua ceſſante totus teneбreſcit mundus: ipſo autem reſurgente, demùm illuminatur mundus. Vnde Marcus Euangeliſta narrans Chriſti reſurrectionẽ, incipit ab aurora diei, quæ prima erat Sabbati, aitque Dominum reſurrexiſſe quidem valdè manè,ſed *orto iam Sole.* Etenim quando mortalem hanc & defectibilem vitam Dominus ſubiuit, natus fuit nocte,vt vel à temporis obſcuritate properantis mortis caliginem præſagiret; & ſicut hanc mortalem vitam à nocte inchoauerat, illam etiam in nocte finiuit. Verùm nunc minimè perituram vitam reſumens, illuceſcente aurora rediuiuus coruſcat. Quamuis media nocte Chriſtus reſurrexiſſet, ſemper Sol radiaſſet,ſicut & radiauit ipſo
Serm.79. reſurgente *valdè manè.*Huc ſpectabat Chryſolog. dum hæc verba, *valdè manè vna Sabbatorum*, ſic expendebat. Bene vna, quia reſurrectionis dies alteram neſcit, reſurgentium lux mori non poteſt; lux quæ mortem delet, neſcit extingui.

Ex

Ex his etiam quæ idem Doctor aſſerit alibi, colligere poſſumus,quòd Sol obſcuratus fuiſſet quacumque hora Chriſtus obiiſſet; & illuminaſſet quacumque hora reſurrexiſſet. Adhuc erat dies, quando mortuus eſt, & tamen *tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram.* Et quando reſurrexit, teſte Euangeliſta, *adhuc erant tenebræ*; & tamen ortus erat Sol, *orto iam Sole.* Cur id? Reſpondet ille Doctor. Solem,qui præter horam, vt Domino compateretur, abſconderat claritatem, cùm reſurgeret Dominus, ante tempus occurriſſe, & eiectis tenebris antelucanum erupiſſe credimus. Quia igitur Chriſtus Dominus & naſcendi,& moriendi,& reſurgendi tempus ad modum hortulanorum obſeruauit, non mirum ſi in ſpecie hortulani apparuerit. Serm.8. Ioan.20.

Aſſignatur & alia ratio huius apparitionis in forma hortulani. Sicut hortulanus libenter plantat, ſerit & ſeminat, ſed ex tanto labore fructum expectat; ita Chriſtus ſuum ſeminauit ſanguinem, quando illum pro nobis effudit. Seminauit præterea in cordibus noſtris ſemen ſuæ doctrinæ,expectat nunc à nobis fructum bonorum operum. Adducta fuit mulier adultera ad Ieſum, & vehementer à legis doctoribus accuſata: Ieſus autem accuſationem audiens inclinauit ſe, *& digito ſcribebat in terra.* Cur Dominus in terra ſcribit? Iudex tanti criminis ſtatuitur, & ipſe demiſſo indice terram arat? An videri magis optat hortulanus terram ſterilem excolendo, quàm Iudex damnando? Dicat Auguſtinus. Nunc Dominus in terra ſcribebat, quia fructum requirebat. Qui tanquam hortulanus Serm.37.de verb. Dom.

ſe

ſe geſſerat coram adultera, voluit & tanquam hortulanus apparere coram Magdalena, de qua

In hunc locum. ſic Greg. Forſitan nec errando hæc mulier errauit, quia Ieſum hortulanum credidit: an non ei ſpiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris ſui vim ſumma virtutum virentia plantabat? Sine hortulano, omnia quæ in horto ſunt marceſcunt,& ſterileſcunt: ſic ſine

Homil. 2. in Pentecoſt. Chriſto quæ in nobis ſunt. Ergo, ait Diuus Maximus, in hortulo Saluator rediuiuum corpus aſſumit, & inter florentes arbores refloreſcit, & ita germinat de ſepulchro, vt germinantia, & nitentia cuncta reperiat.

Voluit tandem Chriſtus apparere veluti hortulanus, quaſi in horto voluerit grana ſeminare, vt mortis facinus impeditum monſtretur, & vt vitæ & reſurrectionis ſpem à ſatis germinibus colligamus. Hinc facundiſſimus ille reſurrectionis prædicator Paulus, tanquam apertiſſima illius ſigna & exemplaria, proponit

1. Cor. 15. arua ſeminibus fœcunda, dum ait, *Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi priùs moriatur,* &c. *Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale.* Inſignis eſt imago, & argumentum reſurrectionis in ſemine moriente, & repullulante,ac quaſi reſurgente. Quot enim ſunt frugiferi horti, tot ſunt teſtimonia, tot voces quæ futuram faciunt

Serm. 34. de verb. Apoſt. ſperare reſurrectionem: vnde clamat Auguſt. Tota huius mundi adminiſtratio teſtimonium eſt futuræ reſurrectionis. Videmus certè hyemis tempore, vel aduentu, arbores ſpoliari pomis, nudari foliis: ſed eas etiam verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere, quæ primò

quidem

quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, veſtiri & foliis, & poſtmodum pomis grauari. Interrogo te, infidelis homo, qui de reſurrectione dubitas, vbi ſunt iſta, quæ tempore, quo Deus diſpoſuit, producũtur? Dic mihi, vbi latitant antequam producantur? quæ nuſquam quidem videntur, ſed tamen Deus qui omnipotens eſt, & ea ex nihilo condidit, ſecreta ſua virtute producit. Hinc iam ad campos & prata reſpicite, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpoliantur ac floribus, & nuda remanent ipſa ſpatia terrarum: ſed itèrum verno tempore reueſtiuntur, & nouo vbique germine incipiente lætatur agricola. Certe herba, quæ antè vixit & moritur, rurſus reuiuiſcit ex ſemine: ſic etiam & noſtrum corpus reuiuiſcit ex puluere. Sũt noſtra corpora poſt mortem veluti grana, quæ aliquando ſeminata, tandem renaſcuntur: vel ſicuti herbæ, quæ hyeme emortuæ, poſtea verno tempore reuiuiſcunt. Hoc agnouerat Iſaias, ſic enim ait, *oſſa veſtra quaſi herba germinabunt,* Iſai.46.

Cùm igitur hortulani ſit, grana ſuo tempore ſeminare, herbas plantare, & arbores curare, vt aliquando pullulent, & reuireſcant, non mirum ſi Dominus à ſepulchro reſurgens hortulani ſpeciem gerat, quaſi iam inde ſpem de reſurrectione præbiturus, atque ita lætitiam omnibus præbiturus. Nihil enim eſt quod magis fideles conſoletur, quàm ſpes reſurrectionis, iuxta illud Tertulliani. Spes Chriſtianorum, reſurrectio eſt mortuorum. Lib. de Reſurrect. Nihil conſolabatur Iobum in ſterquilinio ſedentem, vlceribus plenum, filiis orbatum, bonis ſpoliatum, ab vxore deriſum, quàm

ipſa ſpes reſurrectionis. Hoc notat Origenes. Ipſe ſedebat ſuper aceruum ſtercoris,plus ſibi de ipſis vermibus , atque putredine , quàm olim de regni gloria complacens. Nam omnia illorum finem poſt hæc omnia,quæ glorioſa ſunt , carnis mors ſpectat , & poſt omnem putredinem atque vermem,reſurrectionem carnis ſperat.Vides quam reſurrectionis memoria ſoletur in afflictione mœſtos. Suam autem reſurrectionem Iob auſpicabatur ex Chriſti reſurrectione , quam præuidens dicebat ; *Scio quia Redemptor meus viuit,& ego de terra ſurrecturus ſum & rurſum circundabor pelle mea , & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*

Lib. 1. in Iob.

Iob. 19.

Notandum eſt quòd Chriſtus vocatur *primitiæ dormientium*,ſiue *primogenitus mortuorum*. Primitiæ dicebantur primi terræ fructus , qui olim in lege veteri Deo offerebantur. Solent olitores ſiue hortulani offerre dominis ſuis primitias frugum , quæ ex illorum hortis colliguntur. Sic Chriſtus poſt reſurrectionem , quaſi primitiuus fructus è terra in quam quaſi granum ceciderat, repullulans,& renatus per reſurrectionem , Deo oblatus eſt. Eſt itaque & offerens & oblatus, quia ſeipſum offert ; & quia hortulanorum eſt offerre primitias frugum, voluit veluti hortulanus apparere. Dicitur autem primitiæ , & primogenitus mortuorum , quia fuit primus reſurgentium ; primus inquam ordine dignitatis & meriti:vel primus tempore, quia inter reſurgentes ad vitam immortalem Chriſtus fuit primus. Licèt enim aliqui ante Chriſtum ſuſcitati ab Elia & Eliſæo reſurrexerint , tamen illi tantùm

reſurre

reſurrexerunt ad præſentem vitam mortalem, ruſúmque mortui ſunt: Chriſtus verò primus fuit, qui reſurrexit ad vitam beatam, glorioſam, & æternam. Poteſt etiam dici primus reſurgentium, cauſalitate, quia per Chriſtum omnes reſurgemus: vnde Paulus quibuſdam reſurrectionem generalem negantibus, & Chriſti reſurrectionem fatentibus, dicebat; *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.* Quaſi dicat; cùm Chriſtus reſurrexerit, certè nos reſurgemus, quia primaria mortis & reſurrectionis Chriſti hæc cauſa fuit, ſcilicet plena abolitio mortis, vitæ reductio, fuítque Chriſti reſurrectio exemplar noſtræ, ſcilicet, vt alij homines reſurgant ad iuſtitiam in hac vita, & ad gloriam in altera. 1.Cor.15.

Surrexit, non eſt hic. Apud Lucam duo Angeli his mulieribus dixerunt; *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Non eſt Ieſus quærendus inter mortuos; ſi mortua ſit anima tua peccato, tecum non inuenies Ieſum. Audi quid ipſe parentibus dolentibus dixerit, *Neſciebatis quòd in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Sanè Beatiſſimus Ieſus terræ cœlique Dominus, in his ſolùm adeſt, quæ Patris ſui ſunt. Vide ſi in te ſint, & ſi his incumbas quæ Patris cœleſtis ſunt. Luxuriæ operam das? Ieſus *non eſt hic.* Quæris vlciſci de inimicis? *Non eſt hic.* Proximo detrahis? *Non eſt hic.* Furaris? *Non eſt hic.* Non quòd non videat quæ geris; ſed ibi illum non inuenies, vel ad illum non peruenies per ea quæ operaris, ſi Patris eius non ſint. Sed non ſunt Patris, quæ ſunt contraria filio: ergo in his Ieſum non inuenies, quem Luc.24. Luc.2.

oportet eſſe in his quæ Patris ſunt.

Præcedit vos in Galilæã: ibi eum videbitis, ſicut dixit Matth.28. *vobis.* Iuxta igitur illud promiſſum, *abierunt vndecim in Galilæam, in montem quem conſtituerat illis* Lib. medit. vitæ Chriſt. cap.94. *Ieſus.* D. Bonauentura credit diſcipulos abiiſſe in montem Thabor. Ille erat mons à Chriſto aſſignatus, vt ibi appareret reſuſcitatus, vbi apparuerat transfiguratus. Et non ſolis apparuit diſcipulis, ſed & quingentis viris, qui cum illis erant, 1.Cor.15.5. vt ait Paulus, *Viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ſimul*, &c. Quid mirum ſi in monte appareat diſcipulis, qui in monte illos elegit, qui que in monte orauit, in monte turbas docuit, in monte famelicam turbam pauit, in monte tentatur, in monte transfiguratur, in monte patitur, de monte cœlum conſcendit?

Promiſit Chriſtus ſe iturum in Galilæam, non in Iudæam, ne videretur de Iudæis, qui eum crucifixerant, velle vindictam ſumere. Vt igitur diſſimulet iniurias, & hoſtes nõ puniat, aliò pergit Dominus, præcedens diſcipulos in Galilæam. Lib 2. de oper. Spir. cap.27. Hoc conſiderauit Rupertus. Non continuò peremptoribus ſuis manifeſtus efflagrans inſultauit, aut meritas vindictæ pœnas exegit, quod facere interdum minùs prudentium hominum eſt. Prudentem imitare Chriſtum de hoſtibus non vlciſcentem, vt illum ſequaris in cœlo regnantem.

FERIA

FERIA SECVNDA POST PASCHA.

Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Luc.24.

PLACET illud Hieronymi de Nepotiano ſcribentis: Cum quo loqui non poſſumus, de eo loqui nunquam deſinamus. Exiſtimabant iſti duo diſcipuli ſe nunquam poſſe cum Chriſto Magiſtro ſuo loqui, ideo de eo ſemper loquebantur; *Et ipſi loquebantur ad inuicem de omnibus quæ acciderant.* De mortuo loquebantur quem rediuiuum non arbitrabantur. Et tamen viderunt præſentem, quem exiſtimabant abſentem; nam ab eis non recedit Chriſtus, à quibus non recedit memoria paſſionis Chriſti: adeſt, inquam, de ſua paſſione loquentibus. Sic præſentem habuerunt iſti duo diſcipuli; *Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Hieronymus.

Expendit D. Bernardus illud ſponſæ de ſuo ſponſo Chriſto; *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, &c. Cant. 1.
Et protinus addit, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus*

mihi, inter vbera mea commorabitur. Ecce tibi quàm longè diſcumbebat Rex; tamen qui in accubitu ſuo remotiſſimo erat, iam in ſponſæ ſinu latitare dicitur, iam ſponſæ hæret lateri, nec poterat ab illa abeſſe, cui paſſionis ſuæ memoriam videbat adeſſe. Hunc pium Doctorem audiamus. Antè in accubitu regio, modò inter ſponſæ vbera: & qui longè erat, in breui factus eſt propè. Vnde in breui factus eſt propè? Quomodo poſſum remotiſſimum Dominum ad me trahere? Reſpondet idem Bernardus. Tu quoque ſi ſapis imitaberis ſponſæ prudentiam, amara illa quæ pro te Ieſus pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione reuoluens. Sicut ſua paſſione nos ad ſe traxit, ipſe enim, ait, *Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum:* ita nos memoria ſuæ paſſionis illum ad nos trahimus.

Homil. 43. in Cant.

Vnde auſim dicere, quòd vel hinc deberet infallibilis Chriſti Domini præſentia in Euchariſtia præņoſci, quòd præ cæteris Sacramentum hoc viuificæ paſſionis Dominicæ ſit memoriale, ibi enim præſens dignoſcitur, vbi memoria recolitur. Audi Diuum Gaudentium. Verè iſtud eſt hæreditarium munus teſtamenti eius noui, quod vobis ea nocte, qua tradebatur, tanquam pignus ſuæ præſentiæ dereliquit. Voluit enim animas pretioſo ſanguine ſuo ſanctificari per imaginem propriæ paſſionis. Etenim nullum certius pignus infallibilis Chriſti præſentiæ, qua eſt in Euchariſtia, proponi nobis viſibile potuit, quàm ea res, quæ effuſi ſanguinis erat imago, & commemoratio.

Serm. 2. de mand. agni paſch.

Per

Perperam igitur colligunt hæretici ex verbis Domini, *hoc facite in meam commemorationem*; & ex illis Apoſtoli: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, &c. Chriſtum non eſſe in Euchariſtia præſentem, cùm inde deberent colligere eius præſentiam, vbi audiunt fieri eius paſſionis memoriam. Si enim adfuit diſcipulis de paſſione loquentibus, quantò magis memoriale paſſionis exhibentibus, & ipſummet ſacrificantibus: Quomodo paſſionis memoria Chriſtum faceret abſentem, quem reddit præſentem? Non illum excludit quem aduocat. Itaque vbi dolores eius commemores, vbi acerbiſſimos cruciatus, crucem, effuſionem memoreris ſanguinis, iam pignus præſentiæ illius habes, iam tibi adeſt, tecum eſt, & tecum obambulat. Sermocinantibus igitur, ac inuicem colloquentibus adfuit Chriſtus, qui cùm diſcipulos iſtos interrogaſſet de his quæ adinuicem conferebant, vnus ex eis reſpondit ei, dicens.

Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus? Qui heri apparuit Magdalenæ in ſpecie hortulani; nunc vult duobus iſtis diſcipulis apparere veluti peregrinus. Dominus enim in ſe eam referebat formam, quam illi diſcipuli incredulitate ſua habebant; ait enim D. Gregorius. Hoc egit Dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis: quod ipſis in animo ſuo erat, hoc illis videndum in ſe Dominus extrinſecus, & manifeſtè exhibebat. Ad eos qui crediderant dixit Diuus Paulus; *Fratres iam non* Homil. 23 in Euang. Ad Eph. 2

eſtis hoſpites & aduenæ; ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei. Verùm diſcipuli hi quatenus in infidelitate erant, nondum ciues, nondum domeſtici Dei cenſebantur, adhuc aduenæ & peregrini, ſtulti & ignorantes manebant; quapropter illis Ieſus appropians, hanc ipſam ſpeciem aduenæ & peregrini referebat.

Tom. 2. Bibl. Patr. Pulchrè Agapetus Diaconus ad Imperatorem Iuſtinianũ, explicat quis ſit Deus vnicuique hominum. Sicuti exquiſita ſpecula tales monſtrant vultuum apparentias, qualia ipſa archetypa; nitidas videlicet nitentiũ: triſtes autem triſtantium: eodem pacto iuſtum Dei iudicium noſtris actionibus aſſimilatur. Qualia enim ſunt, quæ à nobis præſtantur, talia ipſe nobis par pari referens exhibebit. Quid aliud tibi monſtrat ſpeculum quàm teipſum? Quem vides in ſpeculo, niſi te? Tu tibi per ſpeculum vel places, vel diſplices. Facies decora & gratioſa quæ tibi in ſpeculo arridet, tua ipſius eſt, ſic accedentis facies: fœdus ille vultus, qui te ab ſpeculo diuexat, & angit, tuus vultus eſt: nihil aliud præſtat ſpeculum, quàm teipſum tibi obiicere; ita Deus optimus maximus eſt veluti ſpeculum mirè pellucidum, in quo is tibi refertur vultus, qui tibi fuerit: qualis acceſſeris Deo, talis tibi Deus exhibetur. Nihil in Deo acerbum, nihil moleſtum, nihil peregrinum, niſi tuum, eam ſolùm vultus apparentiam in hoc lucidiſſimo ſpeculo inuenies, qua tu acceſſeris.

Cauſaris in Deo peregrinum Iuſtitiæ opus, doles quòd ſeuerùs tibi appareat? Verùm tu ipſe es ille peregrinus, qui te angit, qui te

à ſpe

à ſpeculo repercutitis radiis diuerberat. Nõ ſanè ſpeculum, non Deus, aiebat Dauid, ſed *peccatum meum contra me eſt ſemper.* Nemo crudelior fœditatum accuſator, quàm ipſe fœdus homo ſibi eſt, dum ad ſpeculum accedit. Nihil magis ſæuum, & crudele in ſe aſpicit turpis fœmina, quàm ſeipſam in ſpeculo: nihil magis acerbum peccator, quàm ſi ſeipſum videat in Deo. Iſti igitur diſcipuli in Chriſto videbant figuram peregrini, non quòd Chriſtus eſſet peregrinus, ſed talem eis ſe exhibebat, vel eam referebat ſpeciem qualem ipſi habebant: erant illi peregrini, ideo putant ſe videre peregrinum.

Tu ſolus peregrinus es, &c. Quo telo Dominus deuicit hoſtem, eo victor diſcipulis apparuit: vicit autem diabolum, mortem & mundum, habitu peregrino; ergo peregrinus eis apparuit. Futurum peregrinũ iam nouerat Ieremias, dum ad eum ſic præuidens loquebatur: *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* vel, vt eſt in Hebræo, *quaſi peregrinus:* vel, vt vertit Arabicus, *hoſpes & aduena.* Fuit Chriſtus in terra veluti peregrinus, quia licet terræ eſſet Dominus, & veniſſet in propria: ſui tamen eum, quaſi peregrinum receperunt. Deinde, quia caducis terræ bonis non eſt vſus, niſi ad neceſſitatem, quaſi peregrinus, non habuit vbi caput reclinaret: non habuit propriam domum, ſed Marthæ & aliorum hoſpitium: nullo captus fuit viæ & rerum vitæ amore. Ierem. 14.

Nihil tam metuendum, nihilque tam exitiale

diabolicis poteſtatibus, quàm vel peregrini aſpectus. Auſus eſt hoſtis crudelis in ſanctiſſimum Iob, ſed minimè in Abraham, Iſaac & Iacob; quia in terra habitabant tanquam peregrini. Hoc obſeruauit Rupertus. Iobum conſiderauit Sathan circumeundo terram, quomodo etiam non conſiderauit Abraham, Iſaac & Iacob fidei promiſſionem habentes, & propter illam ſpem peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterum tranſeuntes? Planè conſiderauit & iſtos; ſed quid ageret? Conſiderauit quidem, ſed vt certa domo, & patria carentes, illos vbique peregrinos vidit, prorſus deſperauit, nihílque quod aduersùs peregrinos ageret habuit. O vim & poteſtatem peregrinantium maximam! felix qui ſic ſe nouit in terra gerere, vt nullibi ciuis, ſed in omnibus peregrinus ſit & extraneus, is omnium terribiliſſimus exiſtet tenebrarum poteſtatibus.

Lib. 3. de vict. verbi Dei. cap. 5.

Ideo etiam Dominus præbuit ſe peregrinum, vt doceret nos hic quandiu viuimus eſſe peregrinos. Et ſanè nulla eſt creatura quæ cenſeatur peregrinari, niſi homo. Nam Angeli & cæteri beati non poſſunt dici peregrini, cùm iam ſint in cœlo, tanquam in patria. Dæmones quoque, & cæteri damnati non ſunt peregrini, cùm nuſquam tendant, & ſint in inferno tanquam in termino, nunquam ab eo exituri. Bruta non poſſunt dici peregrinari ſuper terram, cùm ad nullam aliam patriam tendant, ſed ibi maneant vbi naſcuntur, & moriuntur. At homo, quia aliò tendit, nempe ad cœlum,

ſolus

ſolus cenſetur peregrinus, quandiu viuit in hoc mundo.

Hinc patet hunc ſenſum & hanc vocem; *Peregrini ſumus in hac vita*, fuiſſe priſcis illis Patribus familiarem; vnde Dauid: *Aduena ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Idem dicebat eius filius Salomon, *Peregrini ſumus coram te, ſicut omnes patres noſtri.* Erras Chriſtiane, ſi hîc te domum habere putas, ſi te hîc ad quietem, quaſi in patria componis: peregrinus hîc es, peregrinaris in terra aliena, patria & requies tua eſt in cœlo, illuc propera, illuc feſtina. Audi D. Auguſtinum. Omnis qui ad ſupernam pertinet ciuitatem, peregrinus eſt mundi, & dum temporali vtitur, in patria viuit aliena. Beatus Olympius Abbas, vt narrat Sophronius, à quopiam rogatus, quanam ratione rectè vitam ſuam inſtitueret, reſpondit: Vbique te æſtima peregrinum, & vbicumque ſederis, dic, peregrinus ſum.

Pſalm.38.

1.Paral.29.

In Sent. num.17.

In Prato ſpirituali. cap.12.

Quare pulchrè admonet Diuus Petrus, *Chariſſimi obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduersùs animam.* Nam qui ciuis eſt cœli, & terræ aduena, debet contemnere terrena. Hortatur & Auguſtinus. Chriſtianis rectè gaudendi cauſa non præſens ſæculum eſt, ſed futurum; & ita vtendum eſt temporalibus, ne obſint æternis, vt in via qua peregrini ambulant, hoc placeat, quod ducit ad patriam. Iuuat & audire Senecam, qui, ac ſi eſſet Chriſtianus, oſtendit qualiter nos hic gerere debeamus. Magnus, inquit, animus conſcius ſibi melioris naturæ dat quidem operam,

1.Petr.2.

In Sent. num.113.

Epiſt.121.

operam,vt in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſtè ſe,ac induſtriè gerat. Cæterùm iam nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum iudicet; ſed vt commodatis vtatur, peregrinus, & properans.

Cognoſcet autem quis ſe eſſe peregrinum, ſi hunc mundum agnouerit veluti magnum quoddam diuerſorium,& alienum hoſpitium. Omnes enim ſumus in hoc mundo, ſicut viatores in diuerſorio, qui vtuntur quidem menſa, lecto, vrceo, & cæteris hoſpitij ſupellectilibus, ſed non licet eis ea inde auferre:ita rerum omnium quæ ſunt in hoc mundo,ſolus nobis vſus conceditur; ſed ex his nihil auferre permittitur. Audi Apo-
1.Tim.6. ſtolum: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus.* Hoc & agno-
Epiſt.103. uit Seneca, qui res huius mundi eſſe veluti ſarcinas hoſpitij ſcribit. Quidquid circa te iacet rerum tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. tranſeundum eſt.Excutit natura redeuntem,ſicut intrantem. Si tua eſſent quæ in hoſpitio ſunt,illa tecum exeundo auferre liceret, ſed ſunt ibi relinquenda:ita nihil horum quæ in mundo ſunt, è vita migrando tecum auferre poteris;quia non
Serm.4. de Aduent. tua,ſed mundi ſunt. Increpet igitur Diuus Bernardus. Quid vobis filij Adam cum terrenis diuitiis & gloria temporali, quæ neque vera, neque veſtræ ſunt? ſi veſtra ſunt hæc, tollite ea vobiſcum; ſed homo cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Hoc ſolùm viator ſecum defert ex hoſpitio quod manducauit & bibit, ſiue illud ſit bonum, ſiue malum: ita homines ex hoc mundo migran

migrantes non ſument omnia, ſed cæteris dimiſſis, ſola opera tam bona quam mala ſecum deferent, *opera enim illorum ſequuntur illos.* Rideres ſi peregrinum, ſpretis quæ ſunt in ſua patria, in alienis ſarcinis, aut ſupellectilibus hoſpitij amorem ſuum collocantem videres. Nam teſte Seneca, peregrinantibus hoc eueniet, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Planè riſu digni ſunt, qui res huius mundi diligunt, & quæ ſunt patriæ cœleſtis negligunt. Epiſt.2. Audi quid dicat Diuus Auguſtinus de homine in hoc mundo conſtituto. Viator eſt, in quit, reficiat ſe, & tranſeat. Non ſecum tollit, quod in ſtabulo inuenit. Omnes hîc relicturi ſunt, quod hîc acquiſierunt. Serm. 227. dtem ep.

Si itaque peregrinum te agnoſcas, tanquam peregrinus viuas in hoc ſæculo, Deus tui curam habebit. Nam teſte Pythagora, peregrini Deo curæ ſunt. Et non tantùm dum peregrinantur, ſunt ei curæ, ſed peracta illorum peregrinatione, Dominus habet curam eorum ſepulturæ. Vnde obſeruat Matthæus, quòd proiectis à Iuda triginta argenteis, Phariſæi dixerunt, *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt, & emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Quod non ſine diuina prouidentia factum eſſe notat Diuus Maximus, qui inde colligit, ad eos præcipuè pertinere pretium ſanguinis Chriſti, qui ſe habent in hoc mundo tanquam peregrini: ſic enim ſcribit. Peregrinis qui erant ſine domo, ſine patria, requies Chriſti ſanguine prouidetur, vt quibus non eſt in mundo poſſeſſio, iis ſit Pythag. Matth.27. Hom. de Iuda prod.

in

in Chriſto ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus, niſi deuotiſſimos Chriſtianos, qui renunciantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo, in Chriſti ſanguine requieſcunt? Peregrini inquam ſumus, & nobis Saluatoris ſanguinis pretio empta eſt ſepultura. Qui curauit, vt corpora peregrinorum pretio ſui ſanguinis terræ mandarentur; curabit vt illorum animæ eodem pretio in cœlo collocentur. Itaque ſicut peregrini viuamus, & Dominum peregrinum ſequamur, ſimul & audiamus.

O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt Prophetæ! Mirum equidem eſt hoc ſermonis initium, mira hæc beneuolentiæ captatio. Homo ignotus comites, quibus ſe adiunxit, ſtultos vocat. Stultos, inquam, vocat eos, qui ſapienter de Magiſtro, & de his, quæ ei acciderant, loquebantur. Tardos appellat, qui ipſum Magiſtrum tardum ad reſurgendum autumabant. Hæc verba illorum excandeſcentiam potiùs, quàm beneuolentiam poterant excitare. At verò Deus eſt, qui arguit, & qui increpando accendit corda. Miſericordi obiurgatione illos percutit: non repulerunt ipſi aſperè obiurgan-
Prou.25. tem, memores illius, *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Quæ verba facilè intelligentur, ſi quædam an-
Lib.3.c.25. notentur. Olim, teſte Cœlio ex Apuleio, & ex Platone, nobilibus tantùm aureos circulos, ſeu inaures aureas auriculis appendere licitum erat. Itaque quos antiqui volebant nobilitare, eos inauribus

inauribus ſolebant decorare. Sicut igitur non eſt indecorum corripi, & corripientibus acquieſcere, imò nobile eſt obiurgationes libenter audire, & ſuſtinere : fuit Chriſtus obiurgans , quaſi inauris aurea his diſcipulis.

Præterea, non mirum ſi iſti diſcipuli arguentem non repulerunt , erant enim tanti magiſtri diſcipuli. Si enim quis eos interrogaſſet: Cur permittitis , vt hic incognitus vos ſtultos appellet? ipſe eſt ſolus, vos eſtis duo; fierine poteſt, vt vnus duos aggrediatur ? Quare ſaltem ei aſperè non reſpondetis ? Cur verba verbis non retunditis? Sane reſponderent : Ideo hæc patimur , quia ſcimus Magiſtrum noſtrum grauiora tuliſſe, nam opprobria, flagella, & crucem ſuſtinuit, imò pro crucifigentibus exorauit ; docuit nos igitur verbo, & exemplo, qualiter increpantes, iniuriis afficientes ſuſtinere debeamus. Nos etiam , qui Chriſtiani ſumus, cur ſimilia non patimur ? cur tam citò excandeſcimus, dum vel minima iniuria afficimur? Audiamus D. Ambroſium. Iuſtus ad Chriſti ſimilitudinem accuſatus tacet , læſus remittit , diſſimulat laceſſitus , & non aperit os ſuum, & cùm poſſit habere quod referat , magis vult habere, quàm dicere. In Pſal. 37

O ſtulti , & tardi corde. Meritò reprehenduntur , & ſtulti nomine notantur , quia Chriſtum ex miraculis Deum non agnoſcebant , & ex paſſionibus hominem fatebantur. Verè Chriſtus erat Deus & homo , ſed ſicut ex his , quæ patiebatur, homo agnoſcebatur ; ita ex miraculis, quæ propria virtute operabatur , Deus ab omnibus debebat agnoſci. Indignatur D. Hilarius , quòd

ingrediente Ieſu nauiculam, orta tempeſtate, mari intumeſcente, & Domino imperante ventis, & mari, aliqui dixerunt: *Qualis hic homo, quia venti & mare obediunt ei?* Indignatur, inquam, quia cùm cognoſcant eius in mare, & ventos imperium, tamen Deum illum non agnoſcunt. Indignari etiam poteſt Dominus, quia cùm hi diſcipuli illum Prophetam, & potentem in opere, & ſermone fateantur, Deum tamen, qui illos erat redempturus, non agnoſcebant, aut ſaltem non confitebantur, quia viderant illum pati, ſed diffidentes dicebant: *Nos autem ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Stultum itaque erat ex paſſionis infirmitate Ieſum hominem nuncupare, & non ex virtutibus, & miraculis Deum.

O ſtulti, & tardi corde. Cur ſtulti appellantur? Quia quòd Chriſtus tam dira paſſus fuiſſet, mirabantur: exiſtimabant enim hominem iuſtum, & ſanctum nulla debuiſſe perferre tormenta. Ideo ſubiungit Chriſtus: *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Quaſi diceret: Stulti eſtis, ſi putetis iuſtum & pium debere in cœleſtem gloriam intrare nullis perpeſſis laboribus, cùm ipſum Chriſtum, quo nihil ſanctius, pati oportuerit, vt intraret in gloriam ſuam.
Pſal 33. Nónne audis: *Multæ tribulationes iuſtorum?* Non dixit Dauid, *iuſtis*, ſed, *iuſtorum*; quia tribulationes potiùs ſunt iuſtorum, quàm impiorum: illorum enim ſunt præſentes tribulationes, ad quos pertinent æternæ conſolationes. Hoc illi patiuntur, per quod ad gloriam intratur: at *per*
Act. 14. *multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

In

In illud autem regnum non intrant niſi iuſti, & non poteſt intrari in illud niſi per tribulationes; ergo illorum ſint tribulationes, quorum eſt illud regnum. Non poteſt dicere, ait D. Chryſoſtomus, quia iuſtus eſt aliquis, qui expers tribulationis exiſtit. Homil. 29. in Epiſt. ad Hebræos.

Si itaque illi cenſentur ſtulti, qui putant hominem pium, & iuſtum poſſe, aut debere in cœlum intrare abſque cruciatibus, & laborum tolerantia; quantò magis illi ſtulti cenſendi ſunt, qui ſine aliqua tribulatione, & ærumna optarent ſaluari? Intrauit Chriſtus per paſſionem, & crucem in gloriam ſuam, & tu velles in illam intrare per delicias, & voluptates? erras. Audi D.Bernardum. Quidni caput ſuum membra ſequantur? Si bona ſuſcepimus ab hoc capite, id eſt, Chriſto, mala autem quare non ſuſtineamus? An reſpuere triſtia volumus, & communicare iucundis? Si ita eſt, indignos nos capitis huius participatione probamus: omne enim quod ille patitur, pro nobis eſt. Non eſt magnum, ſi compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum eſt: felix membrum, quod huic adhæſerit per omnia capiti, & ſequetur illud, quocumque ierit. Serm. 1. in capite Ieiunij.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum? Hæc Dominus iſtis duobus, & poſtea congregatis ſimul omnibus diſcipulis dixit: *Sic oportet Chriſtum pati.* Obſeruat D.Theophylactus illud *(ſic)* atque inquirit. Quomodo ſic? per mortem Crucis. Oportebat enim principem & ducem hominum, nos in illam gloriæ vitam vocare, qua ſecuriùs, & præſtantiùs fructibus ditari poſſumus. Luc. 24.

Et vbi ſecurius,quam in Cruce, quàm in mediis plantari ærumnis, & periculis? Fallor, niſi huc ſpectauerit Dominus,quoties & ſe vitem appellat,& nos iubet eſſe palmites. Nulla planta vite fructuoſior, nulla ditior vite; ſed videre licet, quo ſuos producat, & ſeruet fructus. Id elegan-
In Pſal. 79. tiſſimè explicat D. Zeno his verbis. *Palmes in ſcrobem demittitur, vt animatus ibidem nutriatur; auxiliare illi neceſſariò iungitur lignum, cuius tutela defenſus ſeſe ſuſtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, eius omnes crines luxurioſi tenduntur, nec à ligno, quo portatur, vel cuius ducatu in vberes fructus longiùs inuitata producitur,vi aliqua ſeparatur. Tum ſolenniter plorans, clementer imbre ſuo rorat; ſtatim oculis apertis folia radiata procedunt, quibus ſubiecti,ac ſeſe commendantes ſequaces fructus arrident, quos Solis ardores, pluuiæ, ventíque exercendo prouehunt, & ad maturitatem perducunt.*

Ecce tibi vnde vitis trahat dulciſſimos, aureóſque fructus, nimirum ex petroſa ſcrobe, ex imbribus,& ventis,ex lacrymis, inſuper ex adhibito ligno, cui innixa à terra extollitur, fructibus exornatur. O vera vitis Ieſu, tunc admodum fœcunda, tunc verè diues, cùm adhibito Crucis ligno exaltaris à terra. Quiſquis huius vitis palmes es, vide quibus promoueri, & extolli glorioſus debeas; auxiliare tibi lignum neceſſariò iungendum eſt, nempe crux,lacrymæ, ærumnæ perpetiendæ, vt intrare valeas in gloriam alienam;cùm ipſemet Chriſtus tam acerba paſſus ſit,vt intraret in gloriam propriam.

Audien

Audientes itaque iſti diſcipuli oportuiſſe Chriſtum pati, vt intraret in gloriam ſuam, pati & ipſi voluerunt hanc increpationem, & ſtulti ab homine tunc illis ignoto vocati nihil penitùs reſponderunt. Similiter & tu noli attendere, quid tibi dicatur, quid patiaris; ſed illum attende, qui pro te paſſus eſt; illam gloriam conſidera, ad quam non intratur ſine cruce, ſine tribulatione. Audi D. Auguſtini conſilium. Intucamur caput noſtrum, vt eius exemplo commoti dicamus: Si ille, quid nos? Si, inquam, ille, qui peccatum non fecit, nec facere potuit, tot ludibria, tot alapas, tot flagella, mortem denique pertulit, vt intraret in gloriam ſuam; quid nos, qui tot peccata commiſimus, tolerare debemus, vt intremus in gloriam eius? Quando igitur aliquid patieris, hoc tibi ſemper verſetur in ore, vel mente: Si ille, quid ego? Cæterùm, iſti diſcipuli non tantùm nihil durum reſponderunt increpanti, ſed ei communicarunt, quid eis acciderit, annunciantibus quibuſdam mulieribus Dominicam reſurrectionem. Aug.

Mulieres quædam ex noſtris exterruerunt nos. Cur non magis hæ mulieres lætificauerunt? cur non magis gaudiis perfuderunt? Quòd Chriſto reſurgente exterriti ſint cuſtodes, non mirum, ſed quòd diſcipuli, non caret myſterio. Dico diſcipulos non fuiſſe exterritos audita Domini reſurrectione, ſed auditis mulieribus hanc reſurrectionem nunciantibus; ideo non dicunt, quòd huiuſmodi nuncium illos exterruerit, ſed, *Mulieres exterruerunt nos*, quia priùs ſciuerunt Chriſtum reſurrexiſſe, quàm diſcipuli. Habent viri

vnde exterreantur, quando audiunt mulieres habere vnde præferantur; vel dum vident, quòd ipſis derelictis oracula diuina mulieribus communicantur.

Orat de diuinit. Chriſti. Hoc crediderim excogitatum eſſe à D. Athanaſio, qui notat Chriſtum Ieſum libenter Pilato reſpondiſſe, ac ei ſermonem feciſſe, quando ipſe Iudæorum calumnias reſpuebat, & Ieſu innocentiam defendebat, nullamque cauſam mortis ſe in eo inuenire aſſerebat. At vbi Iudæorum falſas accuſationes admittit, ac ſeſe comparat & accingit ad Ieſum condemnandum, nullum penitus Ieſus reſpondit ei verbum; ſed ad vxorem eius conuerſus, ei reuelauit quæ marito dicenda erant. Audi hunc Doctorem. Lauanti manus ſuas Pilato, ac Iudæorum calumnias recipienti, nullum vlteriùs verbum ei fecit Dominus; ſed potiùs vxori oraculum edidit. De Pilato audiente Iudæorum accuſationes,

Ioan. 19. ſic ait Ioannes: *Cùm autem audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.* Sed potiùs magis erat ei timendum, quando ipſe deſerebatur, & vxori quid ei eſſet manifeſtandum, à Deo communicabatur; erat enim ſignum derelictionis & diuinæ indignationis. Ita diſcipulis Dominum ſequentibus, ac dictis eius credentibus, nunquam eis Dominus prætulit mulieres. At vbi diffidentes recedunt, nec ampliùs illum reſurrecturum credunt, ſanè merentur mulieribus

Marc. 16. poſtponi, vnde dicitur: *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Hoc itaque diſcipuli animaduertentes, & audientes exterrentur, quia ne eis indignetur Chriſtus verentur; tamen non meruerunt

tuerunt illi derelinqui, qui Dominum nolebant derelinquere. De illis ſic Euangeliſta; *Et coegerunt ipſum dicentes, mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Vtinam ſaltem iam adueſperaſcente, & inclinato vitæ noſtræ tempore, vitam ipſam, Dominum deprecemur,vt maneat nobiſcum. Sic faciebat Iacob,de quo ſic Ambroſius. In Lib.1.cap.3. ipſis mortis diebus plura cum Deo, quàm cum hominibus alloquia miſcebat, totus Deo innixus, vni Deo intentus mortem expectabat. Nihil enim præter Ieſum præcipuè in vitæ inclinatione, morte inſtante,quærendum eſt. Ieſum ſolum ſpectandum, & tenendum putet, qui vult mortem ſine metu expectare. O quàm timenda illorum conditio, quibus nec in fine vitæ à negotiis ſecularibus vacare licet!

Nónne quinque apud Matthæum virgines fatuæ dicuntur? Cur fatuæ? quia *dum irent emere, venit ſponſus, & clauſa eſt ianua.* O meritò Matth.25. fatuæ,quæ inclinata iam die, adueſperaſcente iam vita, inſtante aduentu, pergunt ad vendentes, adhuc in hoc mundo negotiantur. Illis multi ſunt ſimiles,quos animam agentes vrgent negotia temporalia, de nullo alio cogitant niſi de mundo, de pecuniis, de ære alieno, de domeſticis, & nihil penitus de anima, de Chriſto tenendo, de peccatis confitendis. Dic inueterate peccator, iam dies tui declinauerunt, ætas tua adueſperaſcit, iam fumant funereæ faces mortis; quando Dominum ſicuti iſti diſcipuli coëgiſti, vt

tecum maneret? Quando dixiſti: *Mane nobiſcum Domine?* Quod paraſti viaticum ad æternam vitam? De hac mortali vita tota cura tua; de æterna nullá.

Si quis in oppidum iter faciens duobus, vel tribus duntaxat diſtans milliaribus, multum ſecum ferat viaticum, multáque paret cibaria; proficiſcens autem per loca deſerta, & ad regionem longinquam, neque pecuniam portet, nec cibariorum quidquam, nónne dicitur mente captus? Idipſum Chriſtianis imprudentibus, & de ſalute non curantibus contingit. Iter faciunt ad mortem nonnullis tantùm horis aut diebus diſtantem, ſéque ipſos & domos onerant viatico, diuitiis, aliíſque rebus temporalibus, ad iter verò infiniti ſpatij, id eſt, ad æternitatem, nihil portant. Dicat igitur D. Gregor. Incaſſum multa portantur, cùm iuxtà eſt quò itur, &c. Curſum ſuum quiſque conſideret, & agnoſcet ſibi poſſe ſufficere parua quæ habet. Deum ſolum habere ſtudeamus, illúmque nobiſcum manere cogamus, exemplo horum diſcipulorum, qui coëgerunt ipſum. Cogédus eſt Dominus, id eſt, ita nos gerere debemus, vt, ſi ſic fari liceat, nobiſcum manere cogatur. Cogitur autem dum peccator conuertitur: cogitur dum pœnitentia agitur; cogitur dum paupertate paſcitur. Nónne Domini vox eſt illa, ad cogendum; *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* Abraham peregrinos paſcebat, atque ita Dominum ad benefaciendum ſibi, & benedicendum cogebat.

Homil. 32. in Euang.

Et

Et intrauit cum illis, intraturus in illos,& cognoſcendus ab illis: vnde dicitur, *cognouerunt eum in fractione panis.* Multi graues authores,quibus ego aſſentior,ſentiunt Christum hìc cùm panem accepit, benedixit, ac fregit, confeciſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ac duobus his diſcipulis corpus ſuum dediſſe. D. Hieronymus, cùm dicit Chriſtum domum Cleophæ in Eccleſiam dedicaſſe, nihil aliud ſignificat,quàm in ea tunc domo Euchariſtiæ celebraſſe Sacramentum, quod vbicumque ſit, ibi Eccleſia eſt: itaque tunc illam dedicauit, quando ibi conſecrauit. D. Auguſtinus expendens illa verba, *Aperti ſunt oculi eorum*, ſic ſcribit. Aperti ſunt ad cognitionem, non ad viſionem.Dominus Ieſus ante panis fractionem ignotus, loquitur cum hominibus: in panis fractione cognoſcitur, quia ibi percipitur.Et in via loquebatur, videbatur, ſed non cognoſcebatur, quia non accipiebatur, & manducabatur. Ibi autem non cernitur, nam euanuit ex oculis eorum,& tamen cognoſcitur,quia ſumitur.

In Epitaph. Paulæ, ad Euſtoch.

Serm. 146.

Cur etiam hic & non in via Dominus voluerit cognoſci, indicat idem Auguſtinus. Noluit agnoſci niſi ibi,propter nos qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus eius carnem. Non eſt opus vt corpus Domini quod à nobis ſuſcipitur, videatur, ſatis eſt agnoſcatur, & ibi adeſſe credatur, quia ita nos conſolatur. Subiungat igitur idem Doctor. Quiſquis fidelis es, quiſquis non inaniter Chriſtianus vocaris, quiſ-

Serm. 140

quis Eccleſiam non ſine cauſa ingrederis, conſolatur te fractio panis, non eſt abſens Dominus. Quare nos conſolatur fractio panis? quia Dominus cognoſcitur, & ſumitur in fractione, id eſt, conſecratione panis.

Nam Chriſtus non alio modo conſecrauit, qui fregiſſe dicitur panem, & dediſſe tam duobus his diſcipulis, quàm omnibus Apoſtolis in vltima cœna. Panis autem ille Euchariſticus frangi dicitur, quia primis Eccleſiæ temporibus vnus tantùm panis conſecrabatur, qui deinde ad communicantium numerum manu fractus potiùs, quàm conciſus gladio, diuidebatur in partes. Et ſic intelligitur quod in Actibus Apoſtolorum ſcribitur,
Act. 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* id eſt, in communicando pane, nempe Euchariſtico fracto ac diuiſo.

Apoſtolus Paulus iuxta huiuſmodi conſuetudinem frangendi ſcilicet & diuidendi Euchariſticum panem, ſic ſcribit; *Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* Quòd de pane Euchariſtico & conſecrato loquatur Apoſtolus, indicat D. Chryſoſt. dum
Homil. 24. in 1. ad Corinth. hæc verba expendens ſic inquirit. Quare addit, *quem frangimus*: Hoc in Euchariſtia videre licet; in Cruce autem minimè; ſed omnino contrà: os enim non comminuetis ex eo. Sed quod in Cruce paſſus non eſt, in oblatione patitur propter te, & frangi ſuſtinet, vt omnes ſatiet. Nimirum quam in Cruce non pertulit fractionem, hanc permittit in Euchariſtia, non

non quòd in ea ipſe Chriſtus frangatur, ſed frangi dicitur, quando ſpecies panis ſub quibus deliteſcit, franguntur: etenim *nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura*. Dices: Quare in Cruce non frangebatur, & in Euchariſtia ratione ſpecierum frangi dicitur? Quia in Cruce perſonam agebat ſatisfacientis; diuinæ enim Iuſtitiæ ſatisfaciebat, pro omnibus nobis patiendo: ideo integer in pretium ſoluebatur. In Euchariſtia autem perſonam agit paſcentis, & tunc frangi dicitur, vt oues ſatiet. Proſa.

Illum igitur paſcamus, vt ab illo paſcamur. Illum agnoſcamus, vt agnoſcamur ab illo. Illum teneamus, vt teneamur ab illo, dicamúſque: *Mane nobiſcum Domine*. Si enim illum habeas, omnia habes. Aurum vis? inquit Auguſtinus, ille fecit. Familiam quæris? ille fecit. Pecora quæris? ille fecit. Poſſeſſiones quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Quid quæris tantùm quæ fecit? Ipſum accipe, qui fecit. Qui ſeipſum porrigebat his diſcipulis, porrigit ſe & tibi: hîc dignè illum accipe vt tandem ab illo excipi merearis, & in æternum beari. Amen. Serm. 144.

Soli Deo honor & gloria.

FINIS.

INDEX
FERIARVM ET
Dominicarum Quadrageſimæ, quæ in hoc Opere accuratè expenduntur.

Feria IV. Cinerum.

NOLITE *theſaurizare vobis in terra, &c. Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* pag. 1

Feria V.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, &c. 21

Feria VI.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. 41

Domi

Dominica I. Quadrageſimæ.

Ductus eſt Ieſus in deſertum, &c. 68

Feria II. poſt I. Domin.

Cùm venerit filius hominis in majeſtate ſua, &c. 95

Feria III. poſt I. Domin.

Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? &c. 119

Feria IV. poſt I. Domin.

Magiſter, volumus à te ſignum videre, &c. 138

Feria V. poſt I. Domin.

Egreſſus Ieſus receſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce, mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei, Domine, &c. 158

Feria VI. poſt I. Domin.

Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, &c. 179

Dominica II. Quadrageſimæ.

Domine, bonum eſt nos hîc eſſe, &c. 198

Feria II. poſt II. Domin.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini, &c. 219

Feria III. poſt II. Domin.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. 239

Feria IV. poſt II. Domin.

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo, &c. 260

Feria V. poſt II. Domin.

Homo quidam erat diues, &c. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius.* 282

Feria VI. poſt II. Domin.

Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, &c. 310

Dominica III. Quadrageſimæ.

Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. 329

Feria II. poſt III. Domin.

Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura teipſum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, &c. 348

Feria III. poſt III. Domin.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. 374

Feria IV. poſt III. Domin.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus, &c. 392

Feria V. poſt III. Domin.

Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. 412

Feria VI. poſt III. Domin.

Venit Ieſus in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. 432

Domi

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? &c. 453

Feriâ II. poſt IV. Dominicam.

Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. 473

Feria III. poſt IV. Dominicam.

Aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, &c. 501

Feria IV. poſt IV. Dominicam.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum, &c. 519

Feria V. poſt IV. Dominicam.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. 541

Feria VI. poſt IV. Dominicam.

Ecce quem amâs infirmatur. 561

Dominica in Paſſione.
Quis ex vobis arguet me de peccato? 585

Feria II. poſt Domin. Paſſionis.
Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui miſit me. Quæretis me, & non inuenietis, &c. 606

Feria III. poſt Domin. Paſſionis.
Ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat ambulare in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere. 626

Feria IV. poſt Domin. Paſſionis.
Facta ſunt Encænia Hieroſolymis, & hyems erat. Et ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis, &c. 645

Feria V. poſt Domin. Paſſionis.
Ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, &c. 663

Feria VI. poſt Domin. Paſſionis.
Collegerunt Pontifices, & Phariſæi conſilium aduerſus Ieſum, &c. 679

Domi

Dominica in Ramis Palmarum.

Cùm appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos ſuos, &c. 695

Feria II. Maioris hebdomadæ.

Quare vnguentum hoc non væniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? 712

Feria VI. Maioris hebdomadæ.

Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus. 729

Dominica Reſurrectionis, & diei Sancti Paſchæ.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt, &c. 787

Feria II. poſt Paſcha.

Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, &c. 805

FINIS.

618 013

858